Q. 2. 34

Digitized by Google

GERMANA
S. CYPRIANI, ET APHRORUM,
NEC NON
FIRMILIANI, ET ORIENTALIUM
OPINIO
DE HÆRETICORUM
BAPTISMATE

Ad rectam Criticarum Vindiciis Cypr. Diſputationum intelligentiam expoſita

A F. JOHANNE H. SBARALEA FOROLIVIENSI,

Cœnobiique Ferrarienſis Minorum S. Franciſci Conventualium alumno.

Bene tamen quod toties meminerunt, etiam primum Apoſtolorum Petrum potuiſſe aliter ſapere, quam veritas poſtulabat; quod acci-diſſe etiam Cypriano ſine ulla ejus contumelia credimus, quicunque diligimus Cyprianum. S. Aug. lib. VII. de Baptiſmo cap. XX.

BONONIÆ

Ex Typographia Lælii a Vulpe MDCCXLI.
Superiorum authoritate.

Ex dono Auctoris

Digitized by Google

Digitized by Google

F. JOHANNES S. PAULO A.

Theologo ſummo

S. D.

CUm eſt mihi tranſmiſſus nuperus Liber Vindiciarum S. Cypriani, & Firmiliani de Hæreticorum Baptiſmo; illeque a me ſatis, ut arbitror, attente lectus, & quantum pro facultate fuit, etiam perpenſus: nihil tam ſtatim ſum admiratus magis, diſertiſſime Paulle, quam aliter cecidiſſe rem, atque opinatus eram; & nihil mihi tam præter opinionem occurrit ad legendum, quam quod nunquam ibi

Digitized by Google

me lecturum putabam. Nam cum exiſtimarem, duabus tantum Epiſtolis, vel paucis aliis, ut & rumor ferebat, & ipſe Libri titulus promittit, bellum indictum eſſe; iſtas dumtaxat exterminandas; ſuppoſititias has ſolas oſtendendas; quod nec a vero multum abhorrere, nec facili probatione carere videbatur: contigit præter expectationem me legere, eam antiquorum controverſiam de Hæreticorum Baptiſmo non quidem profligatam, ſed modo pernegatam, modo perturbatam totam: primum Arelatenſe Concilium *Oecumenicum*; Firmilianum Cappadocem *Sanctorum* faſtis adſcriptum; Palæſtinum Euſebium *fabulæ* confictorem; S. Auguſtinum *hypothetico* Syſtemate locutum; reliquos omnes vel ab Euſebio, vel a Donatianis *deceptos*; atque horum quam plura nequaquam diſſimilia. Quæ quum ego legiſſem, qui plerunque quidem, quod mihi de ſolito labore temporis datur, in ejuſmodi ſtudiis acquieſcere aſſuevi; tum primum hæſitare, mox etiam cogitare cœpi; quid erudito viro in mentem venerit & illa prorſus inficiari, & iſta conſtanter aſſeverare: fuitque pene, quo dubitarem, utrum ſimulate, an ex animo ſcripſerit ea, quæ Liber ejus continet; quando non tam intereſt ſcire, quid quis aliis ſcribat, quam quo animo ſcribat; ne res, quæ ſcribitur, inepte alicui noceret. At eum ſimulationi inſervire, & ipſe non uno in loco negat; & ego, quamquam plerique nolunt, dictis ejus fidem habere & volo, & debeo: egiſſe autem ex animo, tametſi ipſe diſſimulans quodammodo profitetur, & aliqui quoque exiſtimant; id me ne putes unquam credere, talem ſcilicet virum tam falſa, & a vero detorta ex animi ſententia ſcribere potuiſſe: nam quanta ſit in eo virtus, & eruditio, nihil attinet me vel ad te, qui eum noſti, ſcribere; vel aliis,

qui-

quibus eſt valde cognitus, ſuadere: & ego quanti eum faciam, ſemperque fecerim, omnes, qui ſolent hæc animadvertere, teſtes habere poſſum. Annon is ille eſt, qui nedum in ingenuis artibus, verum etiam in ſcientiis, in primiſque in hac, in qua ego me ſcripſi acquieſcere, ita verſatur, ut excellat; ut a Maximo olim ſuo, & noſtro Præſide vir *vaſtiſſimæ eruditionis* ſit appellatus? Quid igitur, ſi neutro ſcripſit modo? inquiunt nonnulli, qui quærunt ex me, quid de labore iſto ipſe putem, & quid alii; ſimulque volunt ſcire, quid demum ſentiendum ſit; & quantum ſibi honori, reliquis vero utilitati putarem fore. Verum enim vero de aliorum ſententia nec multum fui ſolicitus, nec eſſe volo; habeat ſuum quiſque judicium: me autem ſentire dico, egiſſe eum arte quadam nec prorſus nova, nec multum uſitata; & quodam quaſi declamatorio genere hac re tractata oſtendere voluiſſe, quantum in eo pariter ſcribendi genere præſtaret ipſe; & quo pacto ea, quæ per ſe ſe falſa ſunt, efficere valeret, ut etiam vera videri poſſent; aut quæ tueri quam difficillimum exiſtimantur, ea nullo negotio a ſe defendi poſſe demonſtraret. Atque quidem ego ex his, quæ proxime dixi, ſum nedum ſuſpicatus aut hoc ipſum eſſe, aut non multo ſecus; ſed propemodum certus, (ſi modo is ſum, qui poſſim, aut ſciam judicare), id aliter eſſe non poſſe, ac ſum effatus: ego enim quid ſciam, aperte neſcio; vel potius me parum ſcire ſentio, ne cum antiquis illis mentiri dicar, qui dixerunt id ſcire, ſe nihil ſcire, quum tamen aliquid ſcire ſe faterentur; ſed illud modo ſcire mihi jam videor, & vehementer errare eos, & non ſolum doctrinam hujus hominis, virtutemque parum perſpectam habere, verum etiam utramque

læde-

lædere magnopere, qui ſecus ſentiunt, atque dixi: præſertim quod rectum eſt, ac honeſtum bene de probis, doctiſque viris ſentire; poſtea Virorum cenſura ſemper eſt difficilis, viventium vero etiam periculoſa; quapropter ego quo minus perſpicax ſum, hoc ſum ad judicandum moroſior; & tandem ea, quæ quiſque ſentit, nec ſemper libet ſcribere, nec ſemper licet; & ſi liberet etiam, atque liceret ſemper, etiam non expediret ſemper. Quid porro ſibi emolumenti propoſuerit Vindiciarum Autor, & quid aliis utilitatis afferre voluerit, aliorum opto judicium: ſunt enim, qui in iſto Opere quamquam animi, laboriſque ſatis, utilitatis parum eſſe dijudicent; & in iſta ipſa re metuunt, ne minus nervorum ſit, quam ille putarit; omninoque de tota re ſapientius ideo facturum ajunt, ſi non ſcripſiſſet, quod eo labore, quicquid aſſequi volebat, nullo modo ſit aſſecutus; tantam putant eſſe rerum, factorumque perſpicuitatem: eruditiores, quam fuerint, nihilo ſe dicunt factos; acriores quidem ad criticos agendos multo; ac in uno Cypriano, alteroque Firmiliano in ſpecie vindicatis conqueri ſe læſos & Baſilium, & Hieronymum, & Auguſtinum, & ſummos Pontifices, & univerſam demum Eccleſiam. In quibus unum non vereor, ne illi parum perſpiciant; quippe copioſe, & eleganter, forſan & fortiter ſcribenti, nihil eſt, quod quis multa reſpondeat, ac opponat: tam enim iſte Librorum cultor eſt, ac cenſor, quam qui maxime; & quæ ſcribit, ea eruditiſſimo cuique mirum in modum probata eſſe cupit, ac ſatagit: Ego propterea cogitata ejus ſic probo, ut nihil aliud me moveat; niſi quod quidam videntur aut dubitare, aut opponere, vel propter ipſa errare. Animum autem, & laborem viri cum laudo,

do, conſilium etiam non reprehendo; eo enim illum ad hoc conſilio uſum aut intelligo, aut mihi perſuadeo, ut id reprehendere non audeam; non quin, ut fatear, ab eo ipſe diſſentire poſſem; ſed quod ea illum ſapientia eſſe judicem, ut meum judicium negem anteponendum ſuo; habebitque profecto ille, quamobrem conſilii ſui bene ſuſcepti rationem reddat & mihi, & aliis fortaſſe non ſatis exploratam. Non itaque de hoc verba facturus ero; ſed quod viderim, quoſdam artem egregiam viri non percepiſſe, eaque deceptos credidiſſe vera, quæ vera non ſunt; illud mihi faciendum erit, curandumque, ut oſtendam; ſi non omnia, plurima certe, quibus ipſe nititur, palam vel eſſe falſa, vel ſibi non cohærentia, aut etiam veri minus ſimilia; unaque pariter probem, illum ex animo minime ſcripſiſſe, nec ob eam rem etiam aſſimulaſſe, verum artificii cauſa diſſimulaſſe; hoc enim virtutis eſt, illud autem vitii; iſtud ad erudiendum valet, illud ad eludendum. Tametſi impune etiam ſimulare eum potuiſſe, quidam exiſtimabunt; quandoquidem, ut in Bruto monuit M. Tullius, conceſſum fertur non Poetis ſolum, ſed etiam Rhetoribus, quorum in numero ſcis iſtum eſſe, interdum mentiri & in Hiſtoriis, ut aliquid dicere poſſint ornatius, & argutius. Habes, egregie Paulle, de Scriptore Libri judicium, & conſilium qualecunque meum; iſtud, quod officii cauſſa non reprehendi; illud, quod de virtute, ac ſcientia ejus me puto exiſtimaſſe bene: reliqua de Libro mox habebis, quæ legas; & quæ ad te mittere volui & pro veteris noſtræ amicitiæ, communiſque Patriæ vinculo, quod ipſum eſt per ſe magnum; & pro eximia tua in his rebus præſtantia, qua quidem hæc tu melius, vel omnium optime noris judicare, ſi

tamen

tamen per occupationem, qua eris ſane impeditus, licuerit: licebit vero, cum voles, tantam in te vidi mentis excellentiam, & in laboribus aſſiduitatem, quæ duæ ad occupationem omnem ſuperandam plurimum valent. Nec plane dubitare poſſum, quin tibi oblectamento iſta quoque ſolicitudo futura ſit, ſi bene memoria tenes ea, quæ iſtic olim collocuti ſumus inter nos: cenſebis autem pro more tuo, ac animi candore; nihil ut amicitiæ, & nihil Patriæ tribuas; tu namque velim ſic habeas, & facias iſta, ut optimi quique intelligant, ob iſtam cauſſam additum potius aliquid ad noſtrum erga Autorem ſtudium, & exiſtimationem, quam quicquam eſſe detractum. Ego denique eo ſum adhuc in te animo, quo me tibi & fuiſſe ſemper exiſtimare potes, & futurum eſſe non dubitabis: effecique, vel certe facere ſum conatus, ut aliquod ex noſtris monumentis extet, quod noſtræ amicitiæ memoriam poſteris quoque prodat. Quod reliquum eſt, opto des operam, ut diu valeas; quo mihi, & multis gratius eſſe nihil poterit.

NOS

Digitized by Google

NOS FR. JOANNES BAPTISTA MINUCCI

Artium, & S. Theologiæ Doctor, S. Indulgentiarum, & Reliquiarum Congregationis Conſultor, promovendorum ad Epiſcopatum Examinator, ac totius Seraphici Ordinis Minorum Conventualium poſt S. Patriarcham Franciscum Miniſter Generalis LXXXIV.

CUM Opus, cui Titulus eſt = *Germana S. Cypriani, & Aphrorum, nec non Firmiliani, & Orientalium opinio de Hæreticorum Baptiſmate* = a Patre Magiſtro Joanne Hyacintho Sbaralea de Ferraria compoſitum duo ex Ordine Noſtro Theologi de mandato noſtro examinaverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur.

In quorum fidem &c.

Dat. Bononiæ 22 Auguſti 1741.

F. J. B. Minucci Miniſter Generalis Ordinis.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Joſeph M. Modeſtini de Peruſio Secret., & Aſſiſtens Ordinis, ac Prov. Angliæ.

NOS infraſcripti Librum, cui eſt Titulus = *Germana S. Cypriani, & Aphrorum, nec non Firmiliani, & Orientalium Opinio de Hæreticorum Baptiſmate* = Auctore Admodum Reverendo Patre Magiſtro Joanne Hyacintho Sbaralea de Ferraria Definitore perpetuo noſtræ Provinciæ Bononiæ, de Commiſſione Reverendiſſimi Patris Magiſtri Joannis Baptiſtæ Minucci noſtri Ordinis Miniſtri Generalis attente legimus, & examinavimus, eumque mira Eruditione, & optima Doctrina refertum aſſerimus, & celebramus, atque ob id in lucem edi poſſe probamus. Dat. Bononiæ 20 Auguſti 1741.

Ita eſt F. Joannes Baptiſta Schivazappi ex Provincialis, & ex Socius Ordinis.

Ita eſt Fr. Pius Antonius Pariſini ex Provincialis, & Sacræ Theologiæ publicus Profeſſor &c.

SY-

SYNOPSIS DISSERTATIONIS I.

Caput I.

Argumenta, quibus *Firmiliani* ad S. Cyprianum *Epiſtola* diſcutitur, & falſitatis arguitur, confutata refert.

I. Morellii conſilium in hac Epiſtola vulganda præ Latinii ſuaſione comprobatur. Non unam hanc Eraſmus ignoravit. pag. 1

II. Firmiliani Sanctitas quæ fuerit; & quantum ei obſit hæc Epiſtola. 2

III. Hæc ipſa Firmiliani fidem minime commaculat. 6

IV. Deſunt S. Cypriani literæ, quibus Firmilianus reſpondit; & non hæ tantum, ſed plures aliæ deſunt. 8

V. Non conſtat Epiſtolam Firmiliani græce ſcriptam fuiſſe; aut eam Cyprianum in latinum convertiſſe. 9

VI. Suppoſita demonſtrari non poteſt ex perpetuo Scriptorum ſilentio etiam antiquiſſimorum, ac in primis S. Dionyſii Alexandrini. 13

VII. Nec Euſebii Cæſarienſis. 16

VIII. Neque S. Auguſtini. 17

IX. Neque Donatiſtarum. 19

X. Neque ipſius S. Cypriani. 21

XI. Nec tandem Concilii III. Carthaginienſis. 22

XII. XIII. XIV. Tria argumenta ad probandum III. Concilium Carthagin. poſt acceptam Firmiliani Epiſtolam celebratum nihil cogunt. 23

XV. Nullam fuiſſe apud Orientales Patres diſceptationem ſuper baptiſmo etiam Evangelica forma adminiſtrato defendi non poteſt. 26

XVI. Sicut & nullam Stephano cum Orientalibus Epiſcopis ſuper ejuſmodi baptiſmo contentionem. 30

XVII. Et falſum oſtenditur, Hiſtoriam de Orientalium,

b 2 *Afro-*

Afrorumque rebaptiſmo ab Euſebio Cæſarienſi fuiſſe confictam præſertim occaſione hæreſis Paulianiſtarum ; & incertum affirmatur , Euſebium poſt Nicænum Concilium I. Arianorum ſigniferum extitiſſe . 32
XVIII. *Affinitas Arianorum cum Paulianiſtis Euſebio cauſſa eſſe non potuit confictionis ejuſdem Hiſtoriæ .* 36
XIX. *Multoque minus Arianorum cum Donatiſtis conniventia .* 40
XX. *Varia Græcorum , & Latinorum Patrum ſententia de Nicæni Concilii ſtatuto ſuper Hæreticorum baptiſmo , quæ rem incertam facit .* 43
XXI. *Per Nicænum Concilium Donatiano Schiſmati nihil ideo proviſum , non quia poteſtas , ſed quia voluntas abfuit .* 46
XXII. *Inſignis Auguſtini locus pro Nicæni Concilii contra Anabaptiſmum ſanctione adductus ad Arelatenſe I. nulla ratione referri poteſt .* 49
XXIII. *Hunc Auguſtini locum qui de Nicæno Concilio interpretantur , ejuſdem ſummi Doctoris autoritatem , & doctrinam non deprimunt , ſed extollunt .* 50
XXIV. *Qui Concilium plenarium ab Auguſtino enunciatum ad Nicænum traducunt , probe Auguſtini mentem , probeque Arelatenſis Concilii finem aſſequuntur . Card. Noriſius defenditur contra Launojum ; & alia Auguſtini loca interpretantur .* 55
XXV. *Arelatenſe I. plenarium quidem fuit , ſed non quale illud ab Auguſtino memoratum .* 65
XXVI. *Arelatenſe I. plenarium demonſtrari poteſt , ſed non Oecumenicum .* 68
XXVII. *Arelatenſe I. longe minus plenarium , quam Nicænum I. , probaturque multis , ac perſpicuis momentis Oecumenicum non fuiſſe .* 83
XXVIII. *Arelatenſe I. minus etiam plenarium quam Conſtantinopolitanum I.* 88
XXIX. *Pergitur demonſtrare Arelatenſe I. non magis*

ple-

plenarium, quàm Conſtantinopolitanum I. 92
XXX. *Idque potiori jure. Falſa Oecumenici Concilii notio, ideaque refellitur, & vera conſtituitur.* 96
XXXI. *Ex quarundam Conciliarium Sanctionum ordine nullus numerus eruitur, ac nullum tempus controverſiarum ſuper Hæreticorum baptiſmo; nullamque in ſenſu Donatiano habitam in Oriente ante Nicænum minime concluditur.* 103
XXXII. *Difficultati ex S. Baſilii autoritate petita haud ſatis occurſum oſtenditur. Referatur cauſſa, cur antiqui Schiſmaticorum baptiſma comprobarent, illud vero Hæreticorum improbarent.* 107

Caput II.

Notas in hanc Epiſtolam criticas convellit.

No. I. *De Epiſtolæ exordio parum humano.* 113
II. *Firmiliani prolocutio non eſt Stephani P. cum Juda comparatio.* 114
III. *Defenditur, & explanatur ejus ex veteri Teſtamento dictum.* ibid.
IV. & VI. *Repugnantia ſententiarum nulla. Nuncii feſtinatio Scriptoribus non inſolita.* 115
VII. *Novi Teſtamenti recta cognitio.* ibid.
VIII. *Eruditio proba, ac opportuna ſine anachroniſmo.* 119
IX. *Non Romanæ Eccleſiæ traditionem calumniatur; non hæreſim damnatam tuetur; non falſam narrationem habet.* 120
X. *Confidentius negat id, quod haudquaquam verum erat.* 124
XI. *Veritas magis, quam mendacium de pace a Stephano cum Afris interrupta.* 126
XII. *Cum S. Cypriano ſentit de traditione neutiquam Apoſtolica.* 129

XIII.

XIII. Anachroniſmus nullus. Quorundam opinio de Iconienſis Concilii epocha rejicitur. 130
XIV. Ejus argumentatio non adeo abſurda declaratur. 138
XV. Propria, non ex Cypriano animadverſio. 139
XVI. Eruditio minime ſuſpecta. 140
XVII. Nec ſententiæ falſitas extat, nec verborum repugnantia. ibid.
XVIII. Appoſite, non nimium philoſophatur. 141
XIX. Nominatio perperam in ſuſpicionem vocata. 142
XX. Seria, ac in tempore exprobratio. ibid.
XXI. Immoderata quidem, ſed cauſſæ ſubſerviens indignatio. 143
XXII. Contemptus ſimili de cauſſa effuſus. ibid.
XXIII. Exprobratio rei, quæ quibuſdam non multum probatur. 144
XXIV. Quomodo Stephanus pejor Hæreticis ſit dictus, explicatur. 146
XXV. Locus ex Græco textu ſi non probat hanc Epiſtolam e Græco translatam, probat tamen antiquiſſimam. 147
XXVI. Cypriani licentiam imitatur. ibid.
XXVII. Aſſumptio haud prorſus falſa. Quam late vagata ſit opinio Firmiliani, & Cypriani de Hæreticorum baptiſmo. S. Auguſtinus, quæ futura ſunt, prædicit. 148
XXVIII. Exaggeratio concertationis æſtu jactata; & rationum pondere, fautorumque numero exorta. 152
XXIX. Ironia aliorum exemplo firmata. ibid.
XXX Libera quidem, ſed veri magis, quam mendacii repetitio. 153
XXXI. Diverſum diſcordiæ genus, propter quod Stephanus pacem cum aliis fregit, conjicitur. ibid.
XXXII. Occupatio nullo modo ridicula. 154
XXXIII. Ignotum crimen, quod tamen facile ex aliis

con-

conjicitur, Stephano improperatur. 155
XXXIV. *Non conſtat de Firmiliani mendacio; nec improbabile eſt, Stephanum contumeliam in Cyprianum jeciſſe.* 156
XXXV. *Quædam calori diſputationum danda.* 157

CAPUT III.

Argumenta, quibus Firmiliani autoritas huic Epiſtolæ vindicari poſſit, eorumque confutationes adducit, & expendit.

I. *Argumentum ex pluribus S. Auguſtini locis deſumptum noſcitur incertum.* 157
II. *Argumentum aliorum multorum exemplis nullum demonſtratur.* 159
III. *&* IV. *Argumenta ſuperiori conſimilia oſtenduntur.* 164
V. *Argumentum parum quidem in rem conducit; Baluzius tamen contra Latinium defenditur.* 165
VI. *Argumentum totum conjecturale eſt; ac incertum, an Origenes tradiderit Orientalium de Anabaptiſmo ſententiam.* 167
VII. *Argumentum etſi ipſum quoque leve eſt, Baluzius tamen a culpa vacat.* 170

SYNOPSIS DISSERTATIONIS II.

In Epiſtolam S. Cypriani ad Pompejum.

Præfatio. 171
Ad Axioma I. pro Syſtemate Donatiſtarum. Diſputantes ob pertinacem opinionem non omnes, nec ſemper omnia invertere. 172
Ad Axioma II. Ob pertinacem opinionem diſputantes unum,

Digitized by Google

unum, eundemque Autorem in una, eademque re interdum quidem damnare, ac probare contingit; id uno Tertulliani, aliorumque quorundam exemplo non firmatur. 173

Ad Axiomata pro S. Auguſtini Syſtemate. Quædam, quæ hoc loco dicuntur, aliis libranda, atque dijudicanda relinquuntur. Hiſtorici Græci non omnes mendaces autumantur. 174

Ad Axioma I. pro S. Cypriani ſententia. Quicquid præcipuæ cujuſpiam Scriptoris virtuti repugnat, ſuſpectum, non ſuppoſititium certo habendum. 175

Ad Axioma II. SS. Scriptorum ſtylum non tam ex locutionis charactere, quam ex charactere perſonæ ſemper ducere, periculoſum, minimeque tutum. 177

Ad Axioma III. Demonſtratur, ejuſdem iſtud hoc eſſe furfuris, atque duo ſuperiora; nec ſemper ſubdititium eſſe, quidquid in Scriptoribus occurrit, quod illorum ſententiæ ſerio propoſitæ adverſetur. 178

Ad Axioma I. pro S. Optati Milevit. Syſtemate. Argumentum ex ſilentio S. Optati Milevitani ductum, & adverſus Opuſcula S. Cypriani pro rebaptiſmo vibratum nullius momenti habendum. 179

Ad Axioma II. Iſtud quidem fortaſſe verum, ſed aſſumptum omnino falſum. 180

THEOREMA I.

Ex Donatiſtarum ſyſtemate Cypriani ad Pompejum Epiſtolæ confictio non probatur.

Propoſ. I. & II. Secta Donatianæ firmamentum calumniæ quidem fuerunt; ſed eas ad Syſtema redactas non apparet, nec oſtenditur. 182

Prop. III. *& IV. Morum Sanctitatem affectare & Donatiſtarum, & aliorum Hæreticorum fuit; cum nihil*

bil ſanctimoniæ niſi ſpecietenus haberent. 183
Prop. V. Donatiſtarum Scriptores recenſentur, unaque Catholicorum Afrorum Doctores. 184
Prop. VI. Donatiſtarum Syſtema nullo modo impenetrabile. 186
Prop. VII. Donatiani Syſtematis nihil novi refertur, niſi quod nuper excogitatum eſt, atque confictum. De primis apud Afros Sedibus 188
Prop. VIII. Donatiani Syſtematis ordo nullus niſi fortuitus. 192
Prop. IX. Loci ratio declaratur; & Donatiſtas numero Catholicos præſtaſſe inficiatur. ibid.
Prop. X. Temporum diſpoſitio refertur, & eum illis Novatiani comparatur. 194
Prop. XI. & XII. De Rerum ſerie, ac Perſonarum ordine. 195
Prop. XIII & XIV. De Donatiſtarum faſtu, & pertinacia. 196
Prop. XV. De eorundem terribili, ut fertur, aſtutia, ac fallaciloquentia. 197
Prop. XVI. Antiqua eos monumenta depravaſſe non oſtenditur. 199
Corollarium Theorem. I., quo XVI. Propoſitionum aſſerta ſuperiora magis confirmantur. 200

Theorema II.

Ex vero S. Auguſtini contra Donatiſtas Syſtemate Epiſtolæ ad Pompejum falſitas non demonſtratur.

Prop. I. S. Auguſtinus a quæſtione facti non refugit, ſed ad eam adverſarios provocat. 208
Prop. II. Auguſtini Syſtema in facti quæſtionibus abſolutum eſt, non hypotheticum. 210
Prop. III. Auguſtini ſententia de mente Cypriani hypothe-

thetica non eſt, ſed abſoluta. 213

Prop. IV. Ejus Epiſtola ad Pompejum neutri Syſtemati repugnat. 215

Prop. V. Auguſtinus de mente Cypriani agens hypotheticum Syſtema non profitetur. 216

Prop. VI. Nec Auguſtinus de literis, & facto Cypriani dubitaſſe videtur, nec error Cypriani aperte tunc veritati Catholicæ repugnaſſe demonſtratur. 218

Prop. VII. Auguſtinus erroris quidem Cyprianum inſimulavit, ſed non antilogiæ convicit. 223

THEOREMA III.

Ex libris S. Optati Milevitani prædictæ confictionis ſuſpicio non confirmatur.

Prop. I. Summum, atque perpetuum S. Optati Milevitani de Cypriano ſilentium in quæſtione rebaptiſmi nihil officit memoratæ Epiſtolæ ad Pompejum. 225

Prop. II. S. Optati Hiſtoria de rebus Donatiſtarum quanta apud ipſos Donatiſtas exiſtimationis. 228

Prop. III. Optatus ipſe in quæſtionibus ſuas habet quidem hypotheſes, ſed id nihil ad rem iſtam. 229

THEOREMA IV.

Ex nonnullis aliis vetuſtiſſimis Scriptoribus S. Cyprianus rebaptiſmi macula non liberatur.

Prop. I. Profundum Pontii de Cypriani rebaptiſmo ſilentium non abſolvit Cyprianum. 230

Prop. II. Anonymi Tractatus adverſus rebaptizantes ſententiam de Cypriano rebaptiſmo commentitiam

nullo

nullo pacto demonſtrat. 231
Prop. III. Euſebii narratio de Cyprianico rebaptiſmo minime repugnat cum Afrorum traditione. 235
Prop. IV. Ruffinus in facto Cyprianicæ controverſiæ de rebaptiſmo quomodo diſcrepat ab Euſebio. 240
Prop. V. Summum, ac diuturnum Donatiſtarum, & Catholicorum ante S. Auguſtinum de Mart. Cypriano, ac Stephano ſilentium aut non extat, aut nec ipſum Cypriano prodeſt. 241

Theorema V.

Concilii Carthaginienſis III. confictio fruſtra demonſtrari putatur.

Prop. I. Hujus Concilii abſurditas, quæ creditur, generatim vindicatur. 242
Prop. II. S. Auguſtini qualis de hujus Concilii veritate dubitatio. 246
Prop. III. Concilium Carthigin. III. S. Cypriani probe concurrere cum Epocha Pontificatus Stephani Papa demonſtratur. 248
Prop. IV. Octo Præfationis ad Concilium Carthagin. III. loca a criticis notis ſingulatim propugnantur. 259
Prop. V. Concluſio Epiſtolæ Cypriani ad Jubajanum a confictionis nota defenditur. 278

Theorema VI.

Epiſtola ad Pompejum, ceteræque de baptiſmo Hæreticorum a Cypriano ſcriptæ ex earundem contextu confictæ non probantur.

Prop. I. & II. De his, quæ in ea ad Pompejum Epiſtola dicuntur abſurda. 285

Prop. III. Stephani PP. Decretum expenditur, & genuinum demonſtratur. ibid.
Prop. IV. Plura ex Cypriano in medium adducuntur, & ſecum neutiquam pugnare oſtenduntur. 293
Prop. V. Reliqua de Hæreticis baptizandis Epiſtola a confictionis vitio eximuntur. 303

Theorema VII.

Momentorum, quæ adverſari exiſtimantur, propugnatione ſententia modo commemorata confirmatur.

Arg. I. ex Libello ad Novatianum. 314
II. ex Canone VIII. Concilii Arelatenſis I. 316
III. ex Tractatu Anonymi adverſus Rebaptizanzantes. 320
IV. ex ſtylo Epiſtolarum S. Cypriani pro rebaptiſmo. 321
V. ex illuſtri exemplo S. Columbani. 322
VI. ex Epiſtola LXXVII. S. Cypriani ad Martyres in metallo. 325
VII. ex lib. 5. S. Auguſtini contra Donatiſtas de Baptiſmo cap. I. 326
VIII. ex præcipuo, quod per haſce literas ſummæ Rom. Pontificis poteſtati in univerſam Eccleſiam affertur præſidium. 327

SY-

SYNOPSIS DISSERTATIONIS III.

Pars I.

De Canonibus vulgo Apoſtolorum &c.

Præfatio. 331

I. Canones XLV. & XLVI. Apoſtolorum neque a Donatiſtis, aliiſve Hæreticis; neque poſt Collationem Carthaginienſem commenti, obtruſique fuerunt Collectioni Canonum. 332

II. Prius apud Græcos extiterunt, & ante Nicænum Concilium quam in Latinorum notitiam devenerint Apoſtolorum Canones. 335

III. Celebre Decretum de Libris recipiendis, & rejiciendis diverſis adjudicatum Pontificibus; & varia de his Canonibus Iſidori Merc. autoritas examinatur. 338

IV. Cum Græcis nullum unquam Donatiſtis commercium fuit; & nulla ſocietas. 341

V. Objectionibus Epiſtolæ criticæ haud ſatis factum eſſe demonſtratur. 343

VI. Quo pacto Dionyſius Exiguus duos Canones pro rebaptiſmo inter Apoſtolicos recenſuerit poſt expreſſam rebaptiſmi per Arelatenſe Concilium damnationem. 346

VII. Explicatio Binii vindicatur, eaque Hadriani I. fuiſſe oſtenditur. Proſecutio argumenti numeri ſuperioris. 349

VIII. De tempore, quo Dionyſius Exiguus ſuam Canonum Collectionem edidit; & de Canonibus in Gelaſiano decreto notatis. 351

IX. Pergitur demonſtrare Canones in Gelaſiano decreto proſcriptos fuiſse Conſtitutiones Apoſtolicas, non L. Canones Apoſtolorum. 353

X. De

X. *De Trullanorum Patrum mente, ac opinione in canonibus II., & XCV. condendis.* 356
XI. *Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ mos, atque diſciplina diverſa. Canones Trullani non evertunt Euſebii narrationem de Cypriano rebaptizante, Stephanique Papæ decretum.* 359
XII. *Canones Apoſtolorum ſunt pars Conſtitutionum Apoſtolicarum. Hæ vero ſunt illæ eadem, quæ antiquis ſeculi III. & IV. Eccleſiæ Scriptoribus innotuerunt quamquam interpolatæ.* 362
XIII. *Conſtitutionum Apoſtolicarum interpolatio, ſive variatio quævis, incertum, an ab Hæreticis patrata. De Canonibus vero Apoſtolorum non item.* 363
XIV. *Canones duos pro rebaptiſmo memoratos cur neque Marcionitæ, neque Cataphryges, aut Novatianenſes, aliive haeretici fingere valuerunt.* 366
XV. *Donatiſtis itidem ut horum Canonum confictio aſcribi non poteſt, ita nec Sinveſſanæ Synodi commentum.* 368

Pars II.

De Papæ judicio comparate ad Concilium pro vindicando S. Auguſtino &c.

I. *Ad dictum S. Auguſtini, quo Gallicanus Defenſor abutitur ad Romani Pontificis poteſtatem extenuandam,* hypotheticum *Syſtema ſupervacaneum eſt.* 371
II. *Gallicani Defenſoris, & Vindicis Cypriani lapſus collatio. Hujus hypotheticum Syſtema convellitur.* 373

III.

III. Provocationem a Papa judicio ad Concilium in cauſſa meri facti fruſtra fieri non colligitur ex loco Epiſt. 43. *S. Auguſtini ad Glorium, & alios. Defenſoris Gallicani, & Vindicis Cyprian. paralogiſmus.* 376
IV. Varia S. Auguſtini hypotheſes adducuntur, & expenduntur. Tam ipſe, quam Jo: Duns Scotus explicantur. 377
V. Ejuſdem Auguſtini locus, quo tradit plenaria Concilia priora ſæpe a poſterioribus *emendari, interpretatur.* 380
VI. Gallicanus Defenſor ex parte rejicitur, & ex parte approbatur. S. Auguſtini pronunciatum de traditione Apoſtolica quomodo exponendum. 382
VII. Quæſtio de Hæreticorum baptiſmo neque tempore S. Cypriani, neque a Stephano Papa declarata eſt. 385
VIII. De cauſſis cogendæ Synodi Oecumenicæ opinio Gallicani Defenſoris, & Vindicis Cyprianici contraria, utraque tamen falſa. 388
IX. Certa S. Auguſtini ſententia de certiſſimo Romani Pontificis judicio etiam poſt interpoſitam ad plenarium Concilium appellationem non firmatur ejus ex ſerm. 2. *de Verbis Apoſtoli loco.* 391
X. Hæreſis Pelagiana facilis, & plana, ac fautorum paucitate munita fuiſſe demonſtratur. 393
XI. Hæreſis Pelagiana non tam obſcura fuit, quantum ſcribit Auguſtinus fuiſſe quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo. 395
XII. De numero fautorum hæreſis Pelagianæ. 398.
XIII. *Comparatio cauſſæ Cyprianicæ cum Pelagiana.* 401
XIV. Recta Auguſtiniani loci interpretatio. Pelagiani Concilium Oecumenicum *non appellarunt.* 404
XV. Alia ejuſdem Auguſtiniani loci explicatio rejicitur. 407

XVI.

Digitized by Google

XVI. *Quam ob cauſſam aliquas hareſes per Synodum damnari neceſſe fuit, aliquas vero non: & ob quas hareſes, cauſaſque Synodi plenariæ, vel Oecumenicæ congregatæ fuerunt.* 410

XVII. *Cauſſa recluditur, ob quam S. Auguſtinus ſcripſit, Cyprianum decreto Stephani Papæ non acquieviſſe, acquieturum vero plenario Concilio, ſi factum fuiſſet.* 413

XVIII. *Altera cauſſa, atque ratio proditur de eadem re.* 416

AD

Digitized by Google

AD DISSERTATIONEM I.

In Epiſtolam Firmiliani.

CAP. I.

Ad num. I. *Nupera per Morellium hujuſce Epiſtolæ promulgatio Latinio non probata. Hanc Eraſmus ignoravit* =

Putabam mihi, fermeque jam deliberaram, verborum nihil ad primas afferendam paginas; quod ea plane contineant, quæ vel minimi ſunt ponderis, vel adeo facilia, & obvia; ut omnes, quid ad ea dicendum ſit, nullo negotio videre poſſent: ſed tandem ad iſtas etiam ſcribendum duxi; & ut hi, qui minime iſtis inſiſtunt, minuſve hæc ipſa perſpiciunt, rem ita ſe habere intelligerent, & quod aliqua, quamquam levia ſunt, ſunt tamen aliqua; quæ quibuſdam ita augeri poſſunt adminiculis, ut videantur interdum & ipſa gravia. In primis itaque animadverto, pluris hactenus factum eſſe Morellii conſilium, & diligentiam in Firmiliani Epiſtola vulganda, quam quæ dicitur prudentia Latinii, & moderatio Pamelii: idque probat nedum multiplex, & varia Operum S. Cypriani recenſio; ſed etiam plurimæ Conciliorum editiones in Italia, & Romæ etiam autoritate Summi Pontificis factæ, in quibus hæc Epiſtola nemine repugnante vulgata legitur. Ad id autem, quod tam diutina Epiſtolæ oblivio magno ſit argumento, majoribus noſtris aut perniciosam viſam fuiſſe, aut falſam; habeo, quo probem illam vel habuiſſe, vel ſaltem legiſſe S. Baſilium, ut infra ad num. XIV. demonſtrabo: poſtea vero quam ipſa quæſtio de Hæreticorum Baptiſmo deſiit agitari, & quidem poſt S. Auguſtinum Baſilio ſupparem; nemini mirum eſſe debet, tam longo eam Epiſtolam eſſe obvolutam ſilentio; cum etiam Cypriani Epiſtolæ ad Stephanum, & ad Jubajanum poſt SS. Hieronymum, & Auguſtinum, qui ſoli earum meminerunt, latuerint uſque ad Eraſmi Rotterdam. tempo-

Digitized by Google

ra: quarum quidem ſi nemo meminiſſet unquam, ob idne aut falſæ eſſent, aut pernicioſæ cenſendæ? Certe nec falſa eſt viſa, ut plurimi contendunt, nec pernicioſa, ut inter omnes convenit, Cypriani ad Stephanum PP. Epiſtola de Marciano Arelatenſi Epiſcopo, & tamen notum eſt, quam diutinæ oblivioni data fuerit. Quod ſi falſa quoque, aut pernicioſa Firmiliani Epiſtola majoribus noſtris viſa fuiſſet; idne ipſis in cauſa fuiſſet, quod juris publici non illam feciſſent? Quam enim multa non falſa, aut pernicioſa, ſed vera, & utiliſſima diutiſſime latuerunt; & utinam non multa pariter hujuſcemodi laterent uſque in hodiernum diem? & quam multa non ſupervacanea, aut confiꝯa, ſed & neceſſaria, & certa cum annis plurimis ſepulta jacuiſſent, tandem viderunt lucem etiam multopoſt hujus Epiſtolæ publicationem? Porro quod ad Eraſmum attinet, ſi is omnium de rebus Eccleſiaſticis criticorum facile princeps multa Cyprianicis elucubrationibus adjunxit, quæ vel ipſo judice notha erant; igitur cum Firmiliani Epiſtolam non addidit, illam ſine dubio non vidit: ut erat enim homo ſumma dicendi libertate præditus; illam ſi vidiſſet, nec ſupprimere, nec ſuum de ea judicium occultare potuiſſet; & uti qui tantopere his de rebus delectabatur, oſtentatorque mirificus erat; & cum nulla ſubſit cauſa, cur id præſtare non debuerit. Illum vero latuiſſe plura quantumvis diligentiſſimum antiquitatis veſtigatorem, manifeſtum faciunt SS. Patrum editiones poſt eum ab aliis elaboratæ; ipſaque, ne ab argumento, in quo verſamur, multum diſcedam, S. Cypriani Operum editio, in qua Eraſmus ſpuriam ejuſdem Cypriani ex Pontio Diacono vitam, vel paſſionem exhibuit; cum veram, legitimamque vulgaverit poſt eum Lipomanus in Vitis Sanctorum; Actaque paſſionis Pamelius; & Paulus Manutius addiderit etiam quintum Epiſtolarum librum.

Ad num. II. *Obeſt magnæ, quæ de Firmiliano extat, ſanctitatis fama* =

FUit quidem Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Antiſtes vir doctrina, religione, ac exiſtimatione magnus, ſed ſanctitate ea, qua coli in terris poſſit, non item: certe a nemine, quod ſciam, antiquorum cultum unquam accepit; mirorque Baronium ad ann. 258. num. 47. a Natali Alex. ſec. 3.,

Fraſ-

Fraſſen. de Sacram. diſp. Proœm. art. 3. q. 3., Pagio ad annum 271. num. 2., Boucato de Sacram. diſſert. 1., aliiſque ſecutum aſſerere, Græcos natalem ejus diem in Menologio venerari perinde ac aliorum Sanctorum conſignatum; & Lupum in Schol. ad cap. 5. Libri Tertulliani de Præſcript. Hæret. tradere, Firmilianum fuiſſe jam Schiſmaticum, mox per pœnitentiam ad pacem rediiſſe, ac eximie Sanctum evaſiſſe; id quod tamen a Baronio hauſiſſe videtur; quorum iſtos divinare dico, illos autem hallucinari: nam in Græcorum Menologio memoratur quidem Firmilianus ad diem VI. Kalend. Novembris, non 28. Octobris, ſed occaſione S. Capitolinæ Mart., quæ ea die colitur, & cujus parentes ibi dicuntur *Chriſtiani doctores, in primiſque magnus Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus*. Quod ſi etiam Græcorum in Menologio coleretur Firmilianus; primum opus illud conſcriptum eſt exeunte ſeculo X, vel initio XI. ab incerto Autore; & quædam continet, quæ aut minus probantur, aut prorſus commentitia ſunt; nec Eccleſia Romana recipit omnes, qui in eo dicuntur Sancti, deinde Occidentalis Eccleſia, potiſſimeque Romana Chriſtianæ diſciplinæ Magiſtra nunquam Firmilianum inter Sanctos admiſit, ut elucet ex Martyrologio Romano, aliiſque antiquis Martyrologis Latinis: & quamquam Petrus de Natalibus eum in ſuo de Sanctis Catalogo recenſet; compertum eſt, Scriptorem hunc parum emendatum eſſe, & quoſdam Catalogo ſuo attexuiſſe, quos Eccleſia Catholica rejicit, improbatque penitus. Utique in poſtrema contra Paulum Samoſatenum Antiochena Synodo Firmilianus mortuus dictus eſt *vir beatus, & felicis recordationis*, ſed ab Orientalibus, qui vel omnes, vel fere omnes cum eo in ea de Hæreticorum Baptiſmo controverſia ejuſdem erant ſententiæ; & qui ſecus ſentiebant, tanquam de re ad diſciplinam pertinente diſſentientem eum, alioſque ejuſdem opinionis nihil erraſſe putarunt. Præterea nedum *Beati* titulus, ſed etiam *Sanctiſſimi*, & piiſſimi olim tribuebatur & vivis & mortuis Epiſcopis non tantum Catholicis, verum & Schiſmaticis, & Hæreticis, & Idolatris Laicis ab ipſis etiam SS. Patribus, uti legere eſt apud Lupum in Schol. ad cap. 40. Tertull. de Præſcript. Hæret., & Card. Baronius ad ann. 260. num. 22. oſtendit, Epiſcopos quantumvis moribus depravatis jure *Sanctiſſimos* eſse dicendos. Hac de cauſa S. Hieronymus in Dial. adver-

ſus Lucifer. Calaritanum Antiſtitem Luciferum in Schiſmate mortuum *Beatum* appellat; Theophiluſque Alexandrinus Epiſcopus ob ea, quæ in S. Joannem Chryſoſtomum egit, extra communionem Romanæ, & Occidentalis Eccleſiæ vita functus a S. Leone M. in Epiſt. 52. 64. 65., ac 97., a Gelaſio Papa in decreto de Libris recipiendis, vel rejiciendis, a Vincentio Lirinenſi in Commonitorio cap. 42., a S. Cyrillo Alexandr. in Prologo Paſchali, a Proterio Epiſc. Alex. in Epiſt. ad Leonem M., a Concilio Epheſ. Act. 1., a Synodo V. Coll. V., & a Concilio Rom. Martini I. Act. V., atque Juſtiniano Imp. in Epiſt. ad Menam CP. Epiſc. de damnando Origene dicitur *Sanctus*, *Sanctiſſimus*, *Sanctæ memoriæ*, ac *beatiſſimus*; & qui ſcribunt, eum prope mortem Chryſoſtomi iconem eſſe deoſculatum, uſi ſunt libro *de Imaginibus* Damaſceno Joanni ſuppoſito; cum factum S. Cyrilli Alex. ſucceſſoris, & nepotis Theophili huic refragetur. Theodorus Mopſveſtanus Epiſc. multarum hæreſum aſſertor *beatus* vocatur a S. Cyrillo Alexandrino in Epiſt. ad Proclum CP. Epiſcopum apud Facundum Hermian. lib. 3. cap. 6., & Joannes Jejunator Epiſcopus Conſtantinopolitanus, quem & Pelagius II., & Gregorius M. ob titulum *Oecumenici* uſurpatum pluribus Epiſtolis exagitarant, & de quo S. Leo IX. in Epiſt. 1. ad Michaelem CP., & Leonem Acridæ Epiſcopos n. 9. ſcribit *pro præſumptione a beatis Pontificibus Pelagio, & Gregorio digna perculſum excommunicatione*, & in Epiſt. 6. ad eundem Michaelem CP. *a beatiſſimis Pontificibus Pelagio, & Gregorio, ſucceſſoribuſque eorum anathematizatum in ſua pertinacia irrevocabilem* periiſſe, a S. Gregorio M. Epiſt. 64. lib. 5., Epiſt. 6. lib. 6., & Epiſt. 70. lib. 7., etiam cum vivere deſiiſſet, appellatur *Sanctus*, *Sanctæ memoriæ*, & *Sanctiſſimus*; in Synodo VII. Act. IV. *Sanctæ memoriæ*, & a S. Iſidoro lib. de Viris Illuſtr., ac Sophronio Epiſc. Hieroſolym. apud Photii Bibliothecam c. 231. *veræ virtutis domicilium*. Tandem ſi Sanctus etiam vere Firmilianus fuiſſet, num ob hanc rem ipſi abjudicanda eſſet ea ad Cyprianum Epiſtola? Cur non potuit in ea ipſe opinione eſſe, uti, quantum ſuſpicari licet, fuit, Stephanum PP. erraſſe aut eam traditionem jactando, quæ non eſſet; aut ad eam alios compellendo, ad quam compellere non deberet? Quod ſi ita fuit affectus; quæ non debuit, aut non

potuit

potuit quamquam Sanctus in hominem Cathedram Petri quidem occupantem, ſed tramitem devium vel calcantem, vel alios minus recte redarguentem, totique Eccleſiæ parum utiliter conſulentem zelo religionis effundere? At in perſonam Stephani Papæ multa dixit aſperius Firmilianus, multa probroſe, ac petulanter: Concertationum iſta, & opinionis juſtæ cauſæ ſunt facta, non Firmiliani; minuit enim cujuſcunque perſonæ rationem peſſundatæ juſtitiæ conſideratio, quam ſe ſe habere nec prorſus temere putabat Firmilianus. Vel ſi error fuit ita ſcribere in Stephanum, cur errare non potuit Firmilianus; cum erraverit & Petrus, erraverint & alii ſanctimonia vitæ clariores? Novatianum autem cum Firmiliano conferre neſcio, quis unquam velit, vel ob hanc cauſam poſſit: primum quid ille in Stephanum, aut Cornelium, alioſque Catholicos, effuerierit contumeliarum, nemo ſcire poteſt; cum ejus de hac re ſcripta non extent; nec Cypriani erat illa referre, quæ in hunc, vel illum commotus Novatianus maledicentiæ jacula contorſerit; ſed mala, quæ peſtiferum dogma inferre Eccleſiæ cernebat: deinde novi Schiſmatis Princeps is erat, qui non haberet, quem ſequeretur; quique a nemine melius deſcribi poſſet, quam a S. Cypriano; at Firmilianus & veterem, & late patentem traditionem, conſuetudinemque rationibus etiam, & Conciliis pluribus ſuffultam oſtentans aliquos in contrariam opinionem abductos non editis libris, & voluminibus, ſed per Epiſtolam liberiori ſtylo poterat vel notare, vel illis reponere. Et cum additur, duo fuiſſe ſub Stephano, vel etiam ſub Cornelio præcipua diſſidia Schiſma Novatianum, & Anabaptiſmum; tertium quoque memorari poterat Feliciſſimi Africani Schiſma Novatianiſmo penitus oppoſitum, quod lapſis omnibus quocunque tempore, nullaque præmiſſa pœnitentia indulgentiam concedebat; quodque, ut ſentit Baronius ad ann. 254. num. 38., primam Schiſmaticis *Monteſiis* originem dedit: verum cum Schiſmata Eccleſiæ unitatem ſine dubio commacularent, inficerentque; Anabaptiſmus tamen Aphrorum, & Orientalium, de quo ſermo eſt, non item Apoſtolorum traditionem judicio Cypriani, & Firmiliani, qui traditionem illam a Stephano jactatam neque fuiſſe Apoſtolorum, nec eſſe potuiſſe contendebant; & ſane ne Stephanus ipſe quidem traditionem Apoſtolorum appellavit, ſed ſolum traditio-

ditionem dixit: *nihil innovetur*, inquit, *niſi quod traditum eſt*. Poſtremo ſi ad ſacræ Rituum Congregationis examen deferatur conſimilis Epiſtola cujuſpiam Servi Dei Chriſtianis vel virtutibus præclari, utique nunquam ipſe in Sanctorum Faſtis deſcribetur: Sed ſi etiam ad eandem Congregationem quiſquam Chriſtianis virtutibus quamvis eximius, qui tamen Romano Pontifici ita refractarie obſtiterit, ut anathematis aut comminationem, aut ſententiam ad ſe attraxerit, deferatur; in eundem ſcopulum impinget; cujuſmodi quidem Firmilianus fuit; uti produnt Epiſtolæ S. Dionyſii Alexandrini apud Euſebium.

Ad num. III. *Firmiliani fidem commaculat* =

QUum igitur oſtenſum ſit, hanc Epiſtolam non adimere Firmiliano ſanctitatem eam, vel quam ipſe nunquam habuit, vel ſi quam unquam habuiſſet; nunc etiam oſtendendum eſt, multominus ei fidem adimere Catholicam. Nam primum falſum eſt, Autorem Epiſtolæ, ut quidam ex ipſa ſe habere arbitrantur, opinioni Quartodecimanorum adhæreſcere; idque demonſtrabitur infra ad Not. IX. Cap. II., & ſi adhæreſceret etiam, non continvo hæreſis labe conſperſum pronunciare debemus, ut ibi videbitur: probari deinde oportet, Stephanum PP. in illa de Hæreticorum Baptiſmo quæſtione & decretum ex Cathedra, & in cauſa fidei interpoſuiſſe; non autem privatum in cauſa diſciplinæ reſcriptum, quod alias fuſius examinabitur. Firmilianus enim neque Romani Pontificis certiſſimum, neque in cauſa fidei judicium, & in univerſa Eccleſia Primatum multimodis peſſundedit, ſed unius Stephani decretum, vel reſcriptum in cauſſa diſciplinæ diverſæ; quæ quidem ejuſcemodi quantum reformari, immutarique poſſint, apparet ex C. *Quanto* de Divortiis, ex decreto Bonifacii II. de ſucceſſore ſibi viventi deligendo, & ex aliis plurimis. Quod ſi Fellus unus hac abutitur Epiſtola ad Romani Pontificis & judicium, & Primatum ſubvertendum, cæteri tamen Hæretici, & Schiſmatici, qui utrumque labefactare niſi ſunt, nihilo ſunt uſi minus quam ea ipſa, non quam non norint, ſed quam parum ad rem conducere judicarint: nam quod Firmilianus Stephani perſonam, & definitionem tam inurbane tractaverit; non ex eo ducere debebat Fellus, eum mini-

minime opinatum eſſe, Stephanum fuiſſe univerſalem Eccleſiæ Paſtorem, & controverſiarum *infallibilem* judicem; ſed eum credidiſſe, Stephanum in errorem incidiſſe; propterea quod momenta quædam ſunt, in quibus Romanum Pontificem errare non poſſe ſubſcribunt; & quædam quoque ſunt, in quibus eum errare poſſe, & erraſſe fatentur: Certe & Card. Baronius, & cæteri Scriptores Catholici Stephanum VI. al. VII., & Joannem XII. tradiderunt univerſales fuiſſe Eccleſiæ Paſtores, & controverſiarum judices, qui errare non poſſint; attamen omnibus innoteſcit, quidnam de illis iſti ſcripſerint; peſſima quidem ſcripſerunt iſti, iccirco quod illi peſſima feciſſe dicuntur. Poſtea quid ſi etiam Firmilianus, vel quiſpiam alius opinatus eſset, Stephanum non fuiſse univerſalem Eccleſiæ Paſtorem, certumque controverſiarum judicem; num propterea Fellus viciſſet cauſsam? num Romani Pontificis Primatus ob hanc cauſam cecidiſset? non ſi de uno Stephano, ſed neque ſi de omnibus Pontificibus Romanis ita ſenſiſsent, ſcripſiſsentque: non enim Scriptoribus quibuſcunque, qui & errare, & partium ſtudio abduci poſsunt; ſed Scripturæ ſacræ, divinæque, ac libris Canonicis potiſſimum inniti tradunt iſtud de Romano Pontifice dogma. S. autem Cyprianum illis ad Cornelium in Epiſt. 55. verbis: *neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata Schiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur; nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitetur &c.* non loqui de Romano tantummodo Sacerdotio, ſed de uniuſcujuſque Eccleſiæ Epiſcopo, videbitur alias ad num. III. Prop. IV. Theor. VI.; & quamquam facile & ego puto Romani Pontificis vindicare Primatum præſertim adverſus librum vel Epiſcopi Meldenſis, vel illi ſuppoſitum; non tamen faciliimum ex his, quæ habemus, S. Cypriani monumentis, opuſculiſque. Cæterum quoquo modo Clerus Gallicanus de ſummi Pontificis judicio cenſuerit; Firmilianus certe id temporis, & ea in cauſa impune potuit Stephani decreto refragari ob ea, quæ dicta ſunt, & quæ poſthac dicentur; non enim eam vindicabat ſententiam, quam ſoli quinquaginta Epiſcopi Orientales, & paulo plus ſeptuaginta Epiſcopi Afri propugnarent, ut legitur apud S. Auguſtinum lib. 2. contra Creſcon. cap. 3., quod quidem S. Doctor ita ex ipſo Cre-

Boſsueti

Creſconio refert, ut quærat lib. 4. contra eundem cap. 17.; an poſſit probari: *ſi hoc ab aliquibus paucis Orientalibus factum eſt; quod quidem intereſt, utrum poſſit oſtendi:* tam multa Aphros ad eam quæſtionem attinentia latebant, eodem Auguſtino teſte lib. 2. de Baptiſmo cap. 4., ſed quam Africa tota, totus fere Oriens tenebat ex S. Dionyſio Alexandrino in multis, ac maximis Conciliis firmatam. Sic & Hieronymus Epiſt. 82. ad Oceanum defendit eum poſse eſse Præsbyterum, & Epiſcopum, qui ante Baptiſmum uxorem habuit, eaque defuncta poſt Baptiſmum aliam duxit; nec eum eſse bigamum, neque id contra Apoſtoli dictum, oportere Epiſcopum eſse unius uxoris virum; quamquam ſciret Romæ contrarium & affirmari, & a Siricio Papa eſse definitum; ſed quum videret alibi paſſim eam opinionem ſervari, ab ea nec ſibi diſcedendum duxit; ait enim: *miror autem te unum* (Epiſcopum) *protraxiſſe in medium, cum omnis Mundus his ordinationibus plenus ſit; non dico de Præsbyteris, non de inferiori gradu; venio ad Epiſcopos, quos ſi ſingulatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis Synodi multitudo ſuperetur:* quantumque ea ſententia latius etiam accepta invaluerit in Oriente, legere eſt Theodoretum in Epiſt. 110. ad Domnum Antioch. Epiſcopum.

Ad num. IV. *Deſunt literæ S. Cypriani miſſiciæ, quibus hac Epiſtola a Firmiliano reſponſum fuiſſe cenſetur*

Quod inquiritur de S. Cypriani ad Firmilianum Epiſtola; quæ, quantum ex Firmiliani ad eam reſcripto intelligimus, pene eadem continebat non tantum quæ ad Pompejum, ut ſentit Baronius ad ann. 258. n. 43., ſed etiam quæ ad Jubajanum, & quoſdam alios; ajo non occultatam fuiſſe, ſed vel periiſſe, vel adhuc cum pluribus aliis ejuſdem generis latere; nec unam hanc, ſed plurimas deſiderari ex his, quæ S. Martyris certo fuere; cum in una ad Clerum Romanum, & in alia ad Calidonium Epiſc. epiſtola de lapſis ſcribat: *Sicut & Collegis meis plurimis ſcripſi:* quarum literarum vix unæ ad ipſum Calidonium ſuperſunt. S. enim Cyprianum etiam in hac de Hæreticorum Baptiſmo quæſtione non ad unum Firmilianum, nec ad unum Pompejum, paucoſve alios, ſed ad plurimos dediſſe literas mihi perſuaſum eſt; quemadmodum S. Irenæus Epiſc. Lugdun. in cauſa diei Paſchatis celebrandi ſcripſiſ-

ſe dicitur *non ad Victorem* (Papam) *ſolum*, *ſed & ad alios pleroſque*, *ac diverſos Eccleſiarum Præſides*, uti refert Euſebius Hiſt. lib. 5. cap. 25., quarum tamen Epiſtolarum nonniſi fragmentum illius ad Victorem habemus. Numquid autem ambigemus, vel falſam dicemus Cypriani ad Cornelium PP. Epiſtolam 42., quia in ea ſcribit: *quid hic actum ſit*, *ut ſcire poſſes*, *literas ad te Collegæ noſtri manu ſua ſubſcriptas miſerunt*: & Collegarum literæ non extant, extat autem hæc ejus? aut Epiſtolam 55. ad eundem Cornelium, iccirco quod perierunt binæ Cornelii ad eum Epiſtolæ, quæ in ea commemorantur, iſta vero non periit? Non temere igitur Launojus ſpuriam dixerit Cypriani ad Stephanum PP. de Martiano Arelat. Epiſcopo epiſtolam 67., eo quod binæ Fauſtini Lugdunen. Epiſcopi ad eum, aliæque Gallorum Epiſcoporum ad Stephanum literæ, quas ibi Cyprianus ſcriptas fuiſſe ſignificat, nuſquam inveniantur, iſta vero legatur. Implerem librum, finemque ſcribendi vix facerem, ſi cunctas, quæ ex uno Cypriano ſunt vel ejus ad alios, vel aliorum ad eum, Epiſtolas amiſſas vellem enumerare. Similiter deperditæ ſunt literæ Joannis Epiſcopi Hieroſolym. ad S. Epiphanium, non eſt autem deperditum hujus ad eum reſponſum durum, & acerbum, quinimo & e Græco in Latinum translatum, idque a S. Hieronymo; nec ob id a quoquam in dubium vocatur Epiſtola Epiphanii: Caremus etiam literis Orientalium Euſebianorum ad Julium Papam in cauſa S. Athanaſii; quamquam apud eundem Athanaſium Apol. 2. Julii reſcriptum ad illos, & quidem Græce tantum habemus. At quis eſt demum, qui cuncta poſſit; aut ſi poſſet, velit & ſcripta, & reſcripta, quæ ſunt amiſſa, tempus terendo recenſere?

Ad num. V. *Deeſt & græcum exemplar Epiſtolæ Firmilianicæ. Multum derogat Cypriani charitati*, *ſi Firmiliani reſponſum in vulgus prodidit; multo etiam magis*, *ſi in latinum vertit* =

QUeſnellus in diſſert. ix. ad Opera S. Leonis Papæ cum eſt probare conatus, *Actionem*, quæ inſcribitur de Domno Antiocheno Epiſcopo, & Actis Concilii Chalcedonen. poſt Act. x. inſerta eſt, hoc ipſo falſam, & commentitiam eſſe, quod Actio illa inter omnes alias Chalcedonen. Concilii latine tantum reperitur; probe confutatus eſt a Cl. Baluzio in

Digitized by Google

præfatione ad Concilium Chalcedon., didicitque multa veterum Græcorum ſcripta hodie dumtaxat Latine extare. Nemo certe fuit unquam, qui negarit, vel in dubium vocarit latinos S. Irenæi libros adverſus Hæreſes, propterea quod Græcum exemplar non extet: deeſt etiam textus græcus Epiſtolæ Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani contra Ibam Edeſſenum ſcriptæ, quæ latine legitur in Collat. VI. Synodi V., & tamen qui de ea hæſitaret, hactenus fuit nemo. Poſtea undenam iſta neceſſitas quærendi græcum exemplar Firmilianicæ Epiſtolæ, quærendi interpretem, iſtum credendi fuiſſe Cyprianum? An quia græcus erat Firmilianus? Non erat Carthagine, non erat in Africa, qui ſciret græce? Non Cæſareæ, non in Cappadocia, qui latine? Si in toto Orbe Romano frequentiſſimi utriuſque linguæ ludi aperti erant; ſi Photinus Gallogræcus Cappadociæ Provinciæ proximus libros partim græce, partim latine ſcripſit, uti memoriæ prodidit Vincentius Lirinen. in Commonit. cap. 16., ſi Tertullianus Afer, ac Latinus de Baptiſmo libros latine, & græce reliquiſſe ſcitur; cur non potuit Afer, ac Latinus Cyprianus ad Græcum hominem græce ſcribere, & Firmilianus Græcus ad Latinum latine reſcribere? At Stylus, inquiunt, Cyprianum prodit; id ego inficiari non vereor; quum enim Epiſtolas 46., & 48. Cornelii PP., 2. 26. 30. & 31. Cleri Romani, 19. & 39. Caldonii Epiſcopi, aliorumque ad Cyprianum, nec non 78. 79. & 80. Confeſſorum in metallo conſtitutorum ad eundem inter Cyprianicas, atque aliorum Confeſſorum in Africa ad Fratres univerſos apud Surium tom. 1. die 24. Februarii revolvo, & ipſas cum illis Cypriani confero; tantam video inter utraſque ſtyli ſimilitudinem, ut unius Scriptoris eſſe mihi videantur omnes; & ut illius ſeculi potius quam unius Cypriani ſtylus judicari poſſit. Mihi ſane haud facile probari poteſt, Firmiliani Epiſtolam a Cypriano latine factam fuiſſe; quoties adverto, autoritates Sacræ Scripturæ ea in Epiſtola alterius eſſe verſionis, ac ſint illæ Epiſtolarum Cypriani; Firmilianica enim habet: *quotquot in Chriſto tincti eſtis &c.* 74. vero Cypriani ad Pompejum: *quotquot in Chriſto baptizati eſtis &c.*, item in illa legitur: *& a fonte alieno ne biberis;* in hujus vero 70. ad Numidas: *ut a fonte aquæ alienæ ne biberis &c.* Quod ſi Cyprianus quoque Firmiliani Epiſtolam vertiſſet in lati-

latinum ſermonem, id non ad conciliandos ſibi Africanorum animos, quos & addictiſſimos habebat, & opinioni ei jam aſſuetos, egiſſet; ſed ad illos magis confirmandos; cum inde intelligere poſſent, non ſe ſolos, ſed etiam in Oriente plurimos, & ſpectatiſſimos præcipuarum Sedium Antiſtites eam ſequi ſententiam, quam & Conciliis firmatam, & immemorabili conſuetudine ſtabilitam declarabant. Quod autem ſatius fuiſſet græcam, quam latinam evulgare ad certam, & ſine dubio fidem aucupandam; aut columnis duabus diſtinctam græce, & latine promulgare: frigidum quid, & affectati nonnihil redolere dicent; quodque eſſet etiam ex S. Hieronymo quærendum, cur quando latinam fecit S. Epiphanii ad Johannem Epiſcopum Hieroſolym. Epiſtolam, qua præſertim Epiphanius illum admonet, ut ab Origenis erroribus abſtineat; nec non Epiſtolas Theophili Alexandr. Epiſcopi ad Epiphanium, & ad ipſum de Origeniana hæreſi damnanda, aliaſque Paſchales literas, non ita ſe geſſerit? Nec tantum ab uno Hieronymo, verum & a plurimis viris ingenio, ac ſanctitate præclariſſimis, qui vel græce, vel latine, vel alias in linguas Opera tranſtulerunt de fide, aut diſciplina Eccleſiaſtica tractantia, id ſciſcitandum eſſet. Cyprianus pariter ſi eam Epiſtolam latine vertiſſet, non novas excitaſſet turbas, nec unitatem conſcidiſſet; cum id hoc præſtitiſſet poſt mortem Stephani Papæ, poſt quam & ipſa Epiſtola conſcripta fuit, ut ſuo loco demonſtrabitur: mortuo autem Stephano, Sixtus ejus ſucceſſor literis potiſſimum Dionyſii Alexandr. Epiſcopi perſuaſus deſtitit, abſtinuitque a quæſtione illa, atque omnes ſivit uti more unumquemque ſuo; qua quidem controverſia hoc modo ſopita, longe aberat ſchiſmatis, unitatiſque ſcindendæ periculum, etiam vulgatis Epiſtolis durioribus, quæ a partium ſtudioſis magis calori diſputationis, quam efferatis animis tribuebantur; ut manifeſtum ſit ex Epiſtola Cypriani ad Pompejum, quæ ſive falſa dicatur, ſive vera; extabat ſeculo ſequenti parum propitia Stephano PP., & tamen inter Romanos, & Afros nullum ſuſcitavit diſſidium, & nullum ſchiſma, ſed nec ſanctitati Cypriani legitur unquam obfuiſſe. In tempore namque monuit Card. Baronius ad ann. 259. n. 5. diſpares eſſe controverſias, quibus inter ſe Catholici viri invicem adverſantur, ab illis, quibus Hæretici, & Schiſmatici conflictantur;

tur; iis innatum eſſe cum ſibi altercantibus vehemens, ac prorſus implacabile odium cum livore conjunctum, ut nullo officio demulceri poſſint, aut ratione convinci; illos vero inſtar Columbarum, poſtquam mutuo rixati fuerint, mox oſculo ſanctæ pacis Catholicæ concordiæ ſymbolo ſe invicem complectentes amice, fraterneque ſalutari: quod in hac cauſſa factum fuiſſe autumat S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 25., cum de Cypriano, ac Stephano contendentibus ſcribit: *ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignetur; vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut &c.* Quare quod Chriſtus perhibet Matth. 5. *qui dixerit fratri ſuo Raca, reus erit Concilio &c.* recte ſe habet; ſed cum & Protomartyr Stephanus Act. 7. Judæos appellaverit coram proditores, & homicidas; & Paulus Apoſtolus Galatas inſenſatos, Cretenſes ſemper mendaces, malas Beſtias, ac ventres pigros; Elymam filium Diaboli, doloſum, & fallacem; Ananiam vero parietem dealbatum Act. 13. & 25., intelligendum eſt; uti cum antea Chriſtus dixerat: *omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio:* quo loco Græca exemplaria habent additum, *fratri ſuo εἰκῆ*, ideſt temere, & ſine cauſa; cæterum ubi ſubeſt cauſa, Deus ipſe dicit Pſalm. 4. *iraſcimini, & nolite peccare;* ad quæ verba S. Jo. Chryſoſtomus inquit: *licet juſte iraſci, nam & Paulus Elymæ ſuccenſuit, & Petrus Saphiræ; ſed id non iram dixerim abſolute, ſed philoſophiam, curam, & œconomiam &c.* & hom. 16. in cap. 5. Matth. *qui iraſcitur, inquit, fratri ſuo ſine cauſa, reus erit judicio; non enim omnino iſtum extinxit affectum; primo quidem &c. deinde quia etiam multis utilis eſt affectus iſte, ſi illo videlicet opportune, ac ſcienter utamur. Itaque conſidera, quam ampla quondam bona operata ſit ira Paulli &c. Non ergo ipſum iraſci malum eſt, ſed importune, ac leviter iraſci:* hom. vero 16. c. 5. *occidit Phinees hominem, & reputatum eſt illi ad juſtitiam &c. Petrus geminum fecit homicidium &c. non ſola igitur reſpiciamus opera, ſed tempus, & cauſam, & voluntatem, & perſonarum differentiam, & quantacunque alia ipſis operibus acciderint, diligentiſſime inquiramus:* Autor etiam Operis imperfecti hom. 11. in Matth. legit: *qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit judicio, ergo qui cum cauſa iraſcitur, non erit reus: nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia ſtant, nec crimina*

com-

compeſcuntur; juſta ergo ira mater eſt diſciplinæ: itaque non ſolum non peccant, qui cum cauſa iraſcuntur; ſed contra &c. nec his diſſentit S. Auguſtinus ſerm. 16. in Matth., & lib. 14. de Civit. Dei, aliiſque in locis; nec non S. Gregorius in cap. 5. Job.

Ad num. VI. *Suppoſita demonſtratur ex ſummo, perpetuoque Scriptorum ſilentio tum Cypriano coævorum, tum ſequiorum, ſed tamen antiquiſſimorum, ac primum S. Dionyſii Alexandrini* =

SI cui unquam minus obfuit Scriptorum ſilentium, quod argumentum *negativum* quidam vocare ſolent; id nimirum Epiſtolæ Firmilianicæ contingat oportet: nam quantum ad S. Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum, cum ejus opera fere univerſa exciderint; & Epiſtolæ, quas de hac quæſtione *plurimas* teſte Hieronymo in Script. Eccleſ. edidit, nedum non paucæ, ſed paucarum ſolummodo fragmenta apud Euſebium legantur; quis eſt, qui poſſit affirmare, eum Firmiliani Epiſtolam non memoraſſe? quamquam eo facile adducor, ut rear, eam Epiſtolam ad Dionyſium Alexandrin. neutiquam perveniſſe & propter perſecutionem Valeriani in Chriſtianos excitatam eo anno, vel inſequenti, quo ipſa, non vivente Stephano, ſed mortuo, ut infra dicetur, ſcripta eſt; Dionyſiuſque, ac Cyprianus in exilium acti; & quod minus neceſſe eſſet, unam Epiſtolam ubique divulgari, & quoquoverſum tranſmitti maxime ad Dionyſium, cui mens, atque opinio Firmiliani ſatis comperta erat. Illud autem perſuaſum habeo, in tanta controverſia innumeras fuiſſe ſcriptas Epiſtolas; id quod alii quoque perſuaſum habere debebunt; nam ſi unus Dionyſius ea de re, ut paulo ante dictum eſt, *plurimas* edidit; cæteros etiam cum Orientales, tum Afros, & Occidentales Epiſcopos pro ſua quemque ſententia plures conſcripſiſſe credendum eſt: ſed non omnes ad hæc uſque tempora perveniſſe, nec omnes itidem commemoratas unquam eſſe; cum id neque neceſſe fuerit: Dionyſius certe ſcripſit in hac cauſſa ad Stephanum, & Sixtum PP., ad Philemonem, & Dionyſium Præsbyteros Romanos, quos omnes illi reſcripſiſſe nemini dubium eſſe poteſt; & tamen neque reſcripta extant, neque illa memorat aut Dionyſius, aut Eu-

ſe-

ſebius, vel antiquorum alius: & ſi plurimarum Dionyſii ne unam quidem Cyprianus nominat; quid mirum, ſi unam Firmiliani non meminit Dionyſius Epiſtolam? Cæterum Dionyſium Alexandrinum noviſſime adhæſiſſe rebaptizantibus, nec turpiter conjicit Launojus, nec mira licentia Pearſonius affirmat; & quæ Tillemontius, ac Dupinius in contrarium eſſe putant tum literas ipſas Dionyſii, tum rem ipſam, nihil evincunt: non res ipſa; nam cum ajunt, qui fieri potuit, ut Dionyſius pro aliis intercederet, qui & ipſe erat ejuſdem criminis conſors? brevi quidem, ſed tamen ſatis huic occurrit Baronius ad ann. 258. n. 48., & ſane Dionyſius alios patrocinatus eſt præſertim apud Stephanum PP., ut illa ejus Epiſtolæ ex lib. 7. Hiſt. Euſebii cap. 4. verba teſtantur: *atque ut pro his omnibus illum deprecarer, Epiſtolam ſcripſi:* tamen nihilominus adhuc ſub Sixto PP. ſententiæ rebaptizantium adhærebat, ut oſtendit Pagius ad ann. 256. n. 15. ex ipſius Dionyſii Epiſtolis; Quapropter ex ipſa re, atque facto aut non probatur mutaſſe ſententiam; aut ſummum probatur, in ea Stephani ſententia fuiſſe Dionyſium, dum alios patrocinabatur, quod ſub initium controverſiæ factum eſt; at in ea perſeveraſſe noviſſime, iſtis non probatur. Neque ipſius literæ id evincunt; unæ enim tantum in hanc rem adduci poſſunt, quæ extant apud Euſebium lib. 7. cap. 8., quibus de quodam ab Hæreticis prave baptizato, & in Eccleſia a Catholicis rebaptizari flagitante Sixtum Papam conſulit, ſcribitque ſe minime auſum eſſe eum rebaptizare: Sed quis jure non ambiget, Dionyſium ita egiſſe cum Sixto, quo illum tacite commonefaceret, Hæreticorum baptiſmum illis maxime temporibus, & plerumque *plenum eſſe impietatis, & blaſphemiæ;* quale dicit fuiſſe baptiſma ejus, qui iterum tingi efflagitabat; ac proinde tutiorem ſibi videri Orientalium, & Afrorum opinionem de Hæreticorum iterando baptiſmate? Ecquis enim in animum facile inducet, Dionyſium hominem doctiſſimum, & Baſilii M. teſtimonio Canonum peritiſſimum ignorare, aut dubitare potuiſſe de re tam aperta, ac manifeſta, ut eſt de baptiſmo *impietatis, ac blaſphemiæ pleno*, an iterari deberet; præſertim cum ipſe faſſus ſit, baptiſmum illum irritum fuiſſe, ac nullum, quippe qui affirmavit, non Hæreticorum baptiſma, *ſed diuturnam illam communionem, qua fuerat cum fidelibus ſocia-*

ciatur, ſatis habere virium ad ejus animum purgandum? quod quidem error eſſet, ſi ex animo diceretur. Poſtea cur non potuit ſub Pontificatu Stephani, & etiam ſub initium Sedis Sixti PP. Romanæ Eccleſiæ ſententiam tenuiſſe, & cum pro aliis intercedebat, & cum Sixtum de eo ab Hæreticis baptizato conſuluit, moxque in oppoſitam opinionem ſenſim deſcendiſſe? Dionyſium enim in eorum opinionem, qui Hæreticos rebaptizari debere tradebant, iviſſe ſuadent & Hieronymi verba de Scriptor. Eccleſ. *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens de Hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas;* & factum S. Petri Alexandrini Epiſc., qui, ut ſcriptum reliquit Sozomenus, Meletii Schiſmatici baptiſma improbaſſe fertur; & Libri S. Athanaſii Alexandr. Epiſcopi, quibus palam docet Hæreticorum baptiſma irritum eſſe, ac nullum; hiſque ſuſpicari poſſe videtur, eam opinionem ante in Eccleſia Alexandrina extitiſſe, & ipſam Dionyſium quoque eſſe ſecutum. Alexandrinus quidem Antiſtes Hæreticos non baptizabat, ſed eos dumtaxat, qui jam in Eccleſia aqua ſalutari perfuſi fuerant, ut Dionyſius ipſe Alexandrinus ſcribit in Epiſt. ad Philemonem Præsbyterum Rom. apud Nicephorum Callixti lib. *6.* cap. *9.* referens, uti Heraclas ſuus in Sede Alexandrina prædeceſſor illos, qui a Catholicis defecerant, & ad Hæreticorum caſtra transfugerant, cum ad Eccleſiam Catholicam revertetentur, ſolitus ſit admittere, *nihil prorſus in eis opus eſſe baptiſmo alio judicans, ſacrum enim id lavacrum antehac ab eo obtinuerant;* vel ut apud Euſebium lib. 7. cap. *6.* legitur: *cum & ipſi jam ab eo Spiritum Sanctum accepiſſent*: quod & Cyprianus in Epiſt. ad Quintum, ac Pompejum, & Firmilianus ad Cyprianum idipſum ſe conſueviſſe conſcribunt. Porro Sozomenus lib. 1. cap. 14. tradit, S. Petrum Alexandriæ Epiſcopum fautores Meletii Schiſmatici abdicaſſe, ejuſque baptiſma improbaſſe, & ob hanc cauſſam Arii in ſe odium concitaſſe: nec me fugit, nonnullos Nicephoro Callixti innixos interpretari, vetuiſſe Petrum, ne Meletius in Eccleſia baptizaret; quod an ſatis exprimat Sozomeni mentem, plane non video; nam quum ille ſcripſerit Meletium a S. Petro abdicatum, & a dignitate depoſitum, ſupervacaneum erat addere, ei interdixiſſe in Eccleſia baptizare, proptereaquod id depoſitionem, abdicationemque conſequitur.

tur. Deinde propterquid S. Athanaſius in Epiſt. ad Orthodoxos in perſecutione data, cum Georgius Arianus in Alexandrinam Cathedram intruſus eſſet, & Catholicos inſectaretur, ait: *ex iſta violentia multi deſtituti inopia baptiſmatis periclitantur &c., præoptant potius ita ægrotare, & periclitari, quam ut Arianorum manus capitibus ſuis imponi ſuſtineant?* & Felix Papa II. al. III. in Epiſt. 2. ad Zenonem Imp. pro Eccleſia Alexandrina rogans, ut Johannis Alexandr. Epiſcopi expulſionem, & Petri Moggi intruſionem reprehendat, ita alloquitur: *dolet certe pietas tua, quod per diuturnos partis alternæ, graveſque conflictus multi ex hoc ſeculo videantur ablati aut baptiſmatis, aut communionis expertes: ſub hoc Præſule ne ſint baptizati, & efficiantur hæretici &c.* niſi quia Alexandrini arbitrabantur, Arianos, & Petrum Moggum hæreticum, miniſtroſque ab eo conſtitutos Sacramentorum adminiſtrandorum poteſtatem non habuiſſe?

Ad num. VII. *Deinde Euſebii Cæſarienſis* =

DE Euſebio autem Cæſarienſi velim mihi dicant, quid cenſendum, qui librorum, quos Firmilianum de fide, ac religione compoſuiſſe teſtatur M. Baſilius lib. de Spiritu S. ad Amphilochium cap. 29. mentionem non fecit; an tantopere curandum ſit, ſi unius ejus ad Cyprianum Epiſtolæ nuſquam meminerit? quamquam enim medietatem fere dicti libri Baſilii ab Eraſmo, aliiſque pluribus Hererodoxis interpolatam uſque ad finem, depravatamque affirmari ſcio; compertum tamen & illud habeo, extare quoque viros plurimos eruditione haud vulgari, qui contrarium defendunt; tuenturque librum totum eſſe genuinum, & ſyncerum Baſilii opus. Plurimas igitur in hac controverſia, ut dictum eſt, Epiſtolas evulgatas eſſe cum ſit certum; nedum univerſas colligere, & referre opus non erat, ſed & fruſtra factum; quando jam omnibus exploratum erat, Romanum Pontificem, & reliquos forſan alios Occidentis Epiſcopos a plurimis Orientis, & Africæ Antiſtitibus ſententia diſſidere: ſatiſque fuit Euſebio aliquas adducere, quæ ſibi viſæ ſunt magis ad rem, & ad fidem in Hiſtoria ſua poſteris faciendam idoneæ; in qua cum conſtet eum plures diverſorum Autorum Epiſtolas, & Opera prætermiſiſſe; non eſt, quod quis mul-

Digitized by Google

multum laboret credere, omiſiſſe eum unam Firmiliani Epiſtolam: nec eo quod omiſit ille, ullus eſt relictus dubitandi locus, confictam fuiſſe multo poſt Euſebium ab aliquo Donatiſta; nam hac ratione dicendum eſſet, confictam fuiſſe ſeculo XVI., quo Paulus Manutius illam primus commemoravit, antea omiſere omnes: Donatiſtæ vero funditus extincti ſunt ſeculo VI. opera S. Gregorii M., ut refert Joannes Diaconus in Vita ejuſdem Pontificis lib. 3. cap. 1. Num quia neque Euſebius, neque Dionyſius Alexandrinus, neque Pacianus, aut antiquorum ullus, qui de Novatianis egerunt, Epiſtolæ 67. Cypriani ad Stephanum PP. de Martiano Arelaten. Epiſcopo Novatianenſi meminerunt; iccirco ea Epiſtola ſuppoſititia dicetur? hoc certe argumento utitur Launojus, ut oſtendat eam adulterinam eſſe; & tamen eruditorum fere omnium conſenſus veram, ſynceramque eſſe tuetur: a Donatiſtis ne quoque excogitatum dicetur, quod habet Haimo in cap. 14. Epiſtolæ Pauli ad Romanos, quodque Gloſſa ad c. 80. *de trina merſione* diſt. 4. de Conſecr. *Ambr.* tribuit: *in ſuo ſenſu abundabat Cyprianus, cum ſemel immergebat parvulos; quia quod intelligebat, ſtudioſe adimplebat bonis operibus abundando, licet in hoc neſcius delinqueret; ſed quia bonis operibus abundabat, poſtea correptus a Domino abundavit altiori ſenſu ter illos immergendo?* quod quidem factum neque apud Cyprianum uſpiam legitur; neque alius Scriptor occurrit, qui id ei aſcripſerit.

Ad num. VIII. *Tum Sancti Auguſtini* =

MUlto etiam minus quicquam negotii faceſſit, quod S. Auguſtinus nullum de Firmiliani Epiſtola verbum habuerit; cum ipſe teſtetur lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. ſe non omnia noviſſe, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, & literis mandata. Nec eſt, quod quiſpiam maxime miretur, planeque ſtupeat, id, quod Auguſtinus non novit ſummus, hujuſque rei accuratiſſimus Scriptor, multis poſt ſeculis longe inferioribus Scriptoribus innotuiſſe; nec iſtud ſerio opinari idem prorſus eſt, ac ſuæ cauſſæ deſperare: Nam quis eſt, qui nunc, modò aliquantulæ ſit eruditionis, ignoret Synodum Sardicenſem; & inter hanc, & Philippopolitanam diſcrimen, ſeu veram a ſpuria Synodo ſecernere neſciat?

ſciat? utramque tamen latebat Auguſtinum & quidem prope ſua tempora geſtam; latuere eum & Acta Concilii Arelatenſis paulo ante coacti, quæ nunc omnibus etiam eruditulis ſunt manifeſta: præteriitque inſuper eum Epiſtola Cypriani ad Stephanum de Hæreticorum baptiſmo, quam antea jam S. Hieronymus contra Lucifer. adduxerat; ut infra videbitur ad Propoſ. I. Theorem. V., quin quod ipſe fatetur lib. 18. de Civitate Dei cap. 31., ſe invenire non potuiſſe, quo tempore Naum, & Habacuc prophetarint; cum nihiloſecius alii poſt eum facile repererint: quare l. 2. de Baptiſmo c. 5. ait: *& ideo plerumque doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur:* Certe Epiſt. S. Dionyſii Alexandr., quas de Hæreticorum baptiſmate iterando plurimas ſcripſiſſe, ac ſuo tempore extaſſe refert S. Hieronymus in Scriptor. Eccleſ., quis modo eſt, qui & ignoret, & illarum apud Euſebium fragmenta non legat? quarum tamen ne unam quidem attigit Auguſtinus; tantum abeſt, ut ex ejus ſilentio de una Firmillani Epiſtola quiſquam hanc nullam fuiſſe ſit probaturus. Erit fortaſſe, qui exiſtimabit, eum & Firmiliani, & nonnullorum Orientalium Epiſtolas autumaſſe; dum lib. de unico Baptiſmo cap. 14. inquit: *Cum ergo Stephanus non ſolum non rebaptizaret Hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos eſſe cenſeret; ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani literæ oſtendunt:* Id autem non legimus niſi in Epiſtolis Firmiliani, & Dionyſii Alexandrini; [atque ita quidem interpretatus eſt Juenin de Sacram. diſſer. 2. q. 6. cap. 2. art. 3. §. 4.]; aut dum lib. 6. de Baptiſmo c. 1. habet: *nec ob aliud viſum eſt quibuſdam etiam egregiis viris, & Antiſtitibus Chriſti, inter quos præcipue B. Cyprianus eminebat, non poſſe eſſe apud Hæreticos, vel Schiſmaticos baptiſmum Chriſti &c.* nam quinam erant illi egregii viri? non quidem Afri; quorum, dempto B. Cypriano, ſola nominaſciuntur; igitur Firmilianus, Helenus, Dionyſius, & reliqui Orientis Epiſcopi: vel etiam quum lib. 1. de Baptiſmo cap. 7. ſcribit: *quoniam quæſtionis hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare, atque fluctuare; ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque Regionibus diverſa ſtatuta nutaverint; donec plenario*

rio totius Orbis Concilio &c. Nihilominus cum lib. 3. de Baptiſmo cap. 2. ſcribat: *Video tamen, quid adhuc a me poſſit inquiri; videlicet ut reſpondeam veriſimilibus illis rationibus, quibus vel ante Aggrippinus, vel ipſe Cyprianus; vel illi, qui eis ex Africa conſenſerunt; vel ſi forte aliqui ex transmarinis terris, longeque diſcretis nullo quidem ſive plenario, ſive ſaltem Regionali Concilio, ſed Epiſtolari colloquio commoti ſunt; ut hoc eſſe faciendum putarent, quod & conſuetudo Eccleſiæ priſtina non habebat, & poſtea Catholicus Orbis terrarum robuſtiſſima firmitate conſenſionis excluſit:* hæc ſane verba excludere certò videntur agnitionem Epiſtolarum Firmiliani, & Dionyſii Alexandr., in quibus clare plenaria, & Regionalia Concilia commemorantur. Deinde ſi etiam Epiſtolam eam novit Auguſtinus, non ſuæ cauſſæ conducebat eandem proferre, quam nec ipſi quidem Adverſarii, quorum intererat, unquam protulerunt; præſertim cum nec unquam contra eos attulerit leges Imppp. Valentiniani, Gratiani, & Honorii, *ne ſanctum baptiſma iteretur*, in eoſdem latas ex cod. Theodoſ. l. 3. 4. & 5. de Hæreticis; neque decreta generalia Liberii PP. ad Provincias tranſmiſſa, aut Siricii PP. Epiſtolam ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum, in quibus Hæreticorum baptiſma comprobatur; vel plenarium Africæ Concilium ſub Grato Epiſcopo Carthagin. celebratum contra Rebaptizantes.

Ad num. IX. *Poſt Donatiſtarum* =

Et ſi Auguſtinum latuit Firmiliani Epiſtola, quanto magis eadem Donatianos latere potuit, aut debuit? Neminem tamen arbitror extare, qui, quod Euſebium Cæſarien., & Baſilium Magnum, atque Dionyſium Alexandrin. nunquam Donatiani pro ſe adduxerunt, eorum Opera, quæ Anabaptiſmo favent, confiƈta fuiſſe diƈturus ſit. Cæterum Donatiani Schiſmatis propugnatores multa, quæ Rebaptiſmum fovebant, reliqua fecerunt vel ignoratione eorum, vel quod non multum illis fiderent; niſi quis exiſtimet, eos Firmiliani, aliorumque literas ſubindicaſſe illis apud Auguſtinum lib. 3. contra Creſcon. cap. 1. verbis: *quicquid de Cypriani Ven. Martyris, & de quorundam Orientalium literis inferendum putaſtis*. Neſcio tamen, quo paƈto aſſeri poſſit, hanc Donatianis Epiſtolam non innotuiſſe; ſi ipſi ejus confiƈtores

pronunciantur ſupra num. VII., & infra Theor. I. Prop. VII.? Eos autem Auguſtino teſte in celebri Collatione Carthagin. anno 411. omnem vertiſſe lapidem in diſceptatione *de Rebaptiſmo* nuſquam me legiſſe memini neque in Actis illius Collationis, neque in aliis Auguſtini Opuſculis. Acta quidem magnæ Collationis mutila ad nos devenerunt, tamen ex Breviculo Collationis S. Auguſtini, aliiſque monimentis ejus manifeſte habetur, ibi de Rebaptiſmo nequaquam diſceptatum eſſe; ſed triduam totam Collationem in Cæciliani cauſſa, de Eccleſia, Schiſmate, ac Traditoribus abſumptam; ſic & Epiſtola Synodi Cirtenſis anno 412. ad Donatiſtas data, & a S. Auguſtino ſcripta de tribus tantummodo refert in ea Collatione diſputatum fuiſſe, *de Eccleſia, de Cæciliano, & de Traditoribus;* de Baptiſmo autem ne verbum quidem. Sed & idem Auguſtinus in Breviculo Collationis aperte tradit, Donatiſtas in magna illa Collatione nedum omnem lapidem non vertiſſe in diſceptatione de Rebaptiſmo, ſed etiam verba de eo facere refugiſſe; coactoſque, ac provocatos a Catholicis aut reſponſum nullum dediſſe, aut implexa verba protuliſſe: in Collat. enim diei 3. ſcribit, ad id, quod eis objectum erat a Catholicis de Maximinianiſtis Schiſmaticis, *quod baptiſmum ab eis in ſchiſmate datum approbare potius, quam reſcindere, atque iterare maluerint, nec leviter reſpondere tentaverunt: de ipſo etiam baptiſmo, quod in illo mandato a Catholicis dictum eſt &c., aut non intellexerunt; aut id, quod ipſi intellexerant, ne ab aliis intelligeretur, verbis ſuis obſcurare voluerunt:* & paulopoſt: *& illud, quod a Catholicis in mandato dictum eſt, non ideo deſtruendum baptiſmum Chriſti, quia eum etiam Hæretici tradunt &c., ſimiliter aut non intellexerunt, aut obſcurare voluerunt:* lib. vero poſt Collat. cap. 29. *Item quod in noſtro mandato poſitum eſt de B. Cypriano, qui tolerandos potius in Eccleſia malos, quam propter eos Eccleſiam deſerendam &c., attingere omnino auſi non ſunt:* & poſtea: *in eo quod de iterando baptiſmo ſolent proferre; quam nec ipſam de baptiſmo Cypriani ſententiam aperte commemorare voluerunt, ſcientes ſe naufragium facturos:* moxque ſubjungit: *illud teſtimonium Cypriani, quod in noſtro mandato commemoratum eſt, toto ſilentio tranſierunt*. Quod ſi ea in Collatione Donatiani legi *Concilium Cypriani* voluerunt, id egerunt non pro Rebaptiſmi cauſſa, ſed Schiſmatis;

tis; nimirum ut Cirtenſe Concilium infirmarent, ac falſum eſſe demonſtrarent; quod iſtud diem, & Conſulem haberet ex S. Aug. in Brevic. Collat. 3. diei, illud verò Conſule careret. Itaque ſi S. Cypriani, cui tantum illi tribuebant, teſtimonia proferre renuerunt; nemini dubium eſſe debet, eos unam Firmiliani Epiſtolam multomagis præteriſſe: *videbant enim*, inquit idem Auguſtinus ibi cap. 27., *ſi nulla crimina Cæciliani objicerent communioni noſtræ, nihil ſibi remanere, unde ſuam ab unitate ſeparationem quoquo modo excuſarent*: ideoque in magna Collatione toti fuere Donati ſectatores in cauſſa Cæciliani, ac Traditorum excutienda.

Ad num. X. *Tum ipſius S. Cypriani* =

S. porro Cyprianus idcirco nihil habet, ſcribitque de Firmiliani literis, quod eæ ad eum delatæ ſint poſt obitum Stephani Papæ, & poſt celebrationem III. Carthaginenſis in hac cauſſa Concilii, ut alias demonſtrabitur: poſt quæ, ſopita ſub Sixto Stephani ſucceſſore ea controverſia opera, & hortatu S. Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, non amplius de Hæreticorum baptiſmo quæſtionem Cyprianus agitaſſe, aut de ea quicquam ſcripſiſſe ſcitur; vel ſi de ea quippiam ſcripſit, non omnes ejus Epiſtolas extare, atque ad nos perveniſſe jam ſupra oſtenſum eſt. Accedit, paulopoſt reſponſum Firmiliani Carthagine acceptum ſævire cœpiſſe in Chriſtianos Valeriani perſecutionem, qua primum Cyprianus eſt in exilium miſſus, inde martyrium fecit, atque ex hac vita ſublatus eſt. At facinus Cypriano indignum, ne eum quidem nominaſſe, nedum non gratias, & beneficia retuliſſe, ad quem in longiſſimas Regiones Epiſtolam de re graviſſima miſerit; a quo reſcriptum acceperit plenum amoris, & benevolentiæ; quique ſibi in ſummo diſcrimine mature fuerit opitulatus: annon Dionyſius Alexandrinus ea in cauſa majora patravit; dum ſequeſter acceſſit, interceſſitque apud Stephanum, & Sixtum PP. pro cunctis Rebaptizantibus, ideſt Orientalibus, & Afris; ne ii abſtenti fierent; & ne quæſtio more Romano terminaretur, ſed omnes ſinerentur uti conſuetudine ſua? ubinamgentium legimus, ei quempiam egiſſe gratias, beneficia rependiſſe, aut mentionem feciſſe de eo? non quod hæc facta non fuerint, ſed quia, ut

ait

ait S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 4., non omnia novimus, quæ eo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt: quapropter non bene ex ſilentio Cypriani infertur, magno argumento eſſe debere, nullam ei cum Firmiliano Epiſcopo neceſſitudinem interceſſiſſe; cum vix quidem argumentum dici poſſit.

Ad num. XI. *Poſtremo Concilii Carthaginenſis III., quod poſt acceptam Firmiliani Epiſtolam celebratum oſtenditur triplici argumento* =

NOviſſimum etiam argumentum ex ſilentio III. de hac re Carthaginenſis Concilii petitum tantum abeſt, ut maximum ſit; ut maxime etiam ſit nullum; aut eſſe aliquid probari non poſſit: quod quidem ut probetur, non eo res tota ſpectat, ut inquiratur; an Papæ Stephani decretum ante, vel poſt hujus Synodi celebrationem ſancitum fuerit, & ad Africanam Eccleſiam expeditum, ſed an tempore dicti Concilii III. in Africam adhuc delatæ eſſent Firmiliani literæ: nam etiamſi decretum Stephani ante Concilium illud ſit editum, non propterea certò ſequitur, & literas Firmiliani ante Concilium III. datas, & tempore illius Concilii jam Carthaginem delatas fuiſſe. Tam autem errare mihi videntur, qui Concilio illo poſtponunt Stephani decretum, quam qui Concilio Firmiliani literas præjiſſe putant: id ego probare non multum laboro; cum nec ipſi quicquam, quo hoc ipſum probetur, attulerint. Illud video hic recte factum a Pagio, qui ad ann. 256. n. 3. 16. & 17. Concilium iſtud III. poſt Stephani decretum ſcribit celebratum; & poſt utrumque literas Firmiliani datas. Prioris opinionis Autoribus, qui volunt Concilium III., de quo eſt ſermo, ante decretum Stephani eſſe celebratum ob epocham Epiſtolæ Firmiliani ſcriptæ *vigeſimo ſecundo fere anno poſt Alexandrum Imp.*, ſatis quidem occurritur per Pagium, qui anno Juliano, ſeu utrimque incompleto difficultatem enervat, vel enervare putatur: ſed magis id fiet, ſi quis Alexandrum Severum non anno 235., ut volunt, ſed 234. e vivis exceſſiſſe tradiderit; nam quis tuto ſcire poteſt, an Lampridius, & Eutropius, aliique Scriptores, qui tradunt imperaſſe Alexandrum *annis XIII. diebus IX.*, ejus Imperii annos deduxerint ab anno

no Æræ Chriſtianæ 222., quo menſe Martio Alexander ſucceſſit Heliogabalo; an vero ab anno 221., quo idem ab Heliogabalo Cæſar, & Imperii particeps factus eſt, ut veriſimilius videtur? quare correctio, & caſtigatio Lampridii, quam Pagius ad ann. 235. n. 2. exhibet, obliqua prorſus videtur, atque incerta; nam cum ille ſcripſit, Alexandrum vixiſſe *annis vigintinovem*, *menſibus tribus*, *diebus ſeptem*; imperaſſe vero *annis XIII.*, *diebus novem*; aut falſum eſt, cum annos Imperii Alexandri numerare a morte Heliogabali, aut incertum; ut mortis ejus dies XIV. Martii ſtatui certò poſſit. Neque mihi Caſſiodorum objiciant, qui in Chronico tradit Alexandrum occiſum *Coſſ. Severo, & Quintiano*, ideſt anno 235. Æræ vulgaris; nam & cum habet Heliogabalum necatum Coſſ. Maximo, & Heliano; Macrinum vero Antonino II., & Sacerdote; Caracallam autem Antonino, & Advento Coſſ., quam fidem ſibi adſciſcet ejus Chronologia in obitu Alexandri Severi? quinimo quod videam eum anno uno tardius collocare Imperatorum, qui dicti ſunt, interitum; veriſimile quoque dico, & necem Alexandri anno uno tardius ab eo relatam eſſe.

Ad num. XII. *Primum ex Epiſtola Synodica ad Stephanum.*
XIII. *Secundo ex Epiſtola S. Cypriani ad Jubajanum.*
XIV. *Tertium ex Concilio III. Carthaginienſi* =

QUum, qui mihi firmiſſimis, ut pollicitum erat, argumentis demonſtraret, Firmiliani literas ante III. Carthaginienſe Concilium fuiſſe ſcriptas, expectarem; lego, conatum totum eo demum evadere, ut oſtendatur Stephani decretum ante illud Concilium evulgatum eſſe: de qua re non magnopere pugno; neque laboro ſcire, utrum id firmiſſimis argumentis demonſtratum ſit; ſed alterum de Firmiliani literis, quod quidem magis neceſſarium arbitror, ajo probatum iri. Neque enim, quamvis decretum Stephani, & literæ Cypriani ad Jubajanum, & Pompejum editæ ſunt ante Concilium III., ob id & ante ipſum Concilium Firmiliani Literæ datæ ſint, oportet. Num. XIII. aſſeritur, in Epiſtola Cypriani ad Jubajanum mentionem fieri non modo ejus ad Stephanum Epiſtolæ, ſed etiam Stephani ad eum reſcripti; quod plane falſum dico, cum in Epi-
ſtola

ſtola ad Jubajanum non alia mentio fiat, quam Synodi I., & Epiſtolæ ad unum ex Collegis, quem exputo Quintum; nec non Synodi II. cum Epiſcopis Africæ, ac Numidiæ celebratæ: quo manifeſtum eſſe poteſt, a Cypriano eodem tempore & Epiſtolam ad Stephanum, & aliam ad Jubajanum tranſmiſſas eſſe; nam ſi poſt reſcriptum Stephani ſcripſiſſet Cyprianus ad Jubajanum illam, quam habemus, Epiſtolam; clare, & aperte illius mentionem feciſſet; uti fecit in ea ad Pompejum miſſa. Dicitur etiam num. XIV., Stephani reſponſum occaſionem præbuiſſe & III. Synodi convocandæ, & Epiſtolæ Cypriani ad Firmilianum mittendæ: quod quidem ego non firmiſſimum, ſed conjecturale argumentum appello, cum neque hoc ipſum probetur. Donemus tamen reſponſum Stephani occaſionem dediſſe ſicut ſcribendæ ad Pompejum Epiſtolæ, Conciliique III. congregandi, ita & literarum ad Firmilianum mittendarum; num propterea neceſſe eſt, illorum reſcripta reddita fuiſſe ante Concilium III., ut in eo legi, aut de illis mentio fieri debuerit? Certe reſponſum Pompeji nec lectum fuit in illo, nec etiam commemoratum; ideo vero Jubajani literæ ibi recitatæ dicuntur non ad conciliandos Africanorum animos, qui diu eam de Hæreticorum baptiſmo ſententiam pluribus Conciliis confirmatam alte imbiberant; ſed quod eæ vel in tempore advenerant, poſtulabantque legi palam; vel aliis de cauſis, quæ latere poſſunt; cæterorum vero non item. Porro & illud hoc loco adnotare lubet; id, quod Epiſcopus Liboſus ab Agria in memorato III. Concilio dixit, acceptum eſſe ex Tertulliano, qui lib. 1. *de velandis Virginibus* inſtat Chriſtum dixiſſe: *ego ſum veritas:* nullibi vero: *ego ſum conſuetudo.* Cætera cum additur, Firmiliani literas eo in Concilio congruentius, & utilius perlectas fore, quam Jubajani; quod ageretur de Epiſcopo *primæ Sedis*, qui *Paulum Samoſatenum* damnaverat, & confutaverat; qui *Sanctitatis fama* in primis prædicabatur &c., incertum ajo, cujuſnam Sedis eſſet Epiſcopus Jubajanus, & quidnam continerent ejus Epiſtolæ; certumque quidem ſcio, falſum eſſe & tempore III. Concilii Carthagin. anno 255. coacti Firmilianum damnaſſe, ac confutaſſe Paullum Samoſatenum, qui nonniſi anno 260. factus eſt Epiſcopus, nec niſi poſt adeptum Epiſcopatum Hæreſim ſuam diſſeminare cœpit ad ann. 264., & Sanctita-

tis

tis fama in primis prædicatum fuiſſe, ut ſupra jam oſtenſum eſt. Quamobrem ſive Concilium III. præceſſerint Firmiliani literæ, ſive non; nedum non graviſſima, ſed ne minima quidem inde oriri poteſt falſitatis præſumptio, quemadmodum neque ex hujus Concilii ſilentio ſequitur, eas confictas demonſtrari poſſe. Hactenus conceſſum eſt, de Firmiliani Epiſtola altum antiquos tenuiſſe ſilentium; oſtenſumque etiam, eorum ſilentium nequaquam ipſi officere potuiſſe: nunc autem dicendum reſtat, nec prorſus certum eſſe, antiquos omnes de ea ſiluiſſe Scriptores. Cum enim id lego, quod S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 1. ſcribit: *quicquid de Cypriani Ven. Martyris, & de quorundam Orientalium literis inſerendum putaſtis*: aliud occurrit nihil, quod iis intelligi poſſe cenſeam, quam Epiſtolæ Firmiliani Cappadocis, & Dionyſii Alexandrini Epiſcoporum; quippe quod ſolas has habemus ex Orientalibus extaſſe; & ſolos iſtos in hac quæſtione ſcripſiſſe compertum eſt. Magnus etiam Baſilius adeo aperte mihi videtur literas Firmiliani commemoraſſe, ut neminem hac de re dubitare ſinat; ſcribit enim ille in Epiſt. Canon. ad Amphilochium c. 1. viſum fuiſſe *Cypriano, & noſtro Firmiliano eos omnes uni calculo ſubjicere*, ideſt tam *Hæreticos*, quam *Schiſmaticos* rebaptizare; quod quidem excerpere non potuit ex Hiſtoria Euſebii, qui Hæreticos dumtaxat nominat, non vero Schiſmaticos; & rationem, ob quam id illis viſum eſt, non affert; affert autem Baſilius, ut etiam infra ad num. XXXII. dicetur; neque ex Epiſtolis Cypriani, in quibus ne nomen quidem Firmiliani legitur; aut ex illis Dionyſii Alexandrini, qui eam Epiſtolam non meminiſſe conceditur; igitur ex Firmiliani literis. Sed & Magiſter Senten. Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſien. videri poteſt hujus Epiſtolæ notitiam habuiſſe, dum lib. 4. diſt. 6. ſcripſit: *ſunt tamen nonnulli Doctorum, ut Cyprianus, & alii quidam, qui dicere videntur ab Hæreticis non poſſe tradi baptiſmum; & eos eſſe rebaptizandos, cum veniunt ad Eccleſiam, qui ab illis dicuntur baptizati:* quæ tamen quoniam videri poſſunt quibuſdam incerta, & ambigua; in medio relinquimus aliis excutienda.

Ad num. XV. *Ab hypotheticis argumentis proceditur ad abſoluta, atque illud ſtatuitur, nullam fuiſſe apud Orientales Patres diſceptationem ſuper baptiſmo, qui cum SS. Trinitatis invocatione miniſtrabatur* =

Firmiliani temporibus inter Epiſcopos Aſiaticos diſceptatum fuiſſe de baptiſmo Hæreticorum, & quidem uti perhibetur ab Euſebio Cæſarienſi, neſcio quo pacto negari poſſit, & quibus argumentis oppugnari; niſi, ut Hieronymi verbo utar, rhetoricando; vel quæſtionem ipſam perturbando; cum manifeſte eam exponant plures S. Dionyſii Alexandr. Epiſtolæ; & Euſebius non aliter habeat, atque Dionyſius, qui eo tempore vivebat; cujuſque Epiſtolas non Euſebius modo, ſed etiam S. Hieronymus, aliique maxime probarunt, ac pro veris agnoverunt; nec hucuſque quemquam fuiſſe legi, qui de illis dubitare quiverit. Neminem autem extare puto, qui vel leviter in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſatus ignoret, pluribus Hæreſibus Orientalem Eccleſiam ea tempeſtate exagitatam fuiſſe, & potiſſimum non *Pauli Samoſateni*; quæ tametſi Firmiliani temporibus erupit, ſero tamen, & ſub Dionyſio Papa anno circiter 264., non ſub Stephano, Sixtoque PP., ac tempore controverſiæ de baptiſmo Hæreticorum; ſed Apellitarum, Marcionitarum, Valentinianorum, Cataphrygum, & Novatianenſium, Baſilidianorumque; Baſilidis enim, & Valentini hæreſes adeo graſſabantur, ut etiam ſeculo Eccleſiæ IV. in legibus Conſtantini M., & in Alexandrino Concilio S. Athanaſii anno 362. celebrato inter cætera hæreſum genera proſcriptæ potiſſime legantur. Origenes etiam, qui e vita exceſſiſſe fertur anno primo Pontificatus Stephani, cum hæreſes memorat, non alias fere ſolet habere quam Marcionis, Baſilidis, Valentini, Apellis, Ophitarum, & Patripaſſianorum. Et ſicut non deerunt, qui negent & Paulum Samoſatenum baptiſmi formam, & Montanum ſignificationem depravaſſe, idque nequaquam temere; cum antiquorum, qui eorum hæreſes prodiderunt, nemo prave eos de baptiſmo docuiſſe ſcribat: ita, errorem hunc quonam tempore eorum ſectarii invexerint, erunt, qui jure dicent eſſe prorſus incertum. Paulianiſtas quidem ante Nicænum Concilium cœpiſſe depravate agere, dum baptizarent; certos

nos

nos facit Canon XIX. dicti Concilii; ſed Cataphryges multopoſt; quandoquidem eorum baptiſmus eſt ptimum, quod ſciatur, in Laodiceno Concilio proſcriptus, non autem in Conc. Iconienſi; quod non adverſus eos ſpeciatim, ſed adverſus quorumcunque Hæreticorum baptiſmum coactum eſt. Baptiſmus *Paulianorum* icciroo eſt a Nicænis Patribus exſufflatus, quod neque materia, neque forma ab Eccleſia uſitata, & a Chriſto inſtituta conſtaret; feruntur enim ſenſiſſe, nulla materia eum oportere confici, ſed ſola hac verborum pronunciatione: *Ego ſum aqua viva:* quod tamen Paulicianis, non Paullianis attribuit Euthymius Monachus par. 2. Panopliæ tit. 21. num. 1., alter vero *Cataphrygum* ideo non eſt a Nicæno Conc. notatus, quod nondum cœpiſſet depravari; quodque etiam in dubium a quibuſdam verteretur, utrum Cataphryges eſſent Hæretici cenſendi, an vero Schiſmatici; uti refert Origenes apud Pamphilum in Apol. pro ipſo Origene; & quidem ipſemet pluribus in locis præſertim Comment. in cap. 24. Matth. Tract. 27. 28. & 30. varia Hæreticorum genera recenſens Cataphrygum ne nomen quidem habet: Schiſmaticorum autem baptiſma veteres Orientales ratum habuiſſe teſtatur S. Baſilius M. in epiſt. Can. ad Amphilochium c. 1. Quod enim quidam tradiderunt, Cataprygibus non alium fuiſſe Spiritum Sanctum, quam Montanum eorum Ducem; vel ex falſo dixerunt rumore; vel ex eorum verbis haud recte intellectis; vel demum hoc aliquorum fuit, non omnium; cum plures contra ſcriptum reliquerint, Montanum, ejuſque ſectæ homines recte, & cum Eccleſia Catholica de Trinitatis Myſterio ſenſiſſe. De cæterorum vero Hæreticorum baptiſmo id judicii ferri poſſe videtur; de eo propterea ſiluiſſe Nicænos Patres, vel quod de eo jam certa ratio conſtiterat; vel quod nulla de eo in Concilio quæſtio mota fuerat: quo quidem modo S. Hieronymus in Epiſt. 61. al. 65. ad Pammachium adverſus Joannem Epiſcopum Hieroſolym. Origeniſtam his, qui dicebant: *quomodo damnabimus, quos Nicæna Synodus non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnaſſet utique Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet; ſcilicet uno medicamine omnes ſimul morbos debere curari: & ideo Spiritus Sancti neganda majeſtas eſt, quia in Synodo ſuper ſubſtantia ejus ſilentium fuit:* reſpondit: *de Ario tunc, non de Origene quæſtio fuit;*

de Filio, non de Spiritu Sancto: confeſſi ſunt, quod negabatur; tacuerunt, de quo nemo quærebat. De Paulo igitur Samoſatenſi, vel potius de Paulianorum baptiſmo, ac ordinationibus quæſitum eſt in Nicæna Synodo, non de illis aliorum Hæreticorum; ideo de illis, non de iſtis conditi ſunt Canones a Synodo; non vero quia aliorum Hæreticorum ne generatim quidem meminit Nicæna Synodus; magno erit argumento, aliarum Hæreſum baptiſma Orientalis Eccleſiæ Patribus fuiſſe probatum: ecquis enim erit, qui queat credere, patres illos comprobaſſe baptiſma Simonianorum, Marcuſiorum, Marcioniſtanum, aliorumque quorundam Hæreticorum; quod impium, & depravatum ſemper fuiſſe conſtat; ut alias etiam oſtenderur? Et ob eandem cauſam ibidem conditum legimus ſtatutum de ſolis *Catharorum Clericis* can. 8., ut venientes ad Eccleſiam per ſolam manus impoſitionem reciperentur in Clero; cum tamen alii Schiſmatici, ac Hæretici, vel illorum plures eo quidem modo in Eccleſia ſuſciperentur; ut refert S. Hieronymus in Dial. contra Lucifer., & ut de Donatiſtis memoriæ prodidit S. Auguſtinus Epiſt. 50. al. 185. ad Bonifacium num. 34., nec non lib. 1. de Baptiſmo cap. 1., quamquam lib. 2. contra Parmen. cap. 13. dicit, eos modo recipi, modo non; idque, ut explicat lib. 2. contra Creſcon. cap. 11., & 12., *prout videtur paci, & utilitati Eccleſiæ convenire*. Poſtea annon fuit controverſia inter Stephanum PP., & Orientales Epiſcopos de Hæreticorum baptiſmo, teſte Dionyſio Alexandrino; & quidem non Paulianorum, ut demonſtratum eſt? quoruncunque igitur Hæreticorum fuerit ille; cur canonem non ſanxit Synodus Nicæna de illo; ne aliquando reviviſcere poſſet Orientalium præjudicata opinio? Quapropter cum additur, quod ſi veteribus, cæteriſque Iconienſis, & Synnadenſis Conciliorum Patribus baptiſma Hæreticorum improbatum noviſſet Synodus Nicæna; neutiquam fidei diſcrimini conſuluiſſet; eo quod tot, tantorumque virorum authoritate aliquando reviviſcere poſſet rebaptizantium opinio: aliam eſſe ajo quæſtionem de baptiſmate *depravato*; aliam vero de baptiſmate *Hæreticorum*; illud Eccleſia Catholica ſemper nullum dixit, & iterandum docuit; ideoque Nicæna Synodus, dum can. XIX. edixit iterandum Paulianorum baptiſma; univerſæ Eccleſiæ notum eſſe voluit, illud baptiſma

ptiſma certo depravatum fuiſſe; iſtud vero, quod Hæretici miniſtrabant; quodque controvertebatur, an Hæretici jus dandi baptiſmatis haberent, & ante, & poſt Nicænam Synodum diu inter adiaphora fuit; cum Oriens, ſeu magna pars Orientis improbaret, probaret autem Occidens, ut infra fuſius dicetur: Quocirca cum Synodus Nicæna ex Orientis, & Occidentis Patribus conflata fuerit; proclive quoque erit exiſtimare, nullam de eo baptiſmate quæſtionem Patres movere, ſed omnes uti more ſuo permittere voluiſſe. Poſtremo quid ſi Firmiliani temporibus duabus potiſſimum hæreſibus Cataphrygum, & Paulinianorum Orientalis Eccleſia exagitata fuiſſet? propterea ne extare non poterat & controverſia non de forma baptiſmi, ſed de Miniſtro; utrum Hæreticus, & Schiſmaticus rite baptiſmum adminiſtrare poſſet, eo quidem modo, ac refertur a Dionyſio Alexandr., Euſebio Cæſarien., & Cypriani, Firmilianique Epiſtolis? aut cur extitiſſe non dicemus? cum extiterint quæſtiones de materia, ac loco baptiſmi, ut Tertullianus lib. de baptiſmo ſcripſerit: *nulla diſtinctio eſt, mari quis, an ſtagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo diluatur:* & Victor Papa apud lib. Pontific. ſtatuerit: *ut neceſſitate faciente ubicunque inventus fuiſſet quicunque hominum ex Gentibus veniens ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fonte, ſive in ſtagno baptizarentur, tantum credulitatis confeſſione declarata integer efficeretur Chriſtianus:* de forma, an in nomine Domini, vel Jeſu Chriſti, vel SS. Trinitatis, aut omiſſo *ego te baptizo*, vere miniſtraretur baptiſmus; de intentione, ob quam ſeculo XVI. in dubium quibuſdam venit Calviniſtarum baptiſma; de modo; ut Toleranum Concilium IV. c. V. habeat: *de baptiſmi Sacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur:* de iis, qui baptizantur, an improbi, & adulteri baptizari debeant, contra quos ſcripſit S. Auguſtinus librum de fide, & operibus; & an Clinici, ac Infantes rite baptizentur, de quibus egit S. Cyprianus Epiſt. 76. ad Magnum, & 59. ad Fidum; idemque Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo cap. 53., & lib. 2. contra Parmen. cap. 13. omnium primus videatur quæſtionem moviſſe de Paganis, iiſque, qui minime baptizati eſſent, an miniſtri baptiſmi eſſe poſſent?

Ad

Digitized by Google

Ad num. XVI. *Nullamque Stephano cum Orientalibus Epiſcopis ſuper ejuſmodi baptiſmo contentionem* =

DIctum eſt jam proxime, oſtenſumque, controverſiam, & contentionem inter Stephanum, & Firmilianum non fuiſſe, nec eſſe potuiſſe de baptiſmo Paulianiſtarum, quippe qui nondum eruperant, ſed Novatianenſium, aliorumque Hæreticorum generatim; & aliam fuiſſe de baptiſmo quæſtionem, quæ in Nicæna Synodo judicata eſt; aliam vero, quæ in Oriente Firmiliani temporibus agebatur. Et quidem propter quid quæſtio debuit eſſe de ſolis Paulianiſtis? num hi ſoli baptiſma depravabant? quinimo fere omnes Hæretici temporibus illis, pauciſſimis, aut ſolis Novatianenſibus exceptis, id flagitii perpetrabant: quare Timotheus Presbyter, qui & anno 511. factus eſt Patriarcha CP., in Tract. de differentia Hæreticorum ad Orthodoxam Eccleſiam venientium tradit omnes Hæreticos, qui fuerant uſque ad Nicænum Concilium, demptis Novatianis, & Arianis, rebaptizandos fuiſſe; quod & deduci quoque poteſt ex can. 7. Concilio 1. Conſtantinopolitano attributo, & ex can. 95. Trullano: ſed & Gennadius Presbyter Maſſilien. lib. de Dogmat. Eccleſ. cap. 52. ſcribit de Paulianis, Proclianis, Borboritis, Siphoris, ſeu Bonoſianis, Photinianis, Montaniſtis, & Manichæis, Sectariiſque Cerdonis, Marcionis, Setiani, Theodoſii, Valentini, Cerinthi, Hebionis, & Artemonis: *ex iſtis, inquam, ſi qui ad nos venerint, non requirendum ab eis, utrum baptizati ſint; ſed hoc tantum, ſi credant Eccleſiæ fidem, & baptizentur Eccleſiaſtico baptiſmate*. De Novatianenſium autem, ſeu Catharorum baptiſmo tunc diſceptatum fuiſſe teſtatur S. Amphilochius Epiſcopus Iconienſis, confirmatque S. Baſilius M. in Canon. ad eum Epiſtola c. 1. illis verbis: *Quæ itaque ad Catharos pertinent, quæſtiones & prius dictæ ſunt; & recte admonuiſti, quod oportet unuſquiſque Regionis morem ſequi; quod variæ fuerint de ipſorum baptiſmate diſſenſiones eorum, qui tunc de iſtis diſſeruerunt:* dum ſcilicet diſquirerent, num Hæretici eſſent, vel Schiſmatici Novatianenſes; quorum inter baptiſmata multum intereſſe arbitrabantur veteres ex ejuſdem Baſilii teſtimonio. Stephanus porro neque dubio, neque late patente decreto juſſit *a quacunque hæreſi* revertentes non fo-

re

Digitized by Google

re rebaptizandos; ſed certo, & congruenti; quoniam non erat quæſtio de baptiſmo depravato; ſed de baptiſmo Hæreticorum, ſeu de baptiſmi Miniſtro; qua quidem in quæſtione certum erat juxta conſuetudinem, ac traditionem Romanæ Eccleſiæ quemcunque Hæreticorum fuiſſe verum baptiſmi Miniſtrum; eorumque baptiſmata eſſe vera Sacramenta: an autem inter Hæreticos extent, qui depravate conferant baptiſmum; alia quæſtio eſt; quemadmodum inquirere, an inter Catholicos inveniantur, qui inquinatum, & irritum baptiſmum tribuant; & ſi extarent, nam ſine dubio extare poſſunt, cur præcipi non poſſet adhuc, *a quocunque Catholico* baptizatos non eſſe rebaptizandos? Quidam certe Catholicorum baptizaſſe leguntur in una tantum Trinitatis perſona ex 2. Vigilii Papæ Epiſt. ad Profuturum Bracaren. Epiſc., alii in nomine quidem Patris, & Filii, & Spiritus S., ſed omiſſis *ego te baptizo* ex c. *Si quis* de Baptiſmo; alii vero *in nomine Dei*, *&* *Sanctæ*, *&* *veræ Crucis* ex Epiſt. 340. S. Bernardi Abb., & alii etiam aquæ vinum miſcuiſſe ex Egberto Epiſc. Eboracen. in Excerpt. n. 42. Ut autem falſum eſt, Firmilianum, & Cyprianum a Baſilio perſtringi; quod Hæreticorum baptiſmatum diſcrimen non introſpexerint (, quod ex Baronio ad ann. 258. n. 47. accepit Vindex Cypriani); nam tantum abeſt, ut Baſilius eis repugnet, ut maxime eis adhæreat; ita falſum eſt quoque, Stephanum perſtringi poſſe, quod *a quacunque hæreſi* revertentes indiſcriminatim rebaptizari vetuerit; cum hoc modo pariter locuti ſint plures ejus ſucceſſores Rom. Pontifices, uti ſuo loco videbitur; ubi & videbitur agnoviſſe eum diſcrimen inter quæſtionem de baptiſmate depravato, & de baptiſmate Hæreticorum; quod nunquam ratum eſſe dixerit niſi cum invocatione SS. Trinitatis, vel in nomine Chriſti datum; hiſque nihil officere S. Cypriani verba; quæ interpretanda ſunt omnino, atque illa ipſa Stephani. Poſtremo ſi Orientalium contentio de anabaptiſmo inter Euſebianas fabellas iccirco rejicienda cenſetur; ut Firmilianus, & Cyprianus de ea eximantur; futilis, & incaſſus labor eſt: Nam etiamſi controverſia ea ſolum baptiſma *Paulianiſtarum* ſpectaſſet; tamen controverſia fuit ejuſmodi, quæ Firmilianum, Cyprianumque cum primis involvit, implicuitque teſtimonio S. Dionyſii Alexandrini; qui tradit, habuiſ-

habuiſſe eos opinionem Stephani ſententiæ contrariam de Hæreticis rebaptizandis, quicunque fuerint illi Hæretici; habuiſſe & contentionem cum Stephano tam perſtantem, ut vel anathema, vel anathematis comminationem commeruerint: fruſtra igitur negatur, in Oriente contentionem extitiſſe Stephano cum Firmiliano de quibuſcunque Hæreticis rebaptizandis. Præterquamquod tum Romanus Pontifex deteriorem docuiſſet ſententiam illa Orientalium; probaſſet enim *Paulianorum* baptiſma, quod & Nicænum Concilium, & univerſa Eccleſia ſemper improbavit. Quare *incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim*, quiſquis a baptiſmo quoruncunque Hæreticorum ad baptiſma quorundam ſe recipit.

Ad num. XVII. *Occaſione hæreſis Cataphrygum, & Paullianiſtarum hiſtoria de Orientalium, atque Afrorum Anabaptiſmo ab Euſebio Cæſarienſi conficta. Euſebius ante, & poſt Nicænum Concilium I. Arianorum Signifer* =

NUnquam tam verus eſt Euſebius in Hiſtoria, tamque ſyncerus, quam cum de Hæreticorum baptiſmo controverſiam inter Stephanum, & Cyprianum, Orientaleſque deſcribit; quandoquidem totum id exſcripſit ex Epiſtolis præſertim S. Dionyſii Alexandrini Epiſcopi: neque univerſam eum de Orientalium, Afrorumque anabaptiſmo Hiſtoriam confinxiſſe dici poteſt, quin id crimini etiam Dionyſio Alex. detur, aut Epiſtolæ ejus adulterinæ vocentur; quorum neutrum profecto hactenus nemo fecit, nemo dixit; nec futurum puto, qui ſit unquam auſurus tantum. Nam & S. Auguſtinus admittit, quæſtionem eam extitiſſe ante Schiſma Donati, quod eſt ante Hiſtoriam Euſebii, cum lib. 1. contra Creſcon. cap. 32. ait: *Neque enim parvi momenti, quod inter Epiſcopos anterioris ætatis, quam eſſe inciperet pars Donati, iſta quæſtio fluctuaret, & varias haberet inter ſe Collegarum ſalva unitate ſententias &c.* ſed quia id eum ex hypotheſi ſcripſiſſe dicetur; annon pluribus ante Euſebii Hiſtoriam annis anabaptiſmus Afrorum vigebat ex Arelatenſi Concilio I. anno 314. celebrato, ut alias fuſe demonſtrabitur? Quod ſi commentum Euſebii fuiſſet de re pauloante ſuam Hiſtoriam, ideſt annis nondum LXX. elapſis agitata, vix

Digitized by Google

vix credi poteſt, non extaſſe, qui vel Africanus, vel contrariæ opinionis aliquis contra eum calamum arripuerit, compertique mendacii eum redarguerit; cum adhuc viverent plures tempore Nicæni Concilii, quo jam ſcripſerat Euſebius, qui & Stephanum, & Cyprianum, alioſque ea de re contendentes noviſſe poterant, ut Alexander Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus *decrepitæ ætatis* ex S. Athanaſio Orat. I. contra Arianos. Quantum autem ad *Hiſtoriam Euſebii* tota ſuſpicio a Gelaſio Papa in decreto de Libris recipiendis, & rejiciendis explicatur; ubi inter libros rejiciendos dicitur apocrypha, ideſt non canonica; inter recipiendos vero ita probatur, ut legi poſſit; quamvis, inquit, in primo libro tepuerit, & poſtea pro Origene Schiſmatico librum compoſuerit: tepuit quidem in primo Hiſtoriæ libro, quod aliqua verba protulerit de Verbo Dei paulo duriora, ſed quæ legantur apud alios SS. Patres, qui ante eum ſcripſerunt, Gregorium Neocæſarien., & Dionyſium Alexandr., & quæ, quando placeret, facile poſſent emolliri. Quod item ſcripſerit laudes Origenis, & Apologiam; hanc quidem elaboravit una cum S. Martyre Pamphilo; in concinnendis vero laudibus Origenis ſecutus eſt exemplum S. Dionyſii Alexandrini Epiſc., qui eum vita functum laudibus proſecutus eſt in Epiſt. ad Theotechnum Epiſc. Cæſarienſem. Cæterum de celebri hac Euſebii Hiſtoria; ut omittam quamplures ſcriptores & doctos, & magni nominis, qui eam ſummis encomiis exornarunt; S. Hieronymus in Apologia contra Rufinum ait, ſe laudaſſe *Euſebium in Eccleſiaſtica Hiſtoria*; & Pelagius II. Papa in Epiſt. 3. ad Epiſcopos Hiſtriæ ſcribit: *quid in Hiſtoriographis inveniri Euſebio honorabilius poteſt?* Etſi vero negari non poteſt, Euſebium olim fautorem fuiſſe Arii, immo errore præiviſſe Ario; cum in Apologia pro Origene, quam conſcripſiſſe fertur, antequam Arius impie ſentiret; eoſdem, quos Arius poſtea docuit, errores habeat de Verbo Dei; in ea tamen opinione perſtitiſſe poſt Nicænum Concilium, nec deſunt, qui affirment; & ſunt quoque, qui inficias eant: ex inficiatoribus unus mihi plane videtur S. Hieronymus, dum illum *Arianæ quondam ſigniferum factionis* appellat in Apol. I. contra Rufinum, quod eſt non uſque ad mortem; nam idem in Chronico *Euſebium Emiſenum* dicit *Arianæ ſigniferum factionis*, quia is uſque

ad finem vitæ perſtitit Arianus: S. etiam Athanaſius ſemel atque iterum Euſebii Cæſarienſis mentionem faciens ait, illum in Con. Nicæno ea, quæ prius parum orthodoxa dixerat, revocaſſe, & fidei profeſſionem ibi editam recepiſſe; nec habet, eum in priſtinum errorem recidiſſe, aut ſimulationis nota inuſtum eſſe; ſed omnia & in ſe, & adverſus Concilii ſanctiones patrata Euſebio Nicomedienſi attribuit. Nicephorus autem Patriarcha CP. ſeculi IX. ſcriptor eſt; & quum tradit, *plura* eum, *& pejora*, *quam omnes Ariani*, *in filium Dei*, atque Deum effutiiſſe; aut in quædam incidit temere Euſebio iſto adjudicata; aut ab Epiphanio Diacono homine non ſatis erudito deceptus eſt. Non ita ſane cenſuit Baſilius M., qui libro de Spiritu S. ad Amphilochium cap. 29. hunc Euſebium inter eos adducit, qui recte de fide, ac Spiritu S. ſcripſerunt; & Ipſe quidem Euſebius in Hiſt. Eccleſ. lib. 7. refert, probatque fidei profeſſionem S. Gregorii Thaumaturgi, quæ Catholica eſſe defenditur. Hæc ejus vero Hiſtoria ſcripta eſt anno 325., certe eam terminare in anno 325. liquet, cum finem ſcribendi faciat Euſebius in victoria M. Conſtantini contra Licinium; quæ dicitur habita anno 324. Octobri menſe; & in interitu Licinii, qui contigiſſe fertur anno 325., ita quoque Pagius ad ann. 318. n. 13., 326. n. 19., & 827. n. 11. ex Theodoreto, & Gennadio confirmat eam deſinere in anno 325., ſed cum addit ad ann. 326. n. 18. & 19. illam Euſebium publicaſſe anno 326. occaſiono Vicennaliorum Romanorum Conſtantini, non probatur; nam cur non anno 325. occaſione Vicennaliorum Nicomedienſium ejuſdem Imperatoris? Illud mihi prope certum videtur, editam eam fuiſſe & ante annum 326., & ante Nicænum Concilium; primum, quod in fine illius ſcribat Euſebius, victo, & necato Licinio, Conſtantinum *una cum filio Criſpo Cæſare Deo chariſſimo*, *& patri undequaque ſimillimo Orientem* recepiſſe, & Imperium Romanum in unum corpus redegiſſe; cumque Criſpus Cæſar a patre neci datus ſit initio anni 326., de eo ita vita functo nedum Euſebius ita locutus non eſſet, ſed ne illius quidem meminiſſet; ſi ſcripſiſſet poſt Criſpi necem, aut ſuam Hiſtoriam anno 326. publici juris feciſſet; uti ſe geſſit in Orat. pro Tricennal. Conſtantini, & in lib. 4. Vitæ ejuſdem Conſtantini cap. 40., ubi de filiis ejus agit,

nulla

nulla Criſpi mentione facta. Neque etiam certum eſt, Euſebium in Palæſtina fuiſſe ineunte anno 326., quando Criſpus eſt interfectus, ut nuncium de cæde Criſpi in Oriente patrata tardius ipſe receperit; quemadmodum arbitratur Pagius; quinimmo ex ejus Epiſtola ad Cæſarienſes ſuos de profeſſione fidei poſt Concilium Nicænum conſcripta ſentio contrarium hauriri poſſe; de qua re alias. Alterum quoque ſuadetur, cum in Hiſtoria nullam Concilii Nicæni, & eorum, quæ ad illud cogendum moverunt Conſtantinum, mentionem habeat Euſebius; quocirca recte Hankius aſſeruit, eam Hiſtoriam ante Concilium Nicænum compoſitam fuiſſe; neque enim ulla ſubeſt cauſſa, cur id facere non debuerit; quando illius demum Concilii meminit in Vita Conſtantini M., & quæ affert Pagius ad ann. 325. n. 51., & ad ann. 326. n. 19., nequaquam cogunt; cum nondum ſatis oſtenſum ſit, Chronicon Euſebii deſinere in anno 325., ſi quidem ibi non diffitetur, Vicennalia Conſtantini eo in Chronico memorata videri additamenta Hieronymi; itaque alia quoque idem addidiſſe potuit. Sed quod ad Epiphanium Diaconum attinet; ſi is tam æquus cenſendus eſſet, quam eruditus fuiſſe deprehenditur; iniquus plane foret dicendus; ipſe enim in Synodo VII. Act. VI. hæreſim Eutychianam, & Iconoclaſtorum aſcribit Euſebio, quo nihil abſurdius, & nihil falſius; Ario, & Arianis Theopaſchitarum, & Valentini, Apollinariſque errores, quod ne S. quidem Athanaſius admiſerit: & quum ait; Euſebium Nicæno Concilio ſubſcripſiſſe *labiis, non corde &c.*; accepit imperite, & oſcitanter ab Athanaſio, qui id non de Euſebio, ſed de Euſebianis affirmat, quorum poſt obitum Euſebii Cæſarienſis varias fidei formulas contra illam in Nicæno Conſubſcriptam invectas irridet; libroque de Synodi Nicænæ decretis inquit: *licet poſtmodum Euſebiani mutato animo tanquam canes ad vomitum regreſſi ſunt; vel potius quomodo non odio digni ſunt, qui nunc tandem contradicunt &c.*, nec non lib. de Synodis Ariminen., ac Seleucien. *Quomodo eos, quibus ſucceſſere, Patres ſuos appellabunt, quorum ſententias ipſi culpant? & præſertim Acatius quidnam Euſebio ſuo Magiſtro reſponderit? qui non ſolum Synodo Nicææ ſubſcripſit, ſed per Epiſtolam ſuis populis ſignificavit eam eſſe veram fidem, in quam in Nicæna Synodo conſenſum fuit &c.* Nullæ enim Euſe-

bii Epiſtolæ extant poſt Nicænum Con. ſcriptæ, quæ prodant eum labiis, non corde ſubſcripſiſſe Concilio; nec ulla monumenta, niſi Libri contra Marcellum, quos ab Hæreſis Arianæ labe tuetur Socrates: & ſi poſt Oecumenicam Synodum Philoſophus Aſterius Cappadox, quod ea ſcripſiſſet, quæ Arianam hæreſim ſaperent, mox a Marcello Ancyrano confutatus eſt, uti produnt Socrates, & Sozomenus; cur non idem contigiſſet Euſebio, ſi poſt Nicænum Con. ea ſcripta edidiſſet, ac vulgaſſet, quæ a Catholicis legi, tuerique non poſſent? Annon mirum eſt, non inveniri quemquam, qui eo ſeculo, atque etiam multopoſt, dum Ariani ubique premerentur, in eum anathema vibrarit, aut calamum adverſus eum ſtrinxerit, dempto uno Antipatre Boſtrenſi Epiſcopo, qui ad annum 460. vivebat, & ex Synodo VII. Act. V. habetur, contra ejus pro Origene Apologiam confutationem condidiſſe? At Tyrio Arianorum Conciliabulo præfuit Euſebius, & contra Athanaſium judex ſedit. Utique præfuit ibi Euſebius, ſed juſſus a Conſtantino M., teſte S. Epiphanio hær. 68., non ex fidei, ſeu dogmatis Ariani, ſed calumniarum in Athanaſium cauſa; in quibus quemadmodum paulopoſt in Conſtantinopolitano Concilio circumveniri potuit ipſe Conſtantinus, & plurimi Epiſcopi etiam Catholici, ut Athanaſium damnarent, & in exilium truderent; ita quoque decipi potuit Euſebius. Quæ tamen potius, ut quædam vera a falſis, certaque a dubiis ſecernerem, diſſerui; quam ut vindicias Euſebianas adornarem: nihil enim mea modo intereſt, qualis ſit ejus dogma; ſed qualis ejus mens in ea, in qua ſumus, quæſtione; & in qua aſſeverare non dubito, Euſebium Cæſarien., quantumvis fuerit Arianus totus, & ubique; non nequiter, & verſute, ſed vere, & ſyncere controverſiam expoſuiſſe.

Ad num. XVIII. *Quid ſibi Euſebius propoſuerit in hujuſce Hiſtoriæ confictione referatur*; nempe Pauli Samoſateni, Ariique damnationes elevare =

Quamquam non ſum neſcius, Alexandrum Epiſcopum Alexandr. in Epiſt. ad Alexandrum Epiſcopum de Ario afferere, docere eum falſa dogmata Ebionis, Artemæ, Pauli Samoſatenſis, & Luciani; & S. Athanaſium lib. de Syno-

Synodis habere, Arthemam hæreſis Arianæ fundamenta jeciſſe: nihilominus mihi danda opera eſt, ut oſtendam Paulum Samoſatenſem non jeciſſe Arianæ hæreſis fundamenta; & Arium Paulianæ blaſphemiæ expolitorem non fuiſſe; ſed plurimum, & fere toto genere binas has hæreſes differre; quippe cum Arius inter Sabellium, & Paulum medius incedat; & Origenes Ario, Samoſatenſis vero Neſtorio falſa dogmata propinarit. Et primum ajo, Alexandrum, & Athanaſium eo modo loqui potuiſſe, quo idem Athanaſius de ſententia Dionyſii Alexandrini ſcribit: *ſimul & contra Sabellii Sectatores, & Arii dogmata, propter quæ ab Eccleſia ejectus fuit, volumen compoſuit; ubi æquales, ſed tamen contrarias hæreſes docet:* & verſus finem de eodem inquit: *quibus dictis Sabellium cum Ario ſubvertit, & utramque hæreſim æqualem inter ſe impietate oſtendit:* ubi æquales dicit Sabellianam, & Arianam hæreſes, quas etiam contrarias eſſe pronunciat; æquales autem impietate. Cæteroquin quantum inter ſe diſtent Ariana, & Pauliana hæreſes; manifeſtum fit ex eorum placitis: Paulus enim ait *duas hypoſtaſes, & duas Perſonas unius Chriſti, & duos Chriſtos, & duos filios unum natura filium Dei, qui fuit ante ſecula, & unum filium David, & fuit in tempore &c.* ex Epiſt. Dionyſii Alexandr. adverſus Samoſatenum: Arius vero *unum* dicit *Chriſtum filium, plenum Deum, unigenitum, immutabilem, ante tempora, & ante ſecula,* non tamen æternum, *creaturam* quidem, ſed *non ut aliæ creaturæ* ex ejus Epiſt. ad Euſebium Nicomedien., ſic in Epiſt. Arianorum ad Alexand. ipſi fatentur *Deum genuiſſe filium ante tempora æterna, per quem & ſecula, & reliqua fecit, immutabilem, & inalterabilem, creaturam Dei perfectam, ſed non velut unam ex creaturis, fœturam, ſed non velut unam ex fœturis, ſive genituris. Quare tres ſunt ſubſtantiæ, Pater, Filius, & Spiritus S., & Deus quidem cauſa omnium exiſtens eſt ſine principio ſolus; Filius autem ſine tempore genitus a Patre, & ante ſecula genitus &c.* Porro S. Hieronymus Epiſt. 69. ad Pammachium, & Oceanum *Origenem* appellat *fontem Arii;* & antea S. Epiphanius hær. 76. contra Anomæos ſcripſerat, Arianos ab *Origene*, & *Luciano* occaſionem accepiſſe dicendi creaturam Filium Dei. S. vero Felix I. Papa cum adverſus Paulum Samoſatenum aliqua compoſuiſſet, ejus authoritas adducta eſt a S. Cyrillo Alexandr. in Apol. contra

Ne-

Neſtorium ex Actis Concilii Epheſ., contra Arium verò a nemine. Vigilius quoque Papa in ſuo pro tribus Capitulis Conſtituto, ubi de Theodoreto agit, Paulum Samoſatenum cum Bonoſo, Neſtorioque conjungit; & Liberatus Diaconus in Breviario cap. 2. & 3. eundem Paulum tradit agnoſci Neſtoriani dogmatis autorem; Apollinarium vero Laodicenum Arianorum blaſphemiam ſecutum Paulo contraria aſſeruiſſe. Clerus etiam Conſtantinopolitanus in publicæ conteſtationis libello, nec non Baſilius Diaconus cum Monachis in ſupplici libello contra Neſtorium ex Actis prædicti Concilii Epheſ. Paulum Samoſatenum cum uno Neſtorio componunt. Sed & Autor Libelli Synodici in 2. Romana Victoris Papæ Synodo damnatos refert *Theodotum*, *Ebionem*, & *Artemonem* addens: *hi enim Duces fuerunt Pauli Samoſatenſis*, & *Neſtorii:* tametſi ſupervacaneum erat exempla, & dicta congerere; cum abunde ſit notum, quid Neſtorius, & Arius, & quid Samoſatenus ſenſerint. Præterea ſi hæreſis Pauli Samoſateni expolitor, & perfector Arius extitiſſet; & ſi Euſebius Cæſarienſis Arianus ſecta fuiſſet; is non ſcripſiſſet in Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 26. & 27. *Theodotum Coriarium*, *qui prior Chriſtum ſolum hominem dicebat*, *Ducem*, & *quaſi parentem hujus impiæ*, & *execrandæ a fide defectionis Chriſtum Deum perneganus Chriſtiana communione interdictum a Victore Papa;* & de *Artemone*, qui Theodoti eſt hæreſim ſecutus, *quam*, inquit, *noſtra ætate Paulus Samoſatenſis denuo renovare tentavit*, non dixiſſet: *ſicut alia multa ad illius impii*, & *perditi illorum erroris commentum coarguendum &c.* neque lib. 7. c. 24. de ipſo Paulo: *Paulus Dux*, & *auctor erroris*, *qui Antiochiæ graſſabatur*, *in poſtremo Concilio Epiſcoporum numero prope infinitorum contra eum convocato ſui erroris*, & *peregrinæ opinionis perſpicue convictus*, & *omnium jam conſenſu palam condemnatus ab univerſa*, & *Catholica Eccleſia*, *quæ ſub Cœlo eſt*, *penitus exturbatus fuit &c.*, ubi & paulopoſt *pernicioſam Pauli hæreſim* nominat; & cap. 27. non diſſimilia narrat; neque etiam in Vita Conſtantini M. lib. 3. cap. 61. retuliſſet, cenſuiſſe eum edicto *aliud impiorum hominum genus tanquam latens venenum humanæ vitæ paratum comprimendum*, hæreſim videlicet *Novatianorum*, *Valentinianorum*, *Marcionitarum*, *Paulianorum*, & *Cataphrygum:* ſed aut de eo tacuiſſet, uti de Ario dicunt feciſſe in

Hi-

Hiſtoria; & in Chronico; aut errorem ejus, ac proſcriptionem extenuare curaſſet; uti de eodem Ario videtur egiſſe in Vita Conſtantini. Quamobrem nedum non plurimum, ſed nullo modo intererat Euſebii: diſceptationem, quæ pridem apud Orientales exarſerat de baptiſmo, ſuppreſſo Pauli Samoſateni nomine de induſtria miſcere, ac perturbare, & ob ea, quæ dicta ſunt; & quia diſceptatio de baptiſmo apud Orientales non fuit, ſi quidem eam confixit Euſebius; vel ſi fuit, uti re vera fuit; falsò aſſeritur, eam confinxiſſe Euſebium; præſertim cum paulo ante oſtenſum ſit, Hiſtoriam ſuam Euſebium ſcripſiſſe ante Nicænum Concilium; quapropter qui fieri potuit, ut Euſebius veterum de baptiſmo diſceptationem conſultò perturbaret, miſceretque; quo Nicæni Concilii, in quo & Arius, & Paulianorum baptiſmus ſunt proſcripti, authoritatem labefactaret? niſi quis extet, qui eum aliquando Prophetiæ dono illuſtratum dicat; quemadmodum non defuit, qui eum in albo Sanctorum cooptarit: idque eo magis etiam, quod ea de Baptiſmo diſputatio narratur non in fine Hiſtoriæ Euſebianæ X. libris concluſæ; ſed initio VII. libri; & ſi liber X. ſcriptus eſt ante Nicænam Synodum, VII. liber aliquot fortaſſe annis ante compoſitus fuerat: & ſane videri poteſt elucubratus ante annum 313., cum Diocletiani, Maximianique perſecutionem incipiat deſcribere ſub initium octavi libri, ibique dicat: *Cum Paſtores noſtri ſpreta Religionis regula mutuis inter ſe contentionibus decertarent &c.* quaſi, cum hæc ſcribebat, ipſe nondum eſſet Paſtor, ſive Epiſcopus; quam dignitatem volunt cum paulopoſt conſecutum perſecutione ceſſata, quod in Oriente factum eſt anno 313. Similiter cum pluribus locis lib. 7. cap. ult., lib. 8. cap. 13., & cap. 5. lib. 9. S. Petrum Epiſcopum Alexandr. a doctrina, moribus, & vita magnopere laudet, ejuſque martyrium, ac ſocios Martyres concelebret, quod accidit anno 312., videtur hos libros exaraſſe ante annum 320., quo circiter Arius hæreſim, erroremque ſuum diſſeminare cœpit: etenim *Arius in res a Petro geſtas graviter invectus eſt, & quieſcere nullo modo potuit*, eò quod Meletium, fautoreſque ejus abdicaſſet; & ideo *rurſus ab eodem* (Petro Arius) *Eccleſia ejectus* eſt, inquit Sozomenus lib. 1. cap. 14., quod ſi Euſebius libros VII., VIII., & IX. Hiſtoriæ ſcripſiſſet poſt annum 320., quo in partes

Arii

Digitized by Google

Arii abiit, non ita de Petro Alexandrino locuturus fuiſſe videtur. Cum autem additur; eo quod Euſebius ſcripſerit, baptiſmum Hæreticorum generatim fuiſſe a Græcis Patribus proſcriptum, & a Romanis Pontificibus vindicatum; jam illud ſequi, Paulianum baptiſma injuria non minus ab illis oppugnatum fuiſſe, quam jure ab iſtis aſſertum: miſcetur, perturbaturque quæſtio de baptiſmo Hæreticorum cum ea, quæ eſt de baptiſmo depravato; illa, non iſta, quæ omnibus comperta erat, controvertebatur a Patribus Græcis, Afriſque cum Rom. Pontificibus; in eaque neutiquam actum eſt de baptiſmo Paulianorum neque ſpeciatim, cum nondum Paulianiſtæ nominarentur; neque generatim, cum ad eam quæſtionem non pertineret; non enim baptiſmus Paulianorum eliminatus eſt, quia baptiſmus Hæreticorum, ſed quia baptiſmus certo depravatus. Nemini vero mirum debet videri, Euſebium de baptiſmi Paulianorum impia forma nullum verbum feciſſe; cum ita ſe geſſerint quoque Patres ipſi Antiocheni Concilii contra eundem Paulum congregati in Epiſtola, qua omnia, & ſingula ejus crimina, erroreſque deſcripſerunt; nec non alii, qui adverſus eum ſcriptis decertarunt; ut veriſimilius ſit, impiam eam baptizandi formulam non ab eo, ſed ab ejus Sectariis paulo ante Nicænum Con. uſurpari cœpiſſe.

Ad num. XIX. *Aperitur & altera cauſſa peræque gravis, quæ Euſebium adducere potuit, ut hanc hiſtoriam confingeret*; nimirum Donatiſtas adjuvare =

Quoniam quidem oſtenſum eſt, nullam fuiſſe inter Paulianos, & Arianos affinitatem erroris, ac ſocietatem, ob quam Euſebius Palæſtinus controverſiam de baptiſmo perturbaret, confunderetque, nunc quoque demonſtrandum erit, nec ullam Arianorum conniventiam fuiſſe pro Donatiſtis; & ſi qua fuit, Euſebio cauſam non extitiſſe comminiſcendæ concertationis de anabaptiſmo. Quamquam enim Ariani Donatiſtas ſibi ſociare tentarunt ex Alipio apud S. Auguſtinum Epiſt. 44. al. 163., & lib. 3. contra Creſcon. cap. 34., initam tamen inter eos ſocietatem quandam, diſerte tradere Auguſtinum Epiſt. 185. al. 50. negatur; cum ibi iſtud habeat Auguſtinus: *Ariani Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*

cti diverſas ſubſtantias eſſe dicunt; Donatiſtæ autem non hoc dicunt, ſed unam Trinitatis ſubſtantiam confitentur: Et ſi aliqui ipſorum minorem filium eſſe dixerunt, quam Pater eſt, ejuſdem tamen ſubſtantiæ non negarunt. Plurimi vero in eis hoc ſe dicunt omnino credere de Patre, & de Filio, & Spiritu Sancto, quod Catholica credit Eccleſia: hiſque ſimilia tradit ſerm. 33. de verbis Apoſtoli cap. 5. Ita & Donatus Carthaginenſis licet ex S. Hieronymo de Viris Illuſtr. c. 92. ediderit *librum de Spiritu Sancto Ariano dogmati congruentem*, & ex S. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 69. *non Catholicam de Trinitate* habuerit *ſententiam; ſed quamvis ejuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio* putarit *Spiritum Sanctum:* nihilominus cum tam ipſe, quam cæteri ſuæ ſectæ Filium, & Spiritum S. *conſubſtantialem* Patri confiterentur; manifeſtum eſt eos minime ſententiæ Arianorum adhæſiſſe; nam *hoc uno ideſt ὁμοούσιος omne venenum Ariani dogmatis internecatur*, inquit Marius Victorinus l. 2. adverſus Arium; tametſi Filium aſſerebant *minorem* Patre; quandoquidem hoc ipſum dixiſſe & Alexandrum Epiſcopum Alexandr., & plures SS. Patres adnotavit Card. Baronius ad ann. 318. n. 83., Neque id repugnat aſſertioni SS. Hieronymi, Auguſtini, & Epiphanii hær. 59., Theodoretique lib. 4. Hiſt. cap. 6., qui loquuntur, habita temporum ratione, quibus & ſcribebant, & non amplius habebatur ſatis Catholicum aſſerere Filium minorem Patre. Similiter idem Auguſtinus Epiſt. 185. ſcribit: *aliquando autem, ſicut audivimus, nonnulli ex ipſis volentes ſibi Gothos conciliare, quando eos vident aliquid poſſe, dicunt hoc ſe credere, quod & illi credunt: ſed majorum ſuorum autoritate convincuntur; quia nec Donatus ipſe ſic crediddiſſe aſſeritur, de cujus parte ſe eſſe glorìantur:* & Epiſt. 61. de iiſdem Donatiſtis ait: *ſcias ergo nos non in eis deteſtari niſi diſſenſionem ipſorum, per quam Schiſmatici, vel Hæretici facti ſunt; quia Eccleſiæ Catholicæ unitatem, & veritatem non tenent &c. & in eo quod in hominibus baptiſmum Chriſti non agnoſcunt.* Creſconius etiam omnium Donatiſtarum nomine apud S. Auguſtinum lib. 2. contra eum cap. 3. ita effatur: *Inter nos ... una Religio, eadem Sacramenta, nihil in Chriſtiana obſervatione diverſum ſchiſma factum, non hæreſis dicitur: ſiquidem hæreſis eſt diverſa ſequentium ſecta; ſchiſma vero eadem ſe-*

quentium ſeparatio: Hinc probe S. Auguſtinus lib. 3. contra ipſum Creſcon. cap. 34. *Deo gratias*, inquit, *quod nec valuit, ſi tamen cœpta eſt, illa conſpiratio hæreticorum Orientalium cum Afris Hæreticis prævalere:* Et quidem quomodo unquam fieri, ac prævalere ſocietas illa poterat; ſi Donatus Epiſtolam conſcripſerat, *in qua ille agebat, ut nonniſi in ejus communione baptiſma Chriſti eſſe credatur*, teſte S. Auguſtino lib. 1. Retract. cap. 21.? Tentaſſe profecto videntur Ariani, ſeu Euſebiani anno 347. in Conc. Sardicenſi, vel potius Concil. Philippopolitano Epiſtola ea encyclica etiam ad *Donatum* data Donatiſtas ſibi adjungere; ſed rem ſucceſſu caruiſſe multa demonſtrant; & quod nec Ariani in Africa ante Vandalorum irruptionem, nec Donatiſtæ in Oriente unquam locum obtinuerint; & quod antiquorum nemo, qui res Arianorum, & Donatiſtarum accurate literis mandarunt, rem hanc attigerit. Athanaſius ipſe omnium, qui hæreſim Arianam exagitarint, pernoverintque, diligentiſſimus ſcriptor, & veſtigator Donatiſtarum cum Arianis, vel horum cum illis conniventiæ, aut ſocietatis nullum verbum facit; cum tamen Apol. 2. clare meminerit ſocietatis Arianorum cum Coluthianis, & Meletianis Schiſmaticis. Præterquamquod ſi etiam inter Donatum, & Semiarianos, Euſebianoſque aliquid vel tentati, vel firmati fœderis interceſſerit ex ea Philippopolitani Conciliabuli Epiſtola; non propterea & inter Donatiſtas, & Arianos hoc ipſum fœdus extitiſſe credendum: nam & Reſtitutus Epiſcopus Carthaginenſis anno 359. interfuiſſe legitur Semiarianorum Concilio Nicææ Thraciæ, novamque cum eis fidei formulam edidiſſe; nec ob id tamen invenitur, Afros, vel ipſos Carthaginenſes cum Semiarianis conſpiraſſe contra Catholicos. Poſtea quid demum, ſi Donatiſtæ cum Arianis aliquando conſpiraſſent? cum id factum eſſet multo poſt Nicænum Con., mortemque Euſebii Cæſarienſis, nullam debuit, potuitque vicem Euſebius rependere anabaptiſmi confictione in Hiſtoria ſua, quam dictum eſt ſcriptam fuiſſe ante Concilium. Nec eſt, quod quis ſibi perſuadeat, id factum antea ab Euſebio, quò Donatiſtas ad Arium, Arianumque dogma alliceret, pertraheretque: nam quo pacto demulceri Donatiſtas ab Euſebio in Hiſtoria dicemus, ſi is lib. 10. cap. 5. refert Conſtantini Aug. Epiſtolam Chreſto Syracuſarum Epiſcopo datam contra Donati-

natiſtas in Romano judicio convictos, quos vocat *propriæ ſalutis, & venerationis, quæ ſanctiſſimæ fidei debetur, oblitos, privatas adhuc ſimultates prorogare non ceſſantes, prolatæ jam ſententiæ adquieſcere nolentes*? & cap. 6. Epiſtolam aliam Conſtantini ad Cæcilianum Epiſcopum Carthagin., qua ſignificat illi ſe ter mille folles mittere Eccleſiarum Africæ Miniſtris diſtribuendos, poteſtatemque facit utendi opera Proconſulis, & Vicarii Præfectorum ad compeſcendos *Schiſmaticos*? & ſi in lib. 1. Vitæ ejuſdem Conſtantini cap. 45., & ult. hunc titulum præfixit: *Quomodo inſipientes toleraverit:* quo loco commemorat Euſebius Africanos, ideſt Donatiſtas ex Baronio ad ann. 314. num. 53. & 54., atque Noriſio par. 1. Hiſt. Donat. cap. 14. turbas excitantes? Poſtremo ſi ante Nicænum Con. ea Arianorum ſocietas cum Donatiſtis inita, vel tentata eſſet; aut ſi ſibi Ariani Donatiſtas devincire optaſſent; egiſſent quoque, ut horum cauſſa iterum in Concilio agitaretur, & cognoſceretur; quando ibi & illa Meletianorum, & Paulianiſtarum, & Novatianenſium agitata ſcitur; Donatiſtarum autem cauſſa in Concilio neque cognita fuit, & ne propoſita quidem: Et ſi Euſebius in Hiſtoria eſſet anabaptiſmum commentus Donatiſtarum gratificandorum cauſa, vel horum alliciendorum, demerendorumque, illam profecto ad eos deferri, ac pervenire ſatagiſſet; ut ea perlecta, quod ad eorum ſchiſma confirmandum valeret, invenirent; nunquam autem ad eos perveniſſe comperitur, nunquam innotuiſſe; cum nunquam certe ex ea quicquam vel in libris, quos multos ediderunt; vel in Collationibus, quas cum Catholicis habuerunt, attulerint; non præclaras S. Dionyſii Alexandrini Epiſtolas, non multa Orientalium Concilia Iconienſe præſertim, & Synnadenſe.

Ad num. XX. *Concilium Nicænum I. Canone VIII., & XIX. nihil directe, & expreſſe de Novatianenſium, illiſque affinium Hæreticorum baptiſmo decrevit* =

NOn ego tantum mihi ſumam, ut & nonnullos, & non mediocris ſcientiæ Autores dicam hallucinatos, quod ſibi blandiantur de Canone Nicæni Concilii contra Anabaptiſtas; ſed incertam, & ancipitem Concilii ſanctionem

pro ſuo quemque arbitratu, atque intellectu cenſeo interpretatos eſſe. Nam, ut præteream illud Siricii Papæ in Epiſt. 1. ad Himerium Epiſc. Tarraconen. de baptizatis ab Arianis, *quos*, inquit, *nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum... Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum Conventui ſociamus*: quod omnes ibi eum loqui de Synodo Nicæna ſubſcribunt: illudque etiam Innocentii I. Papæ in Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ c. 5., ubi de Can. XIX Nicænæ Synodi ſcribit: *Numquidnam cum de Paulianiſtis jubeat* (rebaptizari); *omnes, qui ab Hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? quod cum nullus audeat facere, de ipſis tantum eſſe præceptum ratio ipſa demonſtrat*: S. Auguſtinus pluribus in locis cum dictitet, quæſtionem hanc de rebaptiſmo *in Concilio plenario totius Orbis* definitam, aliud nihil intelligi voluit niſi Nicænum Concilium; ut & plerique contendunt, & ego manifeſtum quoque me facturum ſpero; S. vero Hieronymus in Dial. adverſus Lucifer. dilucide pronunciat, *Nicænam Synodum omnes Hæreticos* ſuſcipere, nempe ſine baptiſmi iteratione, *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*: ita quidem Latini veteres, Græci contra nihil in eo Concilio de Hæreticorum baptiſmo determinatum fuiſſe crediderunt; hinc S. Epiphanius in fine Operis de Hæreſibus cap. Compend. doctrinæ de fide, & in Anacephal. num. 8. habet de quibuſdam: *alii vero fortiter ſibi agere videntur, qui non conſultis aliis, & præter aliorum morem velut ab Orthodoxis progreſſi Collegium ſibi ipſis contrahere audent: Sed & citra univerſalis Synodi approbationem rebaptizare eos, qui ad ipſos accedunt nimirum ab Arianis; quum nondum ſit res ex cenſura Synodi, velut dixi, deciſa; eo quod populi ſint hodieque inter ſe permixti, & multi quidem ſint Orthodoxi, verum per ſimulationem Sacerdotibus addicti; donec ſeparatio facta fuerit talis blaſphemæ hæreſis; & tunc contra ipſam decretum fiet. Ex his autem, qui ſic rebaptizant ex proprio juſſu, pervenit ad aures noſtras, quod unus ſit in Lyciorum Regione Presbyter*: quare in magno ſuo de Hæreſibus volumine nuſquam Hæreticis errori dat, quod rebaptizarent, demptis Ebionitis, Marcionitis, & Eunomianis; quorum alteri rebaptizationes diverſi generis habebant; alteri vero & ritus Eccleſiaſticos, & formam Evangelicam prorſus immutabant;

& ta-

& tamen quamplures extaſſe, qui more Donatiſtarum iterarent baptiſma, certum eſt. Etiam S. Baſilius M. in Epiſt. Canon. ad Amphilochium c. 1. cum in eam iverit ſententiam, quæ fuit S. Cypriani, & Firmiliani, rebaptizandos eſſe Hæreticos, & Schiſmaticos, manifeſte declaravit, ſe non æſtimaſſe quicquam in Nicæna Synodo ea in cauſſa ſancitum eſſe; quod & clarius autumavit c. 47., ubi poſtquam aliter Romæ fieri perſcripſit, addidit: *quamobrem ſi hoc placuerit, oportet plures convenire Epiſcopos; & ſic canonem exponere; ut &c.* Quam quidem ob cauſam & S. Athanaſius, & S. Cyrillus Hieroſolym., & S. Jo: Chryſoſtomus Græci, ſed & S. Optatus Milevitanus Afer docuerunt omnes multopoſt etiam Nicænum Con. Hæreticos eſſe rebaptizandos: Quæ quum mecum ipſe diſſeruiſſem; reperi Cl. Card. Noriſium in Hiſt. Donat. par. 1. cap. 10. & ipſum ſcriptum reliquiſſe, Occidentales quidem ſenſiſſe, Can. XIX. Nicæni Con. Hæreticorum rebaptizationes præter Paulianiſtas eſſe prohibitas, Orientales vero nequaquam. Et ſane Græci nec temere, nec oblique eo modo ſenſiſſe videri poſſent; nam quod Siricius Papa in Synodo Romana decreverit *Novatianos, vel Montenſes* ad Eccleſiam venientes ſuſcipi *per manus impoſitionem, eo quod rebaptizant*, ex ejus Epiſt. 4. ad Epiſcopos Afros, uti & Innocentius I. ex ejus Epiſt. 2. ad Victricium Epiſc. c. 8., numquid excluſerunt plures alios ab Hæreticis ad Eccleſiam venientes, ut Cataphryges, Arianos &c., qui & ipſi rebaptizabant; quominus & ii per ſolam manus impoſitionem ſuſciperentur? Et quum Tridentinum Concilium ſeſſ. 7. de Confirm. c. 3. definierit: *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Latinorum plures Theologi adverterunt, vocem *ordinarium* a Concilio uſurpatam eſſe; ut quæſtio de extraordinario Miniſtro, de qua Catholici Theologi non conveniebant, ſub judice maneret; ſive eo quod definitum legatur de ordinario Confirmationis Miniſtro, non inde argumentari, definitum quoque ibi fuiſſe de extraordinario Miniſtro. Illud porro falſum eſt, ex Euſebio haberi, deducique, Novatianenſem hæreſim anſam dediſſe, & occaſionem contentioni in Oriente, & Africa de rebaptizandis Hæreticis, id quidem ſenſit Baronius ad ann. 258. n. 12., eam al-

ter-

tercationem ex Novatianorum, & Cataphrygum more rebaptizandi fluxiſſe; ſed refellitur nec immerito a Pagio ad ann. 255. n. 11. Nil igitur mirum eſſe debet, ſi a Nicænis Patribus de Novatianenſium baptiſmo nullum eſt verbum habitum; quamquam neque id omnino concedendum erit; nam cum Can. XIX. Nicæni Patres ſanxerint de Clericis Paulianiſtis, ut *rebaptizati ordinentur*; de Clericis vero Novatianenſibus, ut *impoſitionem manuum* accipiant; quis non intelligit, Patres illos agnoviſſe Novatianenſes recte baptizatos, eorumque baptiſma ratum eſſe? Et ſi vero Patres Nicæni nihil de Novatianenſi baptiſmate ſtatuerint; non inde conſequitur, eis exploratum fuiſſe, neminem Epiſcoporum Orthodoxorum in Oriente extitiſſe, qui anabaptiſmo faverit; ſed quod compertum haberent, in Oriente, & Africa magnopere viguiſſe, & vigere rebaptiſmum a Patribus multis, magni nominis, magnæque religionis, & a Conciliis non duobus, ſed multo pluribus ſtabilitum; Nicæni Patres, quorum major pars ex Oriente erat, honori & quidem ſummo habendos judicarunt Cyprianum, Helenum, Firmilianum, cæteroſque veteres multorum Conciliorum Antiſtites; nihilque de eo movere, ſed uti œconomia, remque in medio relinquere. Certe in Laodiceno Concilio aliquot poſt Nicænum annis congregato actum eſt de *Novatianorum* baptiſmate; idne igitur factum dicemus, quod Patres illi noverint olim de eo in Oriente, & Africa diſputatum? minime gentium.

Ad num. XXI. *Per Nicænum Concilium Donatiano Schiſmati nihil proviſum* =

NEc eſt etiam, quod quis dicat, potuiſſe quidem rebaptiſmum a Nicænis Patribus proſcribi, quin & debuiſſe, & proſcriptum fuiſſe; ſed his temporibus ignorari, quod Acta Nicæna pene omnia interciderint: Quod ſi quiſpiam hoc ipſum diceret, non eo refellendus eſſet; quod Conſtantinus Imp., ejuſque ſucceſſores Catholici Donatiſtas ſubinde turbas excitantes, & Catholici in tot cum eiſdem Schiſmaticis Collationibus nunquam ad Nicænos Canones provocaverint; Conſtantinus enim Imp., aliique Catholici Imperatores ideo protervenientes Donatiſtas ad Canones Nicæ-

nos

nos non provocarunt, quod alia erat cauſſa Schiſmaticorum, quam ad Imperatores referebant, nempe Cæcilianum Carthagine Epiſcopum præpoſtere ordinatum fuiſſe, & ordinatores, aſſeclaſque ejus ſacrorum Codicum omnes traditores extitiſſe; propterea Imperatores nedum Canones Nicænos Donatiſtis non oppoſuerunt, ſed nec Arelatenſes; cum tamen iſtis Afrorum rebaptiſmus palam ſit circumſcriptus, coercituſque. Catholici quoque cum Donatiſtis diſputantes, vel in eos ſcribentes modo nunquam, modo rarò ad Synodi Nicænæ decreta confugerunt; quod illi vel nunquam, vel rarò de baptiſmo diſputationem inibant; ſed ſemper, aut ſæpius de Schiſmate, præſertim in Collationibus cum Catholicis; ubi, ut vidimus, tantopere refugerunt rebaptiſmi quæſtionem agitare; nam conſtat & S. Auguſtinum in libris contra eos de baptiſmo conſcriptis non ſemel objeciſſe quæſtionem eam fuiſſe terminatam *in Concilio plenario, univerſali, & totius Orbis*, quo nonniſi Nicænum Con. intelligi poſſe mox demonſtrabitur. Et ſi quis adhuc inſtaret, Conſtantinum M. Donatiſtarum, qui in judicio Romano, atque Arelatenſi victi erant, cauſſam, quo diſſidentium lites componeret, pacemque Africanis Provinciis afferret, in Nicæno Concilio agitari, cognoſcique voluiſſe; idque licere argumentari, quod Cæcilianus Carthagin. Epiſcopus totius Donatianæ inſectationis ſcopus Concilio interfuit: non bene redarguetur ab eo, qui assereret, id vetaſſe fieri Arianæ cauſæ magnitudinem; cum manifeſtum ſit, plura eo in Concilio agitata, atque ſtatuta fuiſſe, quæ ad hæreſim Arianam minime pertinebant, uti de die Paſchatis celebrandi decretum, & XX. Canones, in quibus liquet de Meletianis, Novatianenſibus, & Paulianiſtis diſceptatum eſſe. Quod autem Tillemontius conjicit; vereor, ne modo ſit infra hominis eruditionem; quomodo enim Conſtantinus animadvertit graviori morbo Orientem, quam Africam laborare; neque tum eum eſſe, qui graviter ægrotans alienis poſſet vulneribus medelam præſtare; ſi in toto Oriente nonniſi XV. Epiſcopi Ariani erant anno 325., quique leguntur Nicæno Con. interfuiſſe, qui etiam, exceptis duobus, brevi ſe dediderunt Catholicis, Actaque Concilii Nicæni ſubſcripſerunt; nec, quoad vixit Conſtantinus Aug., ullum, quantum quidem ad dogma attinet, verbum fecerunt, diſ-

ſidium

ſidium ullum crearunt? in Africa vero Donatiſtæ anno 311. jam LXX. Epiſcopi Cæcilianum damnarunt, & anno 325., cum eſt Nicææ convocatum Concilium, Africam totam impleverant? Quid, non imperabat Conſtantinus tam Orienti, quam Africæ? eratne Concilium Nicænum Orientis tantum, & non potius totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ? Cur itaque Donatiſtarum cauſſa non eſt ad Nicænum Con. perducta, ibique cognita, ideo fuit, quia jam & Romæ, & Arelate, & apud ipſum Conſtantinum tertiò tractata, ac terminata fuerat; *quia ibi quoque ultimo judicio ſuperati ſunt*, inquit S. Auguſtinus lib. 1. contra Parmen. cap. 6., propter quod nec in Sardicenſi, nec in alio Concilio ulla illorum habita eſt ratio, ſed *furori ſuo illi permiſſi ſunt* ex eodem Auguſtino c. 544. Collat. 3., cum antea & Conſtantinus in literis ad Verinum Vicarium anno 316. ſcripſerit relaxandos eos, *& furori ſuo dimittendos, quia jam Deus cœperat in illos vindicare*, teſte Auguſtino, ſeu Patribus Concilii Cirtenſis in Epiſt. 141. al. 152. inter Auguſtin. Deinde quia nec ipſi Donatiſtæ ſuæ cauſſæ cognitionem ad Concilium Nicænum deferri poſtularunt; idque autem, propterea quod præter ſuæ partis homines, quos ſolos Chriſtianos vocabant, *in hæreditate Chriſti toto Orbe diffuſa contendebant non eſſe Chriſtianos; & agnum Dei in ſola Africa remanſiſſe*, uti nos docet idem Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 2. & 9., qua de cauſa Nicænum Concilium appellabant cœtum Traditorum, & Paganorum. De reliquo quum Euſebius in Vita Conſtantini M. lib. 3. Concilium iſtud deſcribat: *Deinceps igitur Concilium Generale tanquam quemdam Dei exercitum inſtruens in unum locum coegit, & Epiſcopos undique per literas honorifice ſcriptas, ut eo maturarent, accivit &c. Ubi autem edictum in quaque Provincia divulgatum erat, omnes ſimul cum animorum alacritate tanquam a carceribus ad curſum emiſſi propere advolarunt &c. Ex omnibus namque Eccleſiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Aſia extiterant, Dei miniſtri, qui facile primas ferre putabuntur, in unum convocati &c.* eritne adhuc, qui quærat, quam ob cauſam Cæcilianus Carthaginienſis Epiſcopus Nicæno Concilio interfuerit? vel qui ſcribat, cauſam, ob quam acceſſerit, omnino ignorari?

Ad

Ad num. XXII. *Inſignis Auguſtini locus* (lib. 2. de Bapt. cap. 7.) *pro Concilii Nicæni contra Anabaptiſmum ſanctione adducitur, ſed ad I. Arelatenſe multis, magniſque momentis refertur* =

QUotquot ad Auguſtinum confugiunt, ut Hæreticorum baptiſmum a Nicæna Synodo ſuſceptum aſtruant, nec multum temere mea quidem ſententia, nec ſatis conſulto faciunt. Dictum eſt paulo ſuperius, veteres Patres Græcos doctrina, & ſanctitate ſummos inficias ire; contra Latinos illis nequaquam impares affirmare: quis eſt qui quaſi ſedens inter ſupremos, ampliſſimoſque viros judex eſſe velit; & virgula cenſoria vel hos, vel illos notare ſe poſſe arbitretur? non ego ſane, ni mente motus ero. Sed quoniam nec in præſentia quæritur, an Auguſtinus, & Latini rectius ſenſerit in hac re, quam Græci; nec alias, quod equidem ſciam, id in quæſtionem veniſſe legitur: dicendum eſt mihi ad illud, quod quærendum exiſtimant; quodnam videlicet ſit illud *Concilium plenarium*, & *univerſale*, ad quod ſcribit S. Auguſtinus quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo deductam fuiſſe, & in eo terminatam; quodque alii Nicænum, alii Arelatenſe intelligendum contendunt. Conſtantinopolitanum enim I. eſſe quidem non poteſt, non tantum icciico quod iſtud XXVII. poſt Auguſtinum natum anno celebratum eſt; illud autem, antequam is natus eſſet: ſed etiam quod & Auguſtino aut cognitum, aut univerſale non fuit; & in eo nihil de baptiſmo determinatum eſt, ut ſuo loco demonſtrabitur. Ab iis autem, qui ex eo Auguſtini loco lib. 2. de Bapt. cap. 7. *Quum enim ſecutum ſe dicat ſententiam dicti Concilii &c.* Nicænum tantummodo, vel Arelatenſe ſolum intelligendum cenſent, percontarer ego; cur intelligi non queat Concilium I. Carthaginienſe ſub Grato Epiſcopo anno 348. vel 349. congregatum; cum in eo can. 1. rebaptizationes ſint omnino prohibitæ; & cum fuerit plenarium, & univerſale Africæ aliquot annis, antequam S. Auguſtinus naſceretur, coactum? Nonnullos reſpondere, poſſe ſcio, ex aliis Auguſtini locis haberi, *Concilium* illud, in quo quæſtio de Hæreticorum baptiſmo finita eſt, fuiſſe *totius Orbis*, *univerſæ Eccleſiæ &c.*, quod de Carthaginienſi memorato non videtur poſſe concedi. Utique, ſed cum idem Au-

guſtinus lib. 6. de Bapt. cap. 7. ſcripſerit: *Nos ergo jam de baptiſmi ſimplicitate ubique agnoſcendam conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ etiam Conciliis univerſalibus roboratam tenentes &c.*, & lib. 2. cap. 9. veritatem Catholicam de hac re *Conciliorum etiam majori robore confirmatam religioſiſſime cuſtodiri* dixerit; monueritque, plura Concilia univerſalia conſuetudinem, & traditionem de Hæreticis non rebaprizandis firmaſſe; cur non potuit eo loco Concilium Carthagin. intellexiſſe, aliis vero Nicænum?

Ad num. XXIII. *Qui Auguſtini locum de Nicæno Concilio interpretantur, ejuſdem eximii Doctoris auctoritatem, & doctrinam enervant* =

QUi pro Nicæno ſtant, nedum Auguſtini authoritatem, ejuſque ſapientiæ laudem non extenuant, ſed magnopere augent: quamquam enim Donatiſtæ authoritati Auguſtini ad Nicænum provocantis nihil tribuiſſent; quod ſua nihil intereſſe dicerent, quid Traditores, eorumque ſocii in ipſos ſtatuiſſent; & Græci etiam in hac re parum; multum tamen Latini ob ea, quæ dicta ſunt; qui quamvis in Nicæno Conc. ſancitum ſcirent de baptiſmo Hæreticorum ſolum *per acceſſionem*, nihilominus Auguſtinum non dixiſſent in Dialectica peccaſſe; nec eum ſecundaria eſſe perſecutum, cum poſſet principalia, quando contra Donatianos decertans non Arelatenſe Conc., in quo *directe* admittitur Hæreticorum baptiſmus, objecit; ſed Nicænum, in quo dumtaxat conjectura conſequi poteſt admiſſum eſſe; cum probe norint, Nicænum *Oecumenicum* Concilium fuiſſe, uti primùm vocari adverto in Epiſtola Concilii Alexandrini anno 339. coacti, non autem Arelatenſe: ſit enim paralogiſmus de re, quæ putatur eſſe, & non eſt; eratque prius oſtendendum, Arelatenſe æque Oecumenicum Conc. eſſe, ac Nicænum, quam ita argumentari. Non callebat Dialecticam Hieronymus ingenio acer, & acutus, eruditione præſtantiſſimus, & in diſputando verſatus, ſi quiſpiam alius? quid igitur, quod in diſputatione cum Luciferiano Schiſmatico non Arelatenſem, ſed Nicænam Synodum exeruit? Præterquamquod videri poterat Auguſtino, & aliis Arelatenſe decretum can. 8. non eſſe ſatis ad Hæreticos ſuſcipiendos ſine bapti-

ptiſmo; cum potuiſſent illi recte, riteque baptiſmum accepiſſe, & tamen impie de Trinitate ſentire, aut imperite de ea reſpondere; & quia non ſola forma Evangelica ſatis eſt ad verum, ratumque baptiſmum; ſed & materia, & intentio Miniſtri neceſſariæ ſunt: annon Manichæi, quos in Africa multos fuiſſe ſcimus, & Seleuciani, & Hermiani aquam in baptiſmo reſpuebant, teſte eodem Auguſtino l. de Hæreſ. c. 46. & 59., quorum ultimos etiam in igne baptizaſſe ſcriptis prodidit Philaſtrius hær. 55., & Marcoſiorum quidam in aqua quidem; alii vero in aqua, & oleo; & alii ſine ulla prorſus materia baptiſmata conferebant ex S. Irenæo lib. 1. adverſus Hær. cap. 8.? quod & alii quoque, ſique complures feciſſe leguntur, ut Jacobitæ, qui aqua non utebantur in baptiſmo, ſi fides danda eſt Prateolo, & Sandero lib. 3. viſib. Monar. hær. 113., & qui vinum aquæ miſcebant ex Egberto Eboracen. Archiepiſc. in excerption. c. 42. Numquid igitur iſti, ſi ad Eccleſiam Catholicam acceſſiſſent etiam Evangelica forma baptizati, interrogatique reſpondiſſent ſe baptizatos eſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., ſine baptiſmi iteratione ſuſcipiendi eſſent? Poſtea quomodo poterat Auguſtinus directius, & verius urgere Donatiſtas canone 8. Concilii Arelatenſis, ſi hic eum latebat? Etenim Acta Concilii Arelaten. in Africa non extaſſe, argumento eſt, quod nec Optatus Milevitanus, nec Auguſtinus, neque Concilia plura ea in Regione coacta unquam illis uſa ſunt, vel cum adverſus Donatiſtas certaretur, vel cum de illis ageretur; præſertim Concilium plenarium Carthagin. ſub Grato Epiſcopo anno 349. celebratum, cujus in can. 1. rebaptizationes penitus interdicuntur; & Optatus memoratus, qui contrarium canoni illi 8. Arelaten. docuit, nimirum Hæreticorum baptiſma irritum eſſe, ac nullum. Sed & quod mireris, infra num. XXVI. confirmatur, probaturque Norisiana ſuſpicio, Synodum Arelaten. nomine tenus Auguſtino cognitam fuiſſe; & tamen hoc loco aſtruitur, debuiſſe Auguſtinum directius Donatiſtas urgere canone 8. Synodi Arelaten., quod quidem quo pacto fieri potuerit, etiamſi Acta illa, & Canon prædictus Auguſtino innotuiſſent, plane non video; quoties animadverto, tam modicam in Eccleſia etiam Latina illorum fuiſſe vel notitiam, vel authoritatem, ut non Euſebius, ſed nec Hieronymus, nec Siri-

cius, Innocentius, Leo, atque Gelaſius Romani Pontifices eorundem uſquam meminerint, etiam cum de rebus, quæ & eo in Concilio ſtatuta fuerant, ageretur. Memorat quidem Auguſtinus pluribus in locis *judicium Arelatenſe;* ſed id, ut ipſemet prodit, ex Actis Proconſularibus; in quibus tantummodo judicium in cauſa Cæciliani actum, ac ejus abſolutio, Donatianorumque ad Conſtantinum Imp. appellatio continebantur.

Illud autem, quod ſatis licenter aſſeritur, impune Cyprianum obſiſtere potuiſſe Nicænorum Patrum decreto; præterquamquod fieri non potuit, ne fingi quidem poſſe ſine injuria puto etiam de re, quæ diſciplinæ eſſet, non vero juris. Non enim tam inſcius fuiſſet Cyprianus, ut reponere poſſet, quid mea, ſi ſecus ſentiant *Orientales?* noviſſet Concilium Nicænum non Orientalium fuiſſe, ſed totius Orbis, uti vocatur a Scriptoribus, & SS. Patribus præſertim a S. Athanaſio in 2. Apol., ac lib. de Synodis, ex Aſiæ, Africæ, & Europæ Epiſcopis conſtitutum teſte Euſebio Cæſarien., ſciviſſet Concilium totius Orbis, & Oecumenicum eſſe quoque totius Eccleſiæ; huic omnes obtemperare debere etiam in his, quæ ad diſciplinam pertinent: quare non ſolum Symbolum Nicænum, quod fidem continet; ſed etiam Canones Nicænos, qui diſciplinæ noſcuntur, obſervandos eſſe ab unoquoque didicimus. Quocirca S. Auguſtinus l. 2. de Bapt. cap. 4. ſcribit de eodem Cypriano: *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno poſteriore Collega patienter, concorditerque correctum; quanto citius ipſe cum Concilio Provinciæ ſuæ univerſi Orbis authoritati patefacta veritate ceſſiſſet.* Non potuiſſe autem Cyprianum idipſum reponere Arelatenſium Patrum ſanctioni, eo quod ea a plurimis Africanis Epiſcopis, qui Concilio Arelatenſi interfuere, comprobata eſt; decretum vero Nicænum ab uno tantum ex Africanis Antiſtitibus Cæciliano, uti teſtatur Benignus Heracleæ Epiſcopus; multimodis erratur: primum quod plurimi ex Africa Epiſcopi ad Arelaten. Concilium acceſſerint, ad Nicænum vero unus tantummodo Cæcilianus, cum ad Arelatenſe judicium

cium VII. tantum ex Africa Catholici Epiſcopi convenerint, ad Nicænum autem Con. quot numero, ignoretur. Nam & ſi in Actis unus ex Africa dumtaxat Cæcilianus occurrit in ſerie Epiſcoporum; meminiſſe oportet, nonnullos tradere, Acta Nicæna pene omnia intercidiſſe; ego tamen Valeſio, & Pagio aſſentior, Acta illa neutiquam periiſſe; ſed ſeriem Epiſcoporum Nicænorum ad nos mutilam, & corruptam perveniſſe etiam certus affirmo; quis enim unquam eſt, qui neſciat CCCXVIII. Epiſcopos Patres Nicæni Con. ab omnibus Scriptoribus, SS. Patribus, Conciliiſque enumerari; quamquam CCCXX. eo conveniſſe author eſt Sozomenus lib. 1. cap. 16., quippe quod Actis CCCXVIII. Epiſcopi ſubſcripſerunt, duo reliqui Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis Epiſcopi ſubſcribere recuſarunt? & tamen ſeries, quæ modo legitur, & varia eſt, & nonniſi CCX. circiter Epiſcopos exhibet. Cum igitur CX. Epiſcopi deſiderentur; iique fere omnes ex Africa, & Occidente; quis eſt, qui certo aſſeverare poſſit, Nicæam ad Concilium unum dumtaxat acceſſiſſe ex Africa Cæcilianum? Certe in Epiſt. Concilii Romani ſub Damaſo Papa anno 369. al. 372. coacti ad Epiſcopos Illyrici juxta editionem Holſtenii legimus: *Majores noſtri CCCXVIII. Epiſcopi, atque ex Urbe ſanctiſſimi Epiſcopi urbis Romæ directi apud Nicæam &c.* quorum urbis Romæ ne unus quidem extat in Nicænorum Patrum catalogo. At de Afris Benigni Epiſcopi teſtimonium habemus: ita ſane, ſed Epiſcopi Heracleæ in Macedonia, non in Africa; ſed CCXXVIII. poſt annis in Oecumenico V. Concilio teſtimonium perhibentis; qui quod eſſet ſeriem, quam nunc habemus, Antiſtitum Nicænorum unum Africæ Cæcilianum referentem nactus; unum quoque ex Africa Cæcilianum acceſſiſſe Nicæam pronunciavit. Et ſane quam vero abſonum eſt, Epiſcopum Carthaginienſem totius Africæ Primatem, & Metropolitanum ad Oecumenicum Concilium, ad quod omnes, *qui primas ferre putabantur*, vocati ſunt, ſolum ſine ſociis, ſine ſuffragatoribus Epiſcopis, ſine aliis Africanarum Provinciarum Primatibus acceſſiſſe; quando ad Arelatenſe judicium ipſe cum VI., & ad Sardicenſem Synodum cum XXXV. Epiſcopis ſe contulit; quando ad Chalcedonenſe Concilium, Africa majori ex parte per Vandalos oppreſſa, atque detenta, IV. Epiſcopos Afros iviſſe legimus

mus Act. VI., & XVI., quæ quidem ſub Conſtantino M. tempore Nicæni Concilii pacata erat, ac tuta a Barbarorum incurſionibus: præſertim etiam cum oppoſitum habeat Euſebius Cæſarien., qui Concilio interfuit, in Vita Conſtantini lib. 3. cap. 7., ubi refert ad Concilium *ex omnibus Eccleſiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Aſia extiterant, Dei miniſtros, qui facile primas ferre putabantur, in unum convocatos. Templum etiam Nicææ velut Dei nutu amplificatum intra parietes ſuos Syros pariter, & Cilices &c. & Afros, aliosque &c. recepit:* Afri igitur, & ex tota Africa præcipui, ac primates Antiſtites Nicæam ad Concilium ſe contulerunt, non unus Cæcilianus. Qua in re etiam Card. Baronius errore detentus ad ann. 419. num. 86. non veretur Sardicenſe Concilium pene præferre Nicæno ſaltem in Africanæ Eccleſiæ ad Romanam Sedem Appellationum cauſa; nam, inquit, & *Oecumenicum* fuit Sardicenſe æque ac Nicænum; & illi ex Africa XXXVI. Epiſcopi interfuere, Nicæno vero unus tantum Cæcilianus: at quo pacto, ſi Oecumenicum fuiſſet Sardicenſe, Auguſtinum fugiſſet anno 398., & 406. cum Fortunio, Creſconio, aliiſque Donatiſtis diſputantem ex his, quæ infra ad n. XXVI. dicentur? & quomodo Africani Epiſcopi ann. 419. Romanis Pontificibus tamdiu ob Appellationes obſtitiſſent eo in Concilio adeo aperte memoratas? Deinde etiamſi unus Cæcilianus Nicæam ad Synodum acceſſiſſet; ipſe ſolus utpote totius Africæ Metropolitanus, & Exarchus totius Africæ Antiſtitum vices geſſiſſet; nec ob id minus Nicænum Con. fuiſſet Oecumenicum, cui propterea univerſi ex Africa Catholici obtemperare debuiſſent omni de re tam juris, quam diſciplinæ. Quod ſi numerus Epiſcoporum attendi deberet, neque Arelatenſi Concilio Cyprianus acquieviſſet; cum huic VII. tantum Epiſcopi Afri præſentes fuerint; totuſque cætus ex ſolis XXXIII. conſtiterit Epiſcopis, ut paulopoſt videbitur; ejus vero Con. III. Carthaginienſe ob hanc cauſam coactum ex LXXXVII. Antiſtitibus: verum non Epiſcoporum numerus, ſed Oecuminici Concilii authoritas, & robur vincit. Proinde illud mihi certiſſimum, S. Cyprianum fuiſſe magis Nicæno decreto ceſſurum, quam Arelatenſi; & Auguſtinum appellatione *Concilii Plenarii, & Univerſalis* ad ſolum Nicænum Concilium aliquando, aliquando autem etiam ad alia, nunquam vero

ad

ad Arelatenſe Concilium animum adjeciſſe ob ea, quæ proxime dicta ſunt. Creſconio tandem, atque Fortunio Donatianis literas Orientalium, & Sardicenſe Concilium, ex quibus affirmabant, etiam Orientales agnoviſſe Traditorum crimen, & propter hoc ab eis ſe disjunxiſſe, Donatoque communicaſſe, Auguſtino, Catholicisque opponentibus Auguſtinus primum Epiſt. 44. al. 163. Eleuſio, & aliis data, deinde contra Creſcon. lib. 3. cap. 34., & lib. 4. cap. 44. repoſuit, illud fuiſſe Arianorum Concilium; ideoque nihil ad ſe, ſuamque cauſam pertinere; cum & ipſi Donatiani Arianos pro Hæreticis haberent: *tu Arianos*, inquit cap. 34., *jam inter hæreticos & nobis, & vobis deteſtandos in tua Epiſtola poſuiſti; unde mihi tecum nulla neceſſitas eſt etiam de hac quæſtione confligere*: & cap. 71. lib. 3. contra Creſcon. *Neſcio quod de Sardicenſi Concilio, quod nec ad vos, nec ad cauſam, quæ inter nos eſt, & vos, omnino pertinere monſtratur*: cap. vero 44. lib. 4. *illud enim de Orientalibus omnino non probas*: Et quamquam in Epiſtola, ſive Colloquio cum Fortunio Donatiſta quodammodo hærebat; utpote cui primum innotuit Concilium illud Sardicenſe, quod veriùs Philippopolitanum fuit; mox tamen perlecto codice deprehendit, quid eſſet, & quid reſponſi daret. Non enim Concilio illo Nicænum erat opponendum, in quo nihil tractatum fuerat de Donatiano Schiſmate, de quo potiſſimum agebatur, diſceptabaturque cum Fortunio, non de anabaptiſmo: quam ob cauſam cum aliis in locis pluries Auguſtinus objecerit Donatiſtis *Concilium plenarium*, *univerſale*, *ac totius Orbis*; cur in his locis Sardicenſi Concilio illud idem *plenarium*, & *univerſale* non oppoſuit? nimirum quod alia erat cauſa de rebaptiſmo, alia vero de Schiſmate, ut poſtea videbitur.

Ad num. XXIV. *Qui Concilium plenarium ab Auguſtino enunciatum ad Nicænum traducunt, neque Auguſtini mentem, neque Arelatenſis Concilii finem aſſequuntur. Cardinalis Noriſii effugia præcluduntur* =

Tametſi locus ex Epiſt. 43. al. 162. S. Auguſtini ad Eleuſium ductus nihil ad rem attinet; & cauſam Cæciliani, ſchiſmaque dumtaxat ſpectat, non vero anabaptiſmum; nihilo

nihilo tamen ſecius digreſſioni huic inſiſtere veritatis vindicandæ cauſa non inutile puto. Quapropter alium Auguſtini locum lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 2. legere eſt, quo illum Epiſtolæ ad Eleuſium contextum magis explicare videtur his verbis: *Afri nempe inter ſe Epiſcopi confligebant, ſi finire inter ſe obortam diſſenſionem non poterant, ut ſive per concordiam compoſitis, ſive degradatis, qui male contenderent, hi, qui bonam cauſam haberent, in communione Orbis terrarum per unitatis vinculum permanerent: reſtabat utique, ut Epiſcopi tranſmarini, qua pars maxima diffundebatur Eccleſiæ Catholicæ, de Afrorum Collegarum diſſenſionibus judicarent &c. Hoc ſi factum non eſt, culpa eorum eſt, a quibus fieri debuit; non Orbis terrarum, qui non ad ſe perlata neſcivit: ſi autem factum eſt, quid peccaverunt Eccleſiaſtici judices, qui crimina etiamſi vera, & ad ſe delata, ſibi tamen non probata damnare nullo modo debebant?* hiſque haud multum diſſimilia ſcribit lib. 2. de Bapt. cap. 6., lib. 3. contra Creſcon. cap. 68., & Epiſt. ol. 170. Severino data de Donatiſtis; quibus ex locis eruitur, ipſe *Plenarii Eccleſiæ univerſæ Concilii* vocabulo non indicaſſe Concilium Arelatenſe; quod & ſuadet id, quo lib. 1. contra Parmen. cap. 6. inducit Philadelphienſem in Aſia Eccleſiam cum Donatiſtis ita colloquentem: *per illas* (gentes) *ad me tranſit fama de vobis; ipſæ de vicinitate cauſam veſtram examinare potuerunt. Quod ſi non eſt factum vos neglexiſtis; neque enim neglecti a cæteris non uſque ad nos etiam veniretis: ſi autem aliquid judicatum eſt; date veniam; non audeo vobis ſuperatis temere credere, & judices veſtros eadem temeritate damnare:* appellatione vero Epiſcoporum, & Eccleſiarum *Tranſmarinarum* non ſignificaſſe Occidentales ſolos, ut quidam arbitrantur, ſed omnes extra Africam extantes, & in primis Orientales; demonſtrant ea, quæ paulo infra producam, nec non quæ idem lib. 3. contra Creſcon. habet c. 67. *Non, inquis, communicat Oriens Africæ, nec Africa Orienti. Non ſane, ſed in paleis hæreticis ab area dominica ſeparatis; in frumentis autem Catholicis, & interioribus paleis omnino communicat Oriens Africæ, & Africa Orienti &c. Huic ergo Eccleſiæ, quæ copioſis ſucceſſibus cum dilatatur toto Orbe terrarum &c., huic inquam Eccleſiæ, cui partem Donati non communicare manifeſtum eſt, majores veſtri probare debuerunt quæ-*

cum-

cumque vera documenta de Traditoribus habuerunt: moxque ſubjungit cap. 68. *dic ergo, rogo, cauſa iſta veſtra cum veris documentis perducta eſt ad judicium tranſmarinarum Eccleſiarum labore Apoſtolico fundatarum, an non eſt perducta? ſi perducta eſt; viciſtis in eo judicio, an victi eſtis? ſi viciſſe vos dicitis; cur eis Eccleſiis, in quarum judicio viciſtis, non communicatis? ſi autem, quod ſatis ipſa indicat ab eis alienata veſtra communio, victi eſtis; quid nobiſcum vel mala, vel bona cauſa perdita litigatis? &c. Si autem cauſa illa veſtra cum veris, quod tibi elegiſti, documentis ſuis ad judicium tranſmarinarum Eccleſiarum non eſt perducta, quomodo potuerunt ab eis tot Epiſcopi in ſuis plebibus conſtituti, cauſa incognita, & ad ſe omnino non delata jure damnari?* & in ſuperiori quoque Epiſt. 43. ol. 162. ſcripſerat: *millia quippe Collegarum tranſmarina reſtabant, ubi apparebat eos judicari poſſe, qui videbantur Afros, vel Numidas Collegas habere ſuſpectos:* ex quibus apparet, Auguſtinum totum fuiſſe, ut oſtenderet Donatiſtas non quidem in Concilio plenario univerſæ Eccleſiæ damnatos; ſed temere, ac perverſe Schiſma creaſſe cum univerſa Eccleſia; ſive damnati fuerint in Concilio univerſæ Eccleſiæ, ſive non; ſive Concilium illud fuerit factum, ſive non.

Et probe meo quidem judicio Noriſius carpit Launojum, quod is ex loco memoratæ Epiſtolæ 43. S. Auguſtini ad Eleuſium & putet in cauſa Donatiana factum fuiſſe Concilium Oecumenicum, illudque Arelatenſe eſſe; & probet Romanum Pontificem vel invitum plenario ſubdi Concilio; ut fuſius demonſtrabitur: duplex vero Auguſtini *ſyſtema* contra Donatiſtas perpetuo ſervatum *abſolutum*, & *hypotheticum* a Vindice Cypr. excogitatum & eſt modo ſupervacaneum, & quoque falſum eſt, a neutro eorum animadverſum, quod quidem animadvertendum eſſet: ecquis enim eſt, qui legens non advertat, verba illa Auguſtini, *Ecce putemus &c.* dicta eſſe per conceſſionem, & hypothetice? ſed illud inſuper viderunt homines acuti, & in diſputando exercitati Noriſius, & Launojus, etiam in ſyſtemate hypothetico ſecuturum id, quod in abſoluto ſequi videtur; & Auguſtinum conceſſiſſe, ſi non factum eſt, fieri ſaltem potuiſſe, ut Romanus Pontifex vel invitus univerſali Concilio ſubderetur. Præterea & illud falſum dico, viros illos non perſpexiſſe *alteram hypotheſim*,

theſim, ſi tamen altera vocari poteſt, quæ pars eſt hypotheſis unius; nam ex Dialecticæ præceptis hypothetica propoſitio ex pluribus conflatur enunciationibus; quod ſi in aperto eſt, partem primam Auguſtinianæ hypotheſis, *Ecce putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe*, cognitam Launojo, Norifioque fuiſſe; alteram quoque hypotheſis partem, *reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium*, illis exploratam fuiſſe neceſſe eſt, ut integram haberent hypotheſim. Non igitur in hoc erratum eſt; ſed quod verba illa *plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium* ad Arelatenſem Synodum, ſeu potius judicium traduceret Launojus; idque improbat non injuria Noriſius; quoniam illud *plenarium* quidem dici poteſt, ſed non *Eccleſiæ univerſæ Concilium*: deinde non quod Romani Pontificis ſententiam cenſeat Noriſius judicari poſſe, ſi ad plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium adducatur; ſed quod quamvis Launojo, & Gallis concedendum eſſet, quod ipſi contendunt, Rom. Pontificem ſubdi Concilio generali; ait Noriſius, Concilium ab Auguſtino commemoratum non poſſe eſſe Arelatenſe, iccirco quod cum in illo Auguſtini deberet judicari ſententia Rom. Pontificis, id Arelate fieri non poterat; ſi quidem urbs ea ad Patriarchatum Romanum pertinet, in quo Romanus Pontifex nulli ſubditur Synodo utpote *Primas*, inquit ille; qua appellatione non ſummum Pontificem, Eccleſiæque caput intelligit, ſed Patriarcham, qui olim, uti & Metropolitani, Primates nuncupabantur; qua etiam ſignificatione loquitur S. Auguſtinus a Noriſio laudatus: quamquam Galli facile reponent, Romanum Pontificem ſubdi Synodo generali, ubicumque ea fiat, etiamſi Romæ cogeretur; & Auguſtinum loqui de Provinciali Synodo ex can. IV. Concilii Nicæni: at iſta hæc alterius loci ſunt.

Quoniam igitur ſyſtema iſtud hypotheticum nequaquam eximit Romanum Pontificem, quin is ex S. Auguſtino generali Concilio ſubjiciatur; quid hoc ipſum valeat efficere, dicetur par. 2. ad Diſſert. 3., ad quod tamen hoc loco juvabit advertere, in judicio Romano pro Cæciliano non ſediſſe Melchiadem velut ſummum Pontificem, univerſæque Eccleſiæ caput, ſed ut cæteros Epiſcopos, judicemque privatum; cum S. Auguſtinus non dixerit, *ecce putemus Epiſcopum Romanum non bonum judicem fuiſſe; reſtabat adhuc &c.*, ſed, *ecce putemus*

temus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe &c.: & Donatiſtæ non poſtularint ſibi judicem Romanum Pontificem; ſed *petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua*, dixerint apud Optatum Milevitan. lib. 1. contra Parmen., qui addit: *bis decem & novem conſidentibus Epiſcopis cauſa Donati, & Cæciliani in medium miſſa eſt:* & paulo poſt habet, Eunomium, & Olympium Epiſc. in Africam a Conſtant. Imp. legatos pronunciaſſe: *ſententiam decem & novem Epiſcoporum jamdudum datam diſſolvi non poſſe:* & alibi: *dati ſunt judices Maternus ex Agrippina Civitate, Reticius ab Auguſtoduno Civitate, Marinus Arelatenſis &c. Cum conſediſſent Melchiades Epiſc. urbis Romæ, & Rheticius, & Maternus, & Marinus Epiſcopi Gallicani &c.:* cum & Conſtant. M. ſcripſerit in Epiſt. ad Melchiadem de hac re: *Placuit mihi, ut idem Cæcilianus &c. Romam naviget, ut ibi coram vobis, & coram Rheticio, Materno, ac Marino Collegis veſtris, quos ea cauſa Romam properare juſſi, poſſit audiri:* nec non in alia ad Chreſtum Syracuſarum Epiſc., *jam quidem antea &c. ita conſtitueram, ut miſſis e Gallia quibuſdam Epiſcopis &c., præſente quoque Romæ urbis Epiſcopo id, quod commotum fuiſſe videbatur, ſub horum præſentia poſſet diligentiſſima examinatione componi:* ſimiliter in ea ad Ablavium Præf. P., & S. Auguſtinus etiam in Epiſt. 48. al. 93. ad Vincentium Rogat., in Epiſt. 89. al. 167. ad Fauſtum, 116. al. 165. ad Generoſum, atque lib. de Agone Chriſtiano cap. 29., ubi aut Melchiadis P. non legitur facta mentio; aut nihil ſpeciatim Romano Antiſtiti tributum invenitur; uti & Epiſt. 105. al. 166. *quod & factum eſt in urbe Roma præſidente Melchiade Epiſcopo cum Collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator:* præſidebat igitur Melchiades Rom. Epiſcopus non aliis, ſed cum aliis in eo judicio. Quapropter cum illud fuerit judicium privatorum Epiſcoporum; quid mirum, ſi S. Auguſtinus, conceſſo, illos non bonos judices fuiſſe, ait reſtaſſe adhuc plenarium Eccleſiæ Concilium, in ea præſertim cauſa, quæ factum ſolum, non jus, aut fidem ſpectabat?

Neque verba illa: *dedit ille aliud Arelatenſe judicium*, referuntur ad ea, quæ prius Auguſtinus protulerat, *reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium*, uti Launojus vult; cum enim in iſto cauſa retractari deberet eorum, qui Romæ judicarunt; ut *ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſenten-*

tiæ ſo'verentur; iidem judices propriam judicaſſent cauſam, quando quidem conſtat in Arelatenſi judicio ſediſſe Romanum Epiſcopum per legatos, Marinum Arelatenſem, Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, Meroclem Mediolanenſem, & Proterium Capuanum Antiſtites, qui & in Romano judicio ſederant, cauſamque cognoverant. Sed quia nonnulli poſſent reſpondere de his judicibus id, quod de Cæciliano Carthagin. Epiſcopo quidam tradiderunt, qui cum reus eſſet, tamen in Actis, Synodicaque Arelatenſi legitur ſubſcriptus: ſciant, valde diſparem eſſe hujus, ac illorum rationem; hic enim utpote reus non ſedit in *judicio;* ſed cauſa ejus cognita, eoque abſoluto, in *Synodo*, in qua Canones ſunt conditi, & ipſe conſedit, ſubſcripſitque Epiſtolam ad Sylveſtrum P. miſſam: illi vero uti judices ſteterunt in Arelaten. Judicio, quippe quod Donatiſtæ non ſunt de Romanis Judicibus conqueſti, nec alios judices ſibi dari poſtularunt; ſed tantum murmurarunt, *paucos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe*, & quod *eorum omnis cauſa non fuiſſet audita*, ſed præpropere judicata; quantum quidem produnt Epiſtolæ Conſtantini M. Deinde ſi Arelatenſe judicium fuiſſet illud *plenarium Eccleſiæ univerſæ* Concilium, non dixiſſet Auguſtinus: *dedit ille aliud Arelatenſe judicium aliorum ſcilicet Epiſcoporum:* ſed dixiſſet: *omnium ſcilicet Epiſcoporum:* neque Conſtantinus Imp. in Epiſt. ad Chreſtum Epiſc. Syracuſ. ſcripſiſſet, cogere ſe Arelatenſem cœtum, ut cauſſa *tandem multorum interventu finem poſſet accipere:* ſed *omnium interventu* exaraſſet; nam *univerſæ Eccleſiæ* Concilium non aliquorum, aut multorum, ſed *omnium* Concilium eſt; quod ſi omnium non eſſet, nec univerſæ Eccleſiæ dici poſſet. Itaque quum *univerſæ Eccleſiæ* Concilium Donatiſtis Conſtantinus non dederit; quoniam nec id temporis illud dare poterat, quod univerſa Eccleſia ſub ejus Imperio nequaquam eſſet, ſed major Eccleſiarum pars ſub Imp. Licinio; *dedit ille aliud Arelatenſe judicium aliorum ſcilicet Epiſcoporum; non quia jam neceſſe erat &c.*: quare non neceſſe erat? non quia jam in Romano judicio Cæciliani cauſa ſatis, ſuperque declarata fuerat *præſidente ſummo Pontifice;* ſed quia *res fuiſſet apud urbem Romam ab idoneis, & probatiſſimis viris terminata*, inquiunt Conſtantinus M. in Epiſt. ad Ablavium P.P., & S. Auguſtinus in Epiſt. 105. al. 166., quæcunque enim cauſa, quæ ab idoneo, legitimoque judice recte defini-

definita eſt; non eſt neceſſe, ut iterum definiatur: & ſi fiat, quod ſæpe contingit; id non ex neceſſitate, ſed ex legis, ſeu Principis indulgentia fieri notum eſt. Quemadmodum cauſa S. Athanaſii, Marcelli Ancyrani, & quorundam aliorum cognita fuit, atque diſcuſſa in Concilio Romano anno 342. præſide Julio Papa, illique adverſus Euſebianos accuſarores innocentes declarati; & tamen anno 347. in Sardicenſi fere Oecumenica Synodo iterum cribrata fuit, ac definita: quamquam in Julii Papæ ad Orientales Epiſt. legimus: *inconcuſſam babet autboritatem quælibet Synodus; & contumelioſe agitur cum judice, cujus judicium ab aliis examinatur;* & in Epiſt. 13. Gelaſii Papæ ad Dardanos: *bona vero Synodus, nulla cauſa eſt, cur ab alia debeat Synodo retractari; ne ipſa retractatio ejus conſtitutis deroget firmitatem*.

Altera quoque pars Auguſtiniani textus, *quod utrum fecerint, probent: nos enim non factum eſſe facile probamus*, quæ non hypothetice, ſed abſolute dicta ſunt, minus vere interpretari videtur: etenim etſi propoſitum Auguſtino erat oſtendere; ſi Romani judices male judicaſſent, a plenario Concilio reſcindendam eſſe eorum ſententiam; illud tamen etiam verum eſt, utrumque illis verbis Auguſtinum ita eſſe complexum & plenarium Concilium, & ſententiam reſcindendam, perinde atque diceret, *nos enim non factum eſſe* Concilium, quo eorum ſententia reſciſſa ſit, *facile probamus ex eo, quod Orbis non eis communicat:* idque magis apparet ex his, quæ ipſæ ſubjungit: *aut ſi factum eſt, etiam ibi victi ſunt;* ideſt ſi factum eſt Concilium, etiam ibi eorum ſententia non eſt reſciſſa, & ideo Donatiſtæ victi ſunt; non autem, ſi prior Concilii Romani ſententia in plenario Concilio reſciſſa eſt, etiam victi ſunt: quomodo enim reſciſſa, ac retractata judicii Romani ſententia, victi ſunt Donatiſtæ? ſi ea lata certe victi fuere; igitur ea reſciſſa viciſſent. Neque Noriſiana interpretatio eſt Auguſtino indigna; nam nec Donatiſtæ Concilium plenarium vindicaſſent, Catholici vero pernegaſſent; nec illi nimium ſuæ cauſæ confidiſſent, iſti contra pene deſperaſſent; aut illi ad Concilium plenarium confugiſſent, a quo iſti abhorruiſſent; numquam hæc facta ſunt, numquam ab Auguſtino excogitata. Præterquamquod hoc ipſum, quod magnum, atque inexcu-

inexcuſabile abſurdum dicitur deprehendi Noriſiana in interpretatione, ineſt in illa ipſius Vindicis Cyprian., propterquid enim cogendum erat plenarium Concilium, niſi ut judicum Romanorum ſententiæ ſolverentur, aut confirmarentur? & illorum ſententiæ ubinam probandæ erant, vel improbandæ, niſi in Concilio plenario? ſive igitur Auguſtinus petierit, *probent Donatiſtæ plenarium Concilium factum fuiſſe, ſive probent, judicum Romanorum ſententias in plenario Concilio reſciſſas eſſe*, vel nullum, vel idem abſurdum deprehenditur; ſive enim cauſam per effectum, ſive effectum per cauſam oſtendas; res eodem recidit. Illud igitur erat Auguſtino propoſitum, Donatiſtas in anguſtum redigere; proptereaque admiſit, ſi quando Romani judices male judicaſſent; ſummum, & poſtremum perfugium ſperari potuiſſe plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium; hoc autem, inquit lib. 1. contra Parmen. cap. 6., *ſi non factum eſt, vos neglexiſtis*, & cap. 2. lib. de Unit. Eccleſiæ *culpa eorum eſt, a quibus fieri debuit*: ſi autem factum eſt, *in eo victi eſtis, ut veſtra ſeparatio manifeſtat*: ut hinc tandem intelligerent, faterenturque; ſe temere, nullaque ex cauſa, ſive plenarium illud univerſæ Eccleſiæ Concilium factum eſſet, ſive non, ab univerſa Eccleſia ſeparatos degere. Miror autem, vel potius mirari ſatis non poſſem, ni Scriptoris artem perceperim, Cyprian. Vindicem ingenue fateri, ſe diu, multumque in hujus Auguſtini loci veſtigatione verſatum omnino comprehendere non potuiſſe, qua demum ratione adductus affirmaverit Noriſius ex Auguſtino *Concilium hoc plenarium* factum non fuiſſe; cum eo ipſo in capite nil aliud, inquit, agat, quam oſtendere, Concilium illud, antequam Auguſtinus naſceretur, celebratum non Arelatenſe fuiſſe, ſed Nicænum. Nam jure, meritoque Noris inficiatur plenarium quidem Concilium illud fuiſſe factum deduci ex Epiſt. 43. al. 162. S. Auguſtini, illudque eſſe Arelatenſe, ut contendit Launojus; ſed ex aliis Auguſtini locis, & authoritatibus factum affirmat plenarium, & Oecumenicum Concilium, illudque eſſe Nicænum: quas plane authoritates Launojus miſcet, & confundit; illæ enim, quæ habent factum fuiſſe *plenarium Concilium totius Orbis univerſæ Eccleſiæ*, agunt de Hæreticorum baptiſmate; quæ vero continent *judicium Arelatenſe, tranſmarinum*,

vel

vel *Epiſcopale*, tractant de Schiſmate, Cæcilianique cauſa; in qua nunquam Auguſtinus tradit, totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ factum fuiſſe Concilium, verum fieri potuiſſe, ut in memorata Epiſt. 43., in qua quidem *Arelatenſe judicium* datum fuiſſe teſtatur, ſed *plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium* dari ſolum potuiſſe concedit. Qui volet, & cui tantum eſt otii, legat S. Auguſtinum lib. de Baptiſmo 1. cap. 7. & 18., lib. 2. cap. 1. 4. 7. 8. 9. & 13., lib. 4. cap. 5. 6. & 8., lib. 5. cap. 17. & 22., lib. 6. cap. 1. 2. 7. & 13., lib. 7. cap. 1. 7. & 27., ubi de Baptiſmo Hæreticorum non iterando diſſerens appellat *Concilium plenarium*, *Concilium univerſale*, *plenarium totius Orbis Concilium*, *univerſæ Eccleſiæ ſtatutum*, *univerſæ Eccleſiæ Concilium*, *totius Orbis unitas*, *univerſæ Eccleſiæ*, & *Orbis authoritas*, *totius Orbis Chriſtiani plenarium Concilium*, *ſanctum Concilium cunctarum Gentium*, *Concilium Catholicum Orbis terrarum*: ubi vero de Schiſmate Donatiano diſceptat lib. 1. contra Parmen. cap. 4. & 6., contra Creſcon. lib. 3. cap. 13. 25. 61. 68. & 71., lib. 4. cap. 7., contra Petil. literas lib. 2. cap. 92., contra Donat. de Baptiſmo lib. 3. cap. 2., in Brevic. Collat. c. 19., poſt Collat. c. 25., Epiſt. 43. al. 162., 48. al. 93., 185. al. 50., 88. al. 68., 89. al. 167., *judicium Arelatenſe*, *judicium tranſmarinum*, *judicium Epiſcopale*, *judicium Eccleſiaſticum*, *judicium Melchiadis*, & *Romanum* nominat, nunquam Concilium.

Etſi re quidem vera Natalis Alexander illis Auguſtini verbis lib. poſt Collat. c. 18., *hæc verba per Orbem terræ univerſa perſonat Eccleſia: teſtimonium Dei novi; negotium Cæciliani non novi*, abutitur, quo demonſtret, Cæciliani cauſſam univerſo Orbi non innotuiſſe; proindeque Arelatenſe Concilium non fuiſſe Oecumenicum; tamen non deſunt aliæ Auguſtini authoritates, quæ manifeſte id aſtruunt; & in quibus, ut in ſupramemorata, non multa apertiſſime falſa Donatiſtis Auguſtinus concedit, ſed vera demonſtrat: loquitur enim ibi, aliiſque pluribus locis de re ſui temporis, quo ſcribebat, decertabatque cum Donatiſtis; & quo univerſa Eccleſia, demptis perpaucis, qui Acta Proconſularia lectitabant, Cæciliani cauſam, & Schiſmatis originem ignorabat; quare ait: *hæc verba per orbem Terræ univerſa perſonat Eccleſia, clamat etiam membrum illius in Africa: teſtimo-*

nium

nium Dei novi, negotium Cæciliani non novi. Credo innocentem a veſtris majoribus inſectatum, quem lego toties abſolutum; ſed qualiſcunque ſit cauſa ejus, cauſæ meæ nihil præjudicat &c. Quid eſt, quod funem tam longum a Cæciliano uſque ad hæc tempora Catholicæ Eccleſiæ implicare contendunt? lib. vero 3. contra Creſcon. cap. 32. *conſidera, quam innumerabilis multitudo Chriſtianorum in Africa ipſa neſciat, qui fuerint Traditores; quantomagis in cætero Orbe Terrarum &c. Crede Orbi Chriſtiano dicenti tibi; baptiſmum Chriſti ſcio; qui fuerint traditores in Africa, vel ubilibet, ignoro:* & lib. 4. contra eundem cap. 42. *& tamen nec nos; nec Orientis, nec Occidentis tot, tantoſque populos ſaltem neſcire permittis cauſam Cæciliani; cum iſti neſciant &c.:* jamque cap. 25. dixerat; *cum Afris ab Afris objecta crimina nunquam probata, toties abſoluta Orientalibus, & Occidentalibus Terræ finibus ignota eſſe non ſinant &c.:* lib. etiam de Unit. Eccleſiæ cap. 2. *quomodo ergo contaminatus eſt Orbis, qui neſcit adhuc, an vera ſint iſta, quæ dicuntur:* & in Epiſt. 87. al. 164. ad Emeritum Donat. *nam certum eſt, magnæ parti Romani Orbis, ne dicam etiam Barbaris gentibus, quibus quoque debitorem ſe dicebat Apoſtolus, quorum Chriſtianæ fidei communio noſtra contexitur, ignotam eſſe partem Donati: nec eos omnino ſcire vel quando, vel quibus cauſis exorta ſit iſta diſſenſio;* pauloque poſt: *quanto magis ergo, quales fuerint Afri, quos ignotiores arguis, Orientalis Orbis ignorat? &c. ſi tum Mugadenſem Epiſcopum veſtrum famoſiſſimum, & peſſime diffamatum non dico Cæſarienſis, ſed Sitifenſis Collega ejus, ejuſdemque temporis ignorabat; quomodo traditores Afros, quicumque illi fuerint, Eccleſia Corinthiorum, Epheſiorum, Coloſſenſium &c., cæterarumque Orbis partium ab Apoſtolis in Chriſto ædificatarum aut noſſe potuit?* Orientalibus vero neque ſuo tempore, neque antea unquam innotuiſſe Cæciliani cauſſam ſcribit in eadem Epiſt. ad Emeritum; *cur ergo vos tam temeraria, atque ſacrilega direptione præcidiſtis a communione innumerabilium Eccleſiarum Orientalium, quas ſemper latuit, & adhuc latet, quod in Africa geſtum eſſe aut docetis, aut fingitis?* & paulopoſt; *unde manifeſtum eſt, a communione Orbis, cui ſeu falſa, ſeu vera crimina, quæ Afris intenditis, prorſus ignota ſunt, & ignota ſemper fuerunt, ſacrilego ſchiſmate vos eſſe ſeparatos:* ſimiliter cum lib. 2. contra lit. Petil. cap. 11. dixiſſet;

ſet;

ſet; *ſi tumore ſuperbiæ poſito, & pertinaciæ furore ſuperato vellent attendere, quam immani ſacrilegio transmarinarum Eccleſiarum, quas primævas ſitas ex Sanctis libris accepimus, baptiſmus execretur &c.;* ſubjungit cap. 12. *ipſi vero fratres noſtri memoratarum Eccleſiarum filii, quid ante tot annos in Africa geſtum ſit, & tunc neſcierunt, & modo neſciunt, unde illos crimina &c.:* nomine autem *transmarinarum* Eccleſiarum Auguſtinum ſignificare Eccleſias omnes, quæ ſunt extra Africam, maximeque *Orientales*, lucet ex lib. 1. contra Parmen. cap. 4., lib. 2. contra Creſcon. cap. 37., lib. 3. cap. 67. & 68., lib. 4. cap. 25., lib. 2. contra Gaudentium cap. 7., lib. 3. de Baptiſmo cap. 2., poſt Collat. cap. 4., de Geſtis Pelagii cap. 22., & Orat. de 5. Hæreſibus; uti & Victorem Vitenſem lib. 2. de Perſecut. Vandal., Epiſtolis etiam 44. 87., & 165. tradit Donatiſtarum cauſſam Orientalibus ignotam extitiſſe; & Epiſt. 161. Honorato Donat. ſcripta, commemoratis Eccleſiis Orientalibus, & Apoſtolicis, ait: *noſſe debes, quod facillime poteſt in illis omnibus partibus, unde iſtas terras Evangelium Chriſti perfudit, nec nomen ſciri Donati;* hoc eſt tempore potiſſimum, quo ſcribebat; quo quidem modo etiam de Cæciliano locutum lib. 4. contra Creſcon. cap. 25. exiſtimandum eſt; cujus quamquam antea meminit S. Athanaſius Orat. 1. in Arianos; id non evincit, notum fuiſſe Provinciis, & Eccleſiis Orientis, qui uni tantum innoteſcebat; ſicut & quod ille Nicæno Synodo interfuerit; non inde certo deduci poteſt, eo tempore, & Auguſtini temporibus Orienti innotuiſſe ea, quæ in Cæcilianum perpetrarant Donatiſtæ; qua in re idem Auguſtinus Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. ſcribit: *quicquid tunc inter illos Epiſcopos geſtum eſt, etiamſi forte ab aliquibus eorum ſciebatur, ſi non ſit acceptio perſonarum, nunc ab omnibus ignoratur:* & Epiſt. 185. al. 50. ad Bonifacium: *utrum Cæcilianus a traditoribus divinorum codicum fuerit ordinatus, neſcio, non vidi; ab inimicis ejus audivi.*

Ad num. XXV. *Arelatenſe I. plenarium fuiſſe affirmatur* =

Cum S. Auguſtinus in hac de Baptiſmo Hæreticorum quæſtione reſpexerit non quodcunque, ſed *plenarium, & univerſale totius Orbis Chriſtiani, cunctarum gentium, ac*

univerſæ Eccleſiæ Concilium, qui in Auguſtino ita loquente videt *plenarium*, non autem Oecumenicum; male videt, & cœcutit: quod quidem *Oecumenicum* qui dicit ſe in Arelatenſi Concilio videre; pejus etiam videt, aut videre ſe ſimulat. Illud quidem verum, quum Auguſtinus *Plenarium* memorat *Concilium*, non continuo intelligendum loqui eum de Oecumenico; propterea quod *Plenarii* vocabulum cuicunque aptari poſſit Concilio Provinciali, & Regionali, Oecumenicoque, & canon XVI. Concilii Antiocheni illud, cui interſit Metropolitanus Epiſcopus, vocet *Concilium Plenarium* juxta Iſidori verſionem, vel *Perfectum* ex verſionibus Dionyſii, & Hetveti: quemadmodum & appellatio *Generalis*, & *Univerſalis* Concilii convenit & Oecumenicis, & Regionalibus, ſeu Nationalibus Conciliis: at non item cum dicitur plenarium, aut univerſale totius Orbis, totius Eccleſiæ Concilium: Eſt enim Oecumenicum omne Concilium etiam Plenarium, & Generale, ſeu Univerſale; non autem contra; cum inveniantur Concilia totius Africæ, Aſiæ, Hiſpaniæ, & Galliarum, aliarumque Nationum dicta & Plenaria, & Generalia, & Univerſalia, nunquam vero Oecumenica. Aliud igitur eſt Concilium *univerſale Regionis*, aliud Concilium *univerſale Eccleſiæ*; iſtud Oecumenicum dicimus, illud vero nequaquam: quamobrem quantuncunque Plenarium, & Univerſale fuerit Arelatenſe Concilium; niſi Oecumenicum quoque demonſtretur, nihil ad Donatiſtarum cauſſam conducet: & quantumcunque ipſum aſtruatur univerſale Regionis, ſive Occidentis; niſi quoque oſtendetur univerſale Eccleſiæ, ac totius Orbis Chriſtiani; nihil adverſos eos, qui locum Auguſtini pro Nicæno Concilio interpretantur. Immerito autem notari lego Natalem Alexandrum; quod is ex illis Auguſtini verbis *Eccleſiæ univerſæ*, *totius Orbis*, *cunctarum gentium* non Arelatenſe, ſed Nicænum deduxerit Concilium: quippe neminem unum eſſe puto, qui velit affirmare, ad Nicænum Concilium, quin & ad Chalcedonenſe omnium Conciliorum frequentiſſimum, Eccleſiam univerſam, totum Orbem, cunctaſque Gentes ſingulatim conveniſſe; ſed nec ad Regionalia Concilia omnes, qui Regionis ſunt; nec ad Provincialia Provinciales omnes ad unum conveniſſe ſcimus; & tamen dicimus Concilium univerſæ Regionis, totius Provinciæ, cunctorum Regionalium, &

omnium

Digitized by Google

omnium Provincialium: quia ſi non omnes ſingillatim, & per ſe; per alios tamen intereſſe poſſunt, & debent, quicunque ad id Concilii poteſtatem accedendi habere noſcuntur. Ergo non quia omnes Chriſtianos, totum Orbem, omnemque Eccleſiam interfuiſſe putemus Nicæno Concilio; illa Auguſtini verba de eo Concilio interpretanda dicimus; ſed quia illa ejus verba ſolum *Oecumenicum* Concilium, quale Nicænum fuit, denotant, non autem Arelatenſe. Ais non eſſe novum, Occidentalem Mundi partem *Terrarum Orbis* nomine Auguſtini temporibus nuncupari, ut probe advertit Sirmondus: at Sirmondus, qui primus ad gloriam ſuæ Nationis, Concilium illud ab Auguſtino nominatum non aliud eſſe quam Arelatenſe, ſibi probandum ſumpſit; non probe, ſed perperam omnes illas Auguſtini voces *totius Orbis*, *cunctarum Gentium &c.* de Arelatenſi Concilio dictas vel putavit, vel putari voluit; cum non aliunde oſtendat Occidentem nuncupatum *Terrarum Orbem* quam ex locis S. Auguſtini, ubi de anabaptiſmo differit;. & ubi eum dicit proſcriptum in *Concilio Orbis Terrarum*, *cunctarum Gentium &c.*; quod Sirmondo placuit interpretari de Occidente, & Arelate. Quod ſi Occidens, & Europa *Terrarum Orbis* nomine venit Auguſtini temporibus; cur idipſum non potuit & Meridies, ſeu Africa; itaque adducta ex Auguſtino loca explicari, atque interpretari de Concilio totius Orbis Meridionalis, ſeu Africani, nempe de Plenario, ac Univerſali Africano Concilio anno 349. ſub Grato Epiſcopo celebrato, in quo primum Rebaptizationes omnino eliminatæ ſunt? ſin minus hoc arridet; igitur nec illud. Simili modo nec arbitrandum eſt, Auguſtinum *cunctas Gentes*, & *totum Orbem* ita uſurpaſſe; quemadmodum Cicero eadem conſuevit uſurpare nomina, quoties aliquid cum laude geſtum commemorandum eſſet: quandoquidem alia eſt forenſis Oratoris apud populum exaggeratio; & alia Chriſtiani Theologi cum Schiſmaticis, Hæreticiſve diſceptatio: aliud optare, ut univerſus Orbis, & cunctæ gentes norint, quæ facta ſunt cum laude; aliud vero ſcriptis mandare, quid totus Orbis, cunctæque gentes uno in cœtu decreverint. Aut igitur Auguſtinus Concilium illud per exceſſum appellavit Plenarium univerſæ Eccleſiæ, & totius Orbis; & ita Oecumenicum non dixit; nam Oecumenicum Concilium non per exceſſum,

ſed vere plenarium eſt univerſæ Eccleſiæ, totiuſque Orbis Concilium; etiamſi non omnes ad illud conveniant: aut citra exceſſum illud nuncupavit plenarium univerſæ Eccleſiæ, ac totius Orbis; atque hoc modo non ſignificavit Arelatenſe: Dum enim ille conjicit de ejuſdem Concilii robore, ac authoritate contra Donatianos, ſtatim de Concilio Oecumenico intelligatur oportet ob duo, & quia phraſi illa, qua utitur, aitque *plenarium univerſæ Eccleſiæ, totius Orbis Chriſtiani, cunctarum gentium Concilium*, non aliud exprimere ſolet, nec aliud exprimi poteſt, quam *Oecumenicum* Concilium; & quia ſi in rebus quibuſdam non tam modus, quam finis attendi debet; & finis Auguſtini fuerit in illius Concilii conceſſione non alius, quam rebaptiſmi exploſio: hæc Schiſmaticis, Hæreticiſve Donatianis inſinuari non poterat niſi authoritate Concilii Oecumenici, non vero Plenarii tantum; cui Schiſmatici, & Hæretici ſe ſe obtemperare non teneri poterant opponere; Oecumenico non poterant: quo ſane factum eſt, ut Auguſtinus nunquam adverſus eos adduxerit, oppoſueritque Concilium plenarium, & generale Africæ ſub Grato Epiſcopo Carthagin. anno circiter 349. congregatum, cujus in can. 1. prohibentur Afrorum rebaptizationes; quia plenarium quidem illud, ac generale fuit, ſed neutiquam Oecumenicum. Dictum porro non Auguſtini, ſed Magni Conſtantini in Epiſt. ad Chreſtum Syracuſarum Epiſcopum; juſſiſſe ſe ad Arelatenſem urbem cœtum Epiſcoporum convenire, ut Afrorum diſſenſio *multorum interventu finem poſſet accipere;* non cauſſam rebaptiſmi, ſed Schiſmatis, Cæcilianique tantummodo ſpectat. Quapropter quantum ad *plenitudinem* Arelatenſis Concilii, ſi de ea ſermo eſt, quæ Concilium Regionis, vel Nationis ſequi ſolet; ſupervacaneum erat eam demonſtrare, de qua forſitan nemo vel ambigebat, vel inquirebat; ſin autem de ea loquimur, quæ Oecumenici Concilii eſt; non mathematice, ſed metaphorice ſummum demonſtratam dico.

Ad num. XXVI. *Pergit Arelatenſe I. plenarium, & œcumenicum demonſtrare* =

Nunc alterum videndum eſt, quibus argumentis idem Arelatenſe Concilium *Oecumenicum* demonſtretur, & quo pacto id pene ſub oculis ponatur. Et primùm mirari mul-

multum non eſt, viros doctiſſimos, & emunctæ naris extra omnem controverſiam docere, neminem unum Orientalium Epiſcoporum ad Arelatenſem Synodum acceſſiſſe; neque quærendum, quibus argumentis iſtud conjiciant; nam id illi non conjicere, ſed demonſtrare poſſunt primum ex eo, quod in Actis Synodi ne unus quidem Orientalium Antiſtitum ſubſcriptus, aut memoratus occurrit, argumento quidem, ut vocant, negativo, ſed hoc loco non invalido; cum ex Provinciis, & Regionibus Conſtantino M. ſubjectis in Europa, atque Africa aliquis interfuiſſe legatur. Deinde quod Arelatenſe judicium cum datum ſit a Conſtantino M., ſub quo ea tempeſtate Oriens non erat, ſed ſub Licinio Aug., qui eo anno, quo actum eſt judicium, unaque Concilium, ſimultates exercuit, bellumque cum Conſtantino geſſit, uti tradunt Anonymus Valeſ.; & Idacius in Faſtis; non erat in poteſtate Conſtantini Epiſcopos Orientales, & alterius ditionis convocare, & ad Concilium ſuæ ditionis cogere. Poſtea ex eo etiam quod Orientales, Græcique Acta hujus judicii, Synodique Canones nunquam habuerunt; uti produnt Græcæ Collectiones Canonum Dionyſii Exigui, Joannis Antiocheni, ſeu Scholaſtici duobus tantum ſeculis poſt Arelatenſe Concilium publicatæ, aliorumque Græcorum; nec non perpetuum apud reliquos Orientales, ipſumque Euſebium Cæſarien. tum in vivis degentem de eo Concilio ſilentium; ut non temere Auguſtinus haud ſemel aſſeruerit, negotium, cauſſamque Cæciliani cum Donatiſtis ſemper Orientalibus ignotam fuiſſe.

Ex ſex porro, quæ extare dicuntur, monumentis, unde Arelatenſium Patrum numerus quidem, & Provinciæ erui poſſint, ſed non Arelatenſis Concilii *Oecumenicitas*; I. ex S. Auguſtino lib. 1. contra Parmen. cap. 5. deſumptum aſſeritur, fateturque jam nihil valere, neutrique parti officere; propterea quod locus Auguſtini, ut obſervavit Valeſius, corruptus ſit, & depravatus: Qui locus, *uſque adeo dementes ſunt homines, ut ducentos judices, apud quos victi ſunt, victis litigatoribus credant eſſe poſtponendos*, recte emendari a Valeſio creditur, qui 20. pro 200. repoſuit; vel a Maurinis Monachis ex codice Vatic. *ut contra judices* legendo; at utrobique male, & minus apte factum; cum reſtituendum ſit, *ut electos judices* ex aliis Auguſtini locis lib. 4. contra Creſcon. cap. 56., ubi habet, *aut electis judicibus potius*,

tius, quam victis litigatoribus crediderunt: & Epiſt. 89. al. 167. Feſto miſſa, *cur ergo adhuc accuſatur Chriſtianus Orbis Terrarum...., qui utique nec potuit, nec debuit niſi electis judicibus potius, quam victis ligatoribus credere?* eadem quippe ſententia eſt; nec in plurimis, quos eadem de re profert Auguſtinus, locis numerum unquam judicum expoſuit; lib. enim 3. contra eundem Creſcon. cap. 68. ſcribit: *elegit judicibus credere, non accuſatoribus victis;* Epiſt. 48. al. 93. ad Vincentium Rogat. *judicibus potius ſuo periculo judicantibus, quam victis litigatoribus credere maluerunt;* & paulopoſt, *judicium illius, quem veſtri elegerunt, quem judicibus Epiſcopis prætulerunt:* lib. 2. de Baptiſmo cap. 6. *innocens Orbis Terrarum, qui judicibus Eccleſiaſticis potius, quam victis litigatoribus credidit:* lib. 3. contra lit. Petil. cap. 59. *in eo quod delatum eſt, cognitoribus potius judicantibus, quam victis murmurantibus credidit:* & lib. 1. contra Parmen. cap. 5. *eam innocentem eſſe crediderunt, quæ cauſam ſuam apud vicinos Eccleſiaſticos judices obtinuerat:* cap. vero 6. *cur enim non credam, recte damnari potuiſſe a vicino judice auditum, qui me fratrem tam longe abſentem damnare non dubitat inauditum?* Præſertim quod Noriſius jure ſuſpicari cenſetur, Arelatenſem Synodum nomine tenus Auguſtino cognitam fuiſſe: ſed cum additur; ſuſpicionem quidem confirmari; non tamen ob id concludi, non potuiſſe Auguſtinum ad hanc Synodum mentem adjungere ea ratione, quod ob eam ipſam conjecturam neque Nicænam, cujus Acta Auguſtinum latuerunt, denotare potuiſſet; falſum eſt, Auguſtinum Acta Nicæni Concilii ignoraſſe, maxime cum ſcripſit libros contra Parmenianum anno 400., & libros de Baptiſmo contra Donatiſtas etiam poſtmodum exaratos; nam anno 397. in generali Concilio Africano III. ſub Aurelio Epiſcopo celebrato can. 48. dixerunt Patres: *de fide enim Nicæni tractatus audivimus:* & can. 3. *ſtatutum eſt, ut ordinandis Epiſcopis, vel Clericis prius ab Ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus eorum inculcetur; ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilii feciſſe aſſerant:* qui canon teſtimonio Poſſidii in Vita S. Auguſtini cap. 8. editus eſt monitu ejuſdem Auguſtini, qui Concilio illi interfuit. Sed neque antea, quum factus eſt Epiſcopus Hipponen. anno 395., tuto affirmari poteſt, latuiſſe eum Acta Nicæna; licet ipſemet in Actis He-

raclii

raclii deſignati ſui ſucceſſoris non diffiteatur, ſe ordinatum Epiſcopum Hipponenſem vivente adhuc Valerio illius Eccleſiæ Epiſcopo, adjiciens: *& ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum eſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat:* propterea quod etſi ignorabat, Epiſcopum neminem ſibi ſucceſſorem eligere, ac ordinare poſſe; non ob id etiam Acta Nicæna ignorabat; cum id expreſse, & claris verbis non decernatur a Concilio; ſed ſolum eruitur, conjiciturque ex can. 8., quo dum legem de Novatianis ſanxit, cavetur, *ne in una Civitate duo Epiſcopi eſſe probentur*. Poſtremo ſi quoque donemus, Auguſtinum Acta Nicæna fugiſſe; cur, quod Nicæna in Synodo probatus fuerit Hæreticorum baptiſmus, ei innoteſcere non potuit ex Romana, & Occidentali Eccleſia, in qua ipſe renatus, & educatus fuerat? cur non ex Dialogo S. Hieronymi contra Luciferianos?

II. & III. monumentum, *inſcriptio* nimirum Epiſtolæ Synodicæ, & Patrum non *ſubſcriptiones*, ut quidam ajunt, ſed *Catalogus*, ſerieſque eorum, qui Arelatenſe ad judicium, Synodumque convenerunt, nequaquam ſecum pugnant; ſed levi deterſo ſcribarum errato maxime conveniunt: tam enim in inſcriptione Epiſtolæ Synod. XXXIII. numerantur Epiſcopi, quam in Catalogo; modo is errore purgetur, & corrigatur: in ſubſcriptionibus non quatuor ſupra quadraginta numerari videmus, ut inquit Valeſius; ſed in Catalogo eorum, qui Arelatenſe acceſſerunt, numerantur LXXXII. ex Clero, XLIV. vero loca, ex quibus Arelate venerunt; & quamvis eorum, qui jus & ſedendi, & judicandi, & ſubſcribendi in Synodis habent, Epiſcoporum nempe, & Præsbyterorum numerum XLVIII. legamus in Arelat. Catalogo; non iccirco neceſſe eſt, ut & Epiſtola Synod. eundem præferat numerum, ſed illum tantummodo Epiſcoporum; qua quidem in re plurima exempla extant, & ad Nicænum I., Conſtantinopolitanum I., Chalcedonenſe, Epheſinum, cæteraque Concilia notum eſt conveniſſe non tantum Epiſcopos, verum etiam Præsbyteros, Diaconos, alioſque ex Clero inferiori; attamen Nicænum I. dicitur Concilium CCCXVIII. Epiſcoporum, Conſtantinopolitanum I. CL., Chalcedonenſe DCXXXVI., Epheſinum CC., & ita de cæteris, nulla Præsbyterorum, Diaconorum, aliorumque habita ratione. Non vacat modo, nec multum intereſt caſtigatum

gatum undequaque Arelatenſis Synodi Catalogum exhibere; id alias fortaſſe fiet; nunc illud ſatis erit animadvertere, labi Sirmondum, dum in notis ad hanc Synodum poſthumis ait; quatuor, qui in Epiſtola Synod. leguntur, Natalem, Probatium, Termatium, & Fauſtinum eſſe Præsbyteros ex Catalogo; & ideo in Epiſtola Synod. reperiri, quod ab Epiſcopis ſuis ad Synodum legati fuerant: primùm quia mihi Fauſtinus ille non alius eſt, quam Fauſtus Tuburbitanus Epiſcopus Catalogi: deinde cur in eadem Epiſtola Synod. non leguntur Claudianus, & Vitus Præsbyteri Romanæ Sedis legati? non Leontius; & Mercurius Præsbyteri ab urbe Oſtia? non Clementius Præsbyter Cæſarauguſtanus, non Sabinus Præsbyter Bæticus, non Romanus Præsbyter Aptenſis legati omnes? Non igitur tres illi Natalis, Probatius, & Termatius Synod. Epiſtolæ Præsbyteri fuerunt, ſed Epiſcopi corrupte, perperamque in Catalogo amanuenſium oſcitantia dicti Præsbyteri; quemadmodum horum ipſorum negligentia factum eſt, ut tres alii in Catalogo dicantur Epiſcopi, qui erant Præsbyteri, Reſtitutus Londinenſis, Mamertinus Eloſatium, & Victor Uticenſis; ſicut & Cæcilianus, qui in prioribus Catalogi editionibus dicebatur Præsbyter, ex Mſs. codd. repoſitus eſt Epiſcopus; & Genialis, qui in quibuſdam Codicibus Diaconus aſſeritur, in quibuſdam vero Epiſcopus: hi namque ſi Epiſcopi eſſent, ſine dubio in Epiſtola Synod. inſcripti legerentur. Nec quiſpiam exiſtimet, errorem in Epiſtolam irrepſiſſe; quoniam hæc in omnibus cum vulgatis, tum Mſs. codicibus eadem invenitur, nunquam variata, nullibi depravata: Catalogus vero ubique varius, & corruptus, interpolatuſque juxta codicum varietatem, vel ſcribarum audaciam: errata igitur in hoc cubare cenſendum eſt, non in Epiſtola; illumque per hanc emendari, & caſtigari oportere. Quare ſi in ea omnes, qui inſcripti reperiuntur, Epiſcopi ſunt; etiam illi tres, qui in Catalogo dicuntur Præsbyteri, cenſendi ſunt Epiſcopi: nam ſi in ea Epiſtola cæteri Presbyteri locum non habent, argumento ſit oportet, nullum in ipſa inſcriptum fuiſſe Præsbyterum. Quod ſi hoc modo res ſe habet, illud etiam conſequitur; tres alios, qui in Catalogo nomine Epiſcopi inſigniti ſunt, & in Epiſtola locum non habent, Epiſcopos minime fuiſſe, ſed Præsbyteros: proptereaque & illud verum eſſe, inſcriptionem Epi-

Epiſtolæ, & Cathalogum Synod. emendatum nequaquam ſecum pugnare, ſed maxime convenire; cum utrobique ſint XXXIII. Epiſcopi.

IV. Monumentum, quod eſt M. Conſtantini ad Chreſtum Syracuſarum Epiſcopum Epiſtola, fidem ſine dubio maximam ſibi aſciſcit; ſed minimam ad *Oecumenicitatem* Arelaten. Synodi aſtruendam. Ea quidem Conſtantinus Chreſtum ad Concilium Arelat. invitat; ſed non ſcribit eo *conveniſſe Epiſcopos e diverſis Provinciis prope infinitis*; cum Epiſtola ſit data ante Concilium, & antequam ad Concilium Epiſcopi convenirent; nec Provinciæ prope infinitæ ſubeſſent Imperio Romano, nedum Imperio Conſtantini, qui anno 314. diviſum cum Licinio regebat orbem Romanum, vixque XL. Provinciis dominabatur ipſe; verum ait in Epiſtola, juſſiſſe ſe, *plurimos ex diverſis*, *ac inenarrabilibus locis* (*ἀμυθήτων τόπων*) Epiſcopos convenire ita profecto, ut idem Conſtantinus declarat in alia ad Ablavium P. P. Epiſtola ſcribens Cæcilianum ad Concilium venturum *cum aliquibus ex his*, *quos ipſe delegerit*; *ſed & de... Provinciis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt*, *quos ipſi putaverint eligendos*. Quapropter fieri potuit, ut non *plurimi*, nec tot, quot Imperator deſiderabat, quibuſdam de cauſis Arelat. ad Synodum congregarentur; ſicut nec Oecumenico Concilio Nicæno omnes, quos Conſtantinus acciverat, interfuiſſe credendum eſt: Chreſtus certe Syracuſanus Epiſcopus unum Diaconum Florum ſecum Arelatē duxiſſe legitur; cum tamen Conſtantinus in ea ad eum Epiſtola hortatus eſſet, ut ſecum *duos ſecundi ordinis* perduceret. Nam & illud falſum eſt, id temporis ſummam *rerum omnium* poteſtatem Conſtantinum habuiſſe; cum nonniſi partem Europæ, & Africæ obtineret, in quibus paucæ Provinciæ numerabantur, & paucæ Eccleſiæ; cætera parerent Licinio Aug., proinde & illa quoque exſufflantur, vero conſonum fuiſſe, & Conſtantini prudentiæ accomodatum, aliquot ſaltem Epiſcopos *Orientales* Arelatem evocare; Euſebium, qui nedum fortaſſe Arianæ factionis ſigniferum agebat, Donatianæ Patronum extitiſſe; & Donatianos jam Arianis fœderatos fuiſſe: Euſebius vero ſi non Epiſtolam Conſtantini ſupponere, aut adulterare valuit; cur non potuit eam omittere, uti plures alias & in hac cauſa, & in

illa Arianorum prætermiſit? Quantum autem ad vocem ἀμυθήτων nihil proprius ſignificat, quam *inenarrabilium*, *ineffabilium*, ac *dictu difficilium;* vel ut vere, etſi minus latine, vertit Nicolajus *indicibilium;* cum certum ſit, verbum græcum μυθέο, & μυθήζομαι nil aliud Latinis ſonare quam fabulor, dico, loquor; & μυθήτης, qui dicit, & fabulatur; nam qui eam vocem *complurium* tranſtulit, omnium peſſime, & arbitrarie egit; ſed nec ſatis apte, qui *infinitorum* eſt interpretatus, ut Chriſtophorſonus, & Valeſius; quoniam etſi nonnulli vocem ἀμυθήτων interdum pro infinitis, innumeriſque uſurparunt; quia omne quod infinitum eſt, atque innumerabile, eſt quoque inenarrabile, & inexplicabile; non tamen e contrario, omne quod dici non poteſt, neceſſe eſt, ut infinitum ſit; cum pluribus de cauſis aliquid dici, & enarrari aliquando non poſſit. Ea igitur voce uſus eſt Conſtantinus, aut quo innueret, non ſibi vacare, nec ſibi facile eſſe; tot loca, quippe quæ plurima eſſent, una claudere Epiſtola, quod Geographorum eſt, & otioſorum, non imperantium; non autem eo quod eſſent vel parum nota, vel prope innumera, ut arbitratur Natalis Alex., aut figurate locutus, uti plures conſueverunt; ſic & Virgilius Ænead. 8. lib.

Haſtamque, & Clypei non enarrabile textum:

& Martialis lib. 2. n. 10.

Vis dare majus adbuc, & inenarrabile munus:

Plinius etiam in Præfat. lib. Natur. Hiſt. *Populorum ejus, Oppidorumque nomina vel maxime ſunt ineffabilia;* & lib. 2. cap. 2. *Æthiopes, atque Indi diſcolores maxime, & inenarrabiles ferunt Aves:* cum tamen & Populos illos, & Oppida illa, Aveſque probe deſcribat. Sane qui Conſtantini dictum interpretantur *e Locis, ſeu Provinciis prope infinitis;* illud quoque fateantur oportet, Arelatenſem ad urbem pluſquam infinitos, vel ſaltem infinitos acceſſiſſe; ſi quidem e Provinciis, Locisque ſingulis non unus tantum, ſed plures ut convenirent Arelatem, juſſit Imperator; igitur ſi eo dicemus Antiſtites ſe contuliſſe e Locis, ſeu Provinciis prope infinitis; Antiſtites etiam vel infinitos illuc acceſſiſſe dicendum erit. Deinde ſcripſerit licet Conſtantinus, conveniſſe Arelatem Epiſcopos *e diverſis locis*, vel *Provinciis prope infinitis;* non tamen ſcripſit eò conveniſſe

prope

prope infinitos, ſed πλείστους (plurimos); & cum ex Catalogo Arelatenſi conſtet cœtum fuiſſe octogintaduorum, annon hi plurimi ſunt? Etiam poſtremum Concilium adverſus Paulum Samoſatenum Antiochiæ congregatum dicitur ab Euſebio lib. 7. cap. 29. fuiſſe *Epiſcoporum prope infinitorum* ex verſione Chriſtophorſoni, ſeu *innumerabilium fere Epiſcoporum*, ut vertit Valeſius; cum tamen nonniſi ſeptuaginta extitiſſe, manifeſte tradat S. Athanaſius lib. de Synodis, ubi *ſeptuaginta Epiſcopos Pauli Samoſatenſis condemnatores* appellat; & alias, *ſeptuaginta* fuiſſe dicit, *qui Samoſatenſem ſuſtulere;* vel octoginta etiam dicere poſſimus ex S. Hilario lib. de Synodis, qui Arianorum objectioni afferentium, Patres olim contra Paulum Samoſatenſem diſputantes *homouſion* reſpuiſſe, reſpondet: *octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecentidecem & octo nuper receperunt &c.: Synodo Samoſatenſi ſubſcribendum putas &c.; ſubſcribamus & Nicænæ Synodo:* qua in re uterque rotundo numero loquitur; ut ei Synodo interfuerint pluſquam LXX. Epiſcopi, minus vero LXXX. Quod enim Baſilius Diaconus, Monachique in ſupplici Libello contra Neſtorium Act. Concilii Epheſini par. 1. cap. 30. *centumoctuaginta Epiſcopos* in Concilio contra Paulum Samoſat. interfuiſſe dicant; nolo putemus, alios ad initium, alios vero ad Synodi finem reſpexiſſe, ut arbitrarus eſt Pagius ad ann. 271. n. 5., ſed vel auctores Libelli non unius Synodi, verùm complurium, quæ factæ ſunt, adverſus Samoſatenſem numerum indicaſſe; vel eos ipſos longe poſt rem patratam ſcribentes, aut etiam libelli exſcriptores erraſſe; cum Græcarum notarum ρπ' ideſt centumoctoginta facile ſit, alteram ρ eſſe audacis, vel oſcitantis ſcribæ additamentum; & Libellus ille, ſive antiquitatem ſpectes, ſive authoritatem; nullo modo ſit cum SS. Hilarii, & Athanaſii ſcriptis comparandus. Quo quidem loco libet adnotare, Euſebium pariter ibi habere πλείστων ὅσων (fere plurimorum); quod multo minus eſt, quam *fere innumerabilium*, aut *prope infinitorum;* nam qui 70., vel 80. annos vixit, *plurimos* annos vixiſſe dicimus; vixiſſe autem *prope infinitos* dicet nemo: interpretes autem, iique quantumvis clari, & excellentes interdum ut ſervilem vitent expoſitionem, exhibent minus veram; id quod etiam cernere eſt in alio Euſebii loco lib. 5. Hiſt. cap. 22., ubi referens Conci-

lia ab Epiſcopis Metropolitanis ſub Victore Papa in cauſa diei Paſchatis celebrandi facta, poſtquam ait ſex de ea re edita Statuta, ſubjungit juxta interpretis verſionem, *&* *alia denique aliorum prope infinitorum;* cum ea tamen tempeſtate Chriſtianis non eſſent prope infinitæ Provinciæ; ſed nec in toto Orbe Romano, in quo nec quadraginta Provinciæ numerabantur.

V. Monumentum ex can. XVIII. Concilii II. Arelatenſis ductum aut nihil, aut parum negotium promovet, probatque; ecquid enim unquam probare poteſt, quod partim incertum, partim ignotum eſt? incertus eſt ferme, ne dicam ignotus, locus Concilii; incertus & Canonum numerus; ignotum, quo tempore celebratum ſit; incompertum, a quibus, & quot Epiſcopis. Locus, ajunt, conjicitur ex ipſo can. XVIII., quo *Arelatenſis* Epiſcopi arbitrio Synodus congreganda committitur; at id ſuadet, in Arelatenſi Provincia factum fuiſſe Concilium, non in Arelatenſi Civitate. Canones aliis ſunt XXV., aliis XXXIII., aliis vero XXXVII., ſed editi ſunt LVI., quorum tamen XXI. certum eſt ad Synodum Arauſicanam pertinere. Sirmondus, & Launojus anno circiter 452. a Ravennio Epiſcopo celebratum exiſtimant; Labbeus anno 451., Marca, Baluzius, & Pagius anno 443. vel 444. ab Hilario Epiſcopo coactum tradunt; ut omittam Binium, qui ſub Siricio Papa factum eſſe putavit: verùm iſti, quod ajunt, nedum non probant; ſed ne ſuadent quidem; qui enim Concilii hujus epocham recte ſe ſub Hilario Epiſcopo conſtituiſſe credunt, nihil aliud ad id afferunt, niſi Epiſtolam 11. al 89. S. Leonis Papæ, qua Hilarium magnas propria authoritate Synodos congregare ſolitum anno 445. coercuit; edixitque, ne ultra *Conventus* indiceret *Synodales:* qua in re ponitur ab his id, quod demonſtrandum erat, actum nempe fuiſſe Concilium ab Hilario: Quod ſi ab Hilario iſtud congregatum fuiſſet; non deerit, qui ad illa canonis XVIII. verba *ex omnibus Mundi partibus* dicat cum eodem Leone M. in memorata Epiſt., Hilarium *pro ſuo more mentiri*. Sit tamen compertus locus Concilii; ſit & Canonum certus numerus; exploratum quoque ſit tempus, & a quo fuerit celebratum; id quod me reperiſſe puto; & ſi mihi vita ſuppetet, de hoc, aliiſque ad eam rem pertinentibus, erit dicendi locus; oſtendamque

Con-

Digitized by Google

Concilium illud ſeculo VI. ſub S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo celebratum eſſe; non propterea ejus canon XVIII. quicquam afferet ad Concilium I. Arelatenſe Oecumenicum aſtruendum. Nam canon ita habet: *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus Mundi partibus præcipue Gallicanis ſub S. Marini tempore &c.*: ubi Sirmondus adnotavit ita codicem Rhemenſem habere; cæteros vero codices fere omnes omittere voces illas *præcipue Gallicanis*; quod ſi iſta hæc addititia cenſentur; quidni & illa *ex omnibus Mundi partibus*? Cum canone XVI. idem Concilium ſanxerit, *Photinianos, ſeu Paulianiſtas ſecundum Patrum Statuta baptizari oportere*; canone XVII. ſtatuit: *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*: quamquam autem Paulianiſtarum baptiſma reprobatum legitur in Con. Nicæno; illud tamen Photinianorum ratum eſſe cenſuit Laodicenum Concilium; cujus canones & Græca, & Latina Eccleſia jampridem receperat, ut apparet ex Collectione Can. Dionyſii Exigui ante Arelatenſe hoc Concilium publicata: Canon quoque de *Bonoſiacis* pugnat cum his, quæ S. Gregorius M. ſcribit ad Hiberniæ Epiſcopos Epiſt. 61. lib. 9., in qua docet, *Arianos* quidem ab Eccleſia Catholica non rebaptizari, *ſecus autem de Bonoſianis, quos non baptizare in nomine Trinitatis certum eſſet*: quare ſi in his erratum eſſe deprehenditur; cur non & cum canone XVIII. dicitur Concilium I. Arelatenſe *ex omnibus Mundi partibus* congregatum eſſe? Verumenimvero neque addititia illa eſſe volo, neque per errorem prolata; & nihiloſecius in illis ajo neque admirabilem Epiſcoporum multitudinem obſervari, neque teſtimonii firmitatem; quippe cum jam oſtenſum ſit, ex Græcia, & Oriente, Ægyptoque neminem unum Epiſcoporum Arelatem veniſſe ad Concilium ibi commemoratum; & ſi quoque ex tribus Mundi partibus tum cognitis acceſſiſſent; poterant nonnulli tantum ex Europa, pauci etiam ex Aſia, & Africa conveniſſe, & numerum conflaſſe nedum non admirabilem, ſed nec admodum magnum; atque etiam vere aſſeri *ex omnibus Mundi partibus* Concilium illud conſtitiſſe; ſicut anno 394. ex

Aſia,

Digitized by Google

Aſia, Africa, & Europa Conſtantinopolim Antiſtites convenerunt ad Concilium, nec tamen numeroſum effecere Conventum, neque Oecumenicum. Cum igitur neque ex Europa Orientali, neque ex ulla Aſiæ parte, neque ex Ægyptiaca Diœceſi, quod eſt majore Orbis Chriſtiani portione, convenire Arelatem Antiſtites potuerint; quo pacto dici potuit, illò conveniſſe ex omnibus Mundi partibus? & ſi dictum eſt, qua teſtimonii firmitate, ac certitudine? teſtantur, inquis, ſe legiſſe: at decipi potuerunt; vel, ut quidam ajunt, per exaggerationem quandam, atque emphaſim loqui. Sed quia exaggeratio illa mihi nimis redundans eſſe videtur; exiſtimo, Arelatenſis II. Concilii Patres, quod legerint in Conſtantini Epiſtola apud Euſebium, juſſiſſe ſe convenire Arelatem Epiſcopos *ex diverſis, & inenarrabilibus locis*, conjeciſſe ex omnibus Mundi partibus Epiſcopos Arelatem ad Concilium profectos eſſe: quod plane ita, ut aſſeritur, eſſe non poteſt; cum neque Conſtantinus id voluerit; neque, ſi voluerit, facere potuerit.

VI. Denique monumentum minus etiam urget, quam quæ proxime ſunt expenſa; dum obſervo *titulos* Concilii Arelaten. I., ejuſque Epiſtolæ Synodicæ in Mſs. codd. inter ſe multum eſſe diverſos; qua in re manifeſte proditur, illos non eſſe Concilii, nec a Concilii Patribus inditos, eorumque juſſu conſcriptos; ſed poſtea a Collectoribus Canonum, & Conciliorum, ſimilibuſque interpolatoribus appoſitos; qui quoniam diverſi fuerunt, atque multi, diverſos quoque, multoſque conſtituerunt titulos; quorum ſi nonnulli inter ſe convenire leguntur, & *ſexcentorum Epiſcoporum* numerum referunt; nil mirum, quando jam conſtat, quamplures ab uno ſoliros eſſe deſcribere, & unius errorem fieri multorum. Primus autem, qui tam ingentem numerum, vel potius errorem invexerit, fuit Iſidorus Mercator, teſte Harduino; qui admonuit titulum hujus Concilii Mſ. Pariſien. S. I. eſſe dicti Iſidori, ab eoque in fine ejuſdem tituli additum eſſe, *ſicut quidam aſſerunt:* quibus teſtatum eſſe voluit, ſe non ab Actis Concilii titulum talem accepiſſe, ſed vel ex vulgi rumore, vel ex quorundam relationibus. Accedit eundem Concilii titulum referri a Gratiano, qui Iſidorum plerunque exſcribere ſolet, diſt. XVI. c. XI. *Prima adnotatio*, ibique haberi non DC., ſed CC. *Patres;* quo in loco

loco Romani emendatores adnotarunt, ea quidem extare in Collectione Iſidori, ſed numerum CC. abeſſe a Collectione etiam Vaticana. Et ſi codices Corbejen., & Morbacen. Monaſteriorum habent ita titulum Epiſtolæ Synod. inſcribi: *Domino SS. Fratri Silveſtro cœtus Epiſcoporum ſexcentorum, qui adunati fuerunt in Oppido Arelatenſi*: tamen codex Arelatenſis Eccleſiæ, qui nunc eſſe dicitur Bibliothecæ Colbert., & cui longe major fides præſtanda eſt, ita perhibet: *Domino SS. Fratri Silveſtro Marinus, vel cœtus Epiſcoporum, qui adunati fuerunt in Oppido Arelatenſi*; quod & omnes editi probe retinuerunt. Simili modo cum Codex Corbejen. titulum præferat *ſexcentorum Epiſcoporum*; horum nihilominus Catalogum texens hæc habet: *nomina Epiſcoporum cum Clericis ſuis, vel quanti ex quibus Provinciis ad Arelatenſem Synodum convenerint ſub Marino Epiſcopo temporibus Conſtantini ad dirimenda ſchiſmata*: nec niſi LXXXII. Patres enumerat; quod ipſum habent & omnes editi. Quis itaque non videt, numerum DC. vel addititium eſſe; uti addititium eſſe notavit Binius illud, quod in primis editionibus legitur, Concilium *circa annum 326. celebratum*; vel ex notis numerorum diſtorte exaratis, & negligenter exſcriptis ortum; ut illud apud prædictum Gratianum, *ſtatuerunt Canones quatuor* loco *XXII.*, cur enim non potuit, ut in S. Auguſtini lib. 1. contra Parmen. cap. 5. genuinam vocem ab inſcitia ſcribarum depravari, qui *ducentos*, & *contra* exararunt, & mendum adhuc in omnibus editis, & Mſs. codd. perſtat; ita in tribus, vel quatuor Mſs. Concilii Arelaten. I. Codd. audacia, vel imperitia ſcribarum addititium eſſe, vel depravatum numerum DC. Epiſcoporum? Quod quidem etiam ex hoc ipſo deduci poteſt, quod in Epiſtola Synodica XXXIII. Epiſcopotum nomina inſcribuntur; quod non fuiſſet factum, ſi centeni fuiſſent, nedum ſi ſexcenteni: hoc enim modo Synodicas Epiſtolas Patres olim ſcribebant: *Epiſcopi Nicææ coacti, & ad amplum, ſanctumque Concilium convocati ſanctæ Eccleſiæ Alexandrinæ, & dilectis fratribus &c.: Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Lybia, Pentapoli omnibus ubique Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis &c.: Sacra Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata &c. omnibus ubique Epiſcopis &c.: Imperatori Theodoſio Sanctum Concilium Epiſcoporum, qui ex diverſis Provinciis,*

Pra-

Præfecturiſque Conſtantinopolim convenimus: *Sancta Synodus*, *quæ per gratiam Dei Epheſi convenit dilectis Comminiſtris Conſtantinopoli agentibus &c.*: nec, niſi cum non eſſent valde plurimi, nomina ſingulorum Antiſtitum inſcribebantur in titulis. Poſtea quis eſt, qui facile poſſit credere, vix ceſſata Diocletiani, & Maximiani in Italia, nec non Alexandri in Africa contra Chriſtianos perſecutione, tantum Epiſcoporum numerum ex ſola Africa minore, & Occidentali Europa Arelatem conveniſſe ad Concilium? quando XI. poſt annis ex toto Oriente, & Occidente, ex toto Orbe Chriſtiano nonniſi CCCXX. Epiſcopos *Nicæam* convocatos manifeſtum eſt? & multo poſt etiam ex Occidente toto, atque Oriente circiter CCLXXX. *Sardicam; Ariminum* ex univerſo Occidente pauloplus CL., eodemque tempore *Seleuciam* ex Oriente CLX., *Conſtantinopolim* poſtmodum ex univerſo Oriente CL. Epiſcopi congregati noſcuntur? Quando S. Athanaſius, qui eo tempore vixit, in Epiſt. ad Afros de Synodo Nicæna, quam dicit Oecumenicam, Orbis Terrarum Concilium, & a CCCXVIII. Epiſcopis celebratam, ſcribit: *ſive enim quis numerum cum numero comparet, tanto major eſt Nicæna Synodus particularibus Conciliis, quantum totum ſui aliqua parte*: & Euſebius in Vita Conſtantini M. lib. 4. cap. 47. de Synodo Hieroſolymitana anno 335. coacta tradit: *hunc ſecundum Conventum, quem equidem ſcimus, maximum poſt illum Bithyniæ celebratum clariſſimum Nicænum Imperator Hieroſolymis collegit?* Poſtremo nonne Severus Sulpitius in Hiſt. lib. 2. ait, *quadringentos, & amplius Occidentales* Epiſcopos Ariminum ad Concilium congregatos; Auxentius Arianus Mediolanen. Epiſcopus in ſuo ad Imperatorem Libello, ut quidam volunt, *ſexcentos;* Hunnericus vero Vandalorum Rex apud Victorem Vitenſem lib. 3. de Perſecut. Vandal. *mille Epiſcopos* voci *homouſion* in Conc. Ariminenſi derogaſſe ferunt? Quid hoc eſt, niſi ſolitæ Scriptorum diſſonantiæ, vel crebræ ſcribarum negligentiæ? De cætero parviſaciendi ſunt memorati Tituli utpote arbitrarii, incerti, & varii; magni vero Synodica Epiſtola, & Catalogus Acta Concilii referentes; potiſſimumque Epiſtola omnium antiquiſſima, ac genuina.

Eſt autem & illud omnino falſum, argumentationem Card. Noriſii contra Launojum multifarie peccare; dum par. 1. Hiſt. Donat. cap. 10., Catholicos in magna Carthagin.

gin. Collatione, (ut & S. Auguſtinus fecit in Epiſt. 43. al. 162.,) Donatiſtis Concilium LXX. Epiſcoporum pro Cæciliani damnatione objicientibus oppoſuiſſe XIX. Epiſc. Romanum conventum, non vero Arelatenſem, oſtendit; quo probet, iſtud nequaquam plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium extitiſſe; quaſi vero inde ſequatur, numeroſiores fuiſſe Romanos judices, quam Arelatenſes in cauſa Cæciliani. Noriſius enim contra Launojum diſputans, convellenſque *Oecumenicum* Concilium Arelaten. ait, illud *non modo non fuiſſe apud Auguſtinum plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ſed illius geſta forte nec eidem, aut Africanis perſpecta validiſſime demonſtrari:* quod quidem ut ipſe probet, memorat Catholicos ideo in Cæciliani cauſſa Concilio LXX. Epiſcoporum Donatiſtarum oppoſuiſſe Romanum XIX. Epiſcoporum Catholicorum Concilium, non autem Arelatenſe, quod hujus geſta, & numerum Epiſcoporum non agnoverunt: quoniam ſi Arelatenſis Conventus fuiſſet *plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium*, Africanis ſine dubio compertus eſſe debuiſſet; ſi autem eum noviſſent, numeroſioremque Epiſcoporum Synodum nacti fuiſſent; valde imprudenter egiſſent, multo minoris numeri Concilium opponendo; quando majus, aut maximum opponere poterant, & debebant; quod longe abeſt a prudentia, & ſapientia potiſſimum Auguſtini: qua in argumenti vibratione profecto Noriſius nedum non peccat, ſed præclare conficit Launojum. Nec ullo modo eum turbare poteſt, qui ei reponat; neque in eadem Carthagin. Collatione Catholicos contra Donatianum anabaptiſmum, neque Auguſtinum contra Fortunium Donatiſtam diſputantes Nicænum Concilium produxiſſe; nam ſupra ad num. XXI., & XXIII. oſtenſum eſt, quam ob cauſam ibi Nicæni Canones minime ſint adducti. Porro illud etiam minus vere dictum eſt, Synodi Arelatenſis amplam non legi in geſtis Collationis Carthagin. mentionem, eo quod geſta *majori ex parte* interciderint, etenim integram habemus primæ, & ſecundæ diei collationem; tertiæ vero diei pars ſolummodo deſideratur, ut ex 882. Capitulis totius, univerſæque Collationis geſtorum capita 306. deſint, reliqua 576. ſuperſunt; ex quibus, nec non ex ſupplemento S. Auguſtini commemoratum quidem ſcimus *judicium Arelatenſe*, ſed non plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, non *Oecumenicam* Synodum;

dum; quod eſt id, quo Noriſius Launojum premit; ibi quidem abſolutus dicitur Cæcilianus; & ab eo confeſſu Donatiſtas ad Imperatorem appellaſſe; ſed nihil ultra; ſed quot judices, quot Epiſcopi interfuerint, quot Canones contra Donatiſtas ſint editi, nuſquam memorantur nec in ea collatione, nec in tot S. Auguſtini libris, quos adverſus Donatiſtas elucubravit, & in quibus ſæpenumero Arelatenſis judicii mentionem injecit: ut haud temere Noriſius ſuſpicatus ſit, Auguſtinum, & Africanos nomine tenus Arelatenſem agnoviſſe Synodum, hujuſve Acta integra neutiquam eis explorata fuiſſe. Futilis autem eſt, & prorſus vana animadverſio illa, in Collatione Carthagin. Catholicos Romanum Concilium exeruiſſe, non Arelatenſia Acta; propterea quod ab Iſtis appellaſſe Donatiſtas certum eſt; ab illo vero non, ut plures contendunt: mihi ſane videntur recte ſenſiſſe & Schelſtratius, & Pagius; Baroniique ſententiam contra Sirmondum, Valeſium, & Noriſium jure tutati eſſe; cum præter ea, quæ ipſi afferunt, extet alia S. Auguſtini auctoritas, quæ omnem e medio dubitationem tollit lib. 3. contra lit. Petiliani cap. 25., ubi ait: *cauſam vero Cæciliani legerim, quam ad Conſtantinum ipſi detulerint; & ab Epiſcopis, quos ille Imperator judices dederat, & ſemel, & iterum ab ipſo Rege illic ad eum appellantibus, etiam tertio fuit abſolutus:* ut ut autem fuerit; ſive appellaverint Donatiſtæ ab uno tantum judicio, ſive ab utroque; illud certum eſt, utrumque ab eis rejectum eſſe, atque improbatum. Cum itaque intelligerent Catholici, tam ſe proficere in commemorando illo, quam iſto judicio; utrumque quidem propoſuerunt, quo omnem controverſiam in cauſa Cæciliani ob oculos Donatiſtis ponerent; ſed quod latius, fuſiuſque paulo egerint de Romano judicio, quam de Arelatenſi; & cum interdum in re ſua eſſet magis Arelatenſe proferre, quam Romanum, hoc potius attulerint, quam illud; argumento eſt, inquit Noriſius, integra Arelatenſis Concilii Acta illis incomperta fuiſſe; tam abeſt, eiſdem iſtud hoc *Oecumenicum* extitiſſe.

Ad

Ad num. XXVII. *Arelatenſe I. non minus plenarium, quam Nicænum I.* =

QUamvis alioquin ſolers Pagius ad annum 314. cum aliis erraverit depravatam Auguſtini lectionem, quæ *ducentos judices* perhibet, ſecutus; nihilominus cum Arelatenſe Concilium appellavit *Patriarchale Occidentis Concilium*, omnium melius, vel etiam optime pronunciavit: quemadmodum optime, ſi quis alius, & mentem Auguſtini affecutus eſt; & ſedulo Concilii Arelatenſis finem perpendit. Et quidem quis adeo tardus eſt, qui tam apertam Auguſtini mentem, tamque in his locis obviam aſſequi non queat? Memorat Auguſtinus pluribus in locis controverſiam de Hæreticorum baptiſmo terminatam eſſe in *Concilio univerſæ Eccleſiæ*, *Orbis Terrarum*, *cunctarumque Gentium*; quid in his tam reconditum, quod omnes non videant? ait, Cyprianum, quod ſe dicat ſecutum ſententiam ſui Concilii, *multo magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod de hac re Transmarinum, vel Univerſale Concilium factum eſſet*; quis non intelligit, Auguſtini mentem non aliam fuiſſe, quam Concilium proponere majus Concilio Cypriani? hujus autem Concilium unius Regionis fuit, nimirum Africæ; majus igitur Concilium erat vel Patriarchale, vel Oecumenicum. Sed hæc nihil ad Pagium: non enim propter iſta ille *Patriarchale* dixit Arelatenſe Concilium, ſed ex Actis, & ex Catalogo eorum, qui Concilio interfuiſſe leguntur; ex quibus quoniam Antiſtites fere omnium Provinciarum unius Patriarchatus Romani, ſeu Occidentis Arelatem conveniſſe noſcuntur; ſcite Arelatenſem Conventum *Patriarchale Occidentis* Concilium extitiſſe ſcripſit. Similiter eritne, non dico Pagius, ſed quiſpiam tam hebeti ingenio, qui finem Arelatenſis Concilii, potiſſimamque ejus convocandi rationem fuiſſe cauſæ Cæciliani recognitionem, ignorare poſſit? non arbitror. Illud quidem falſum eſſe pronuncio, ad Arelatenſem Conventum iccirco Epiſcopos *Orientales* non iviſſe, quod Cæciliani cauſſam ignorabant; nam ob eam ipſam rem Occidentales quoque eò ſe contuliſſe negandum eſſet, quod ſi iſti facti cauſſam ſcire poterant, cur non poterant & Orientales? Deinde judices non cauſſa cognita; vel id certe non eſt neceſſe; ſed ad cauſſam cognoſcendam, tractandamque unum

in locum coeunt; eaque cognita mox judicium ferre ſolent: non igitur opus fuit, eos Antiſtites ſolos Arelatem ire, quibus comperta eſſet Cæciliani cauſſa; ſed quibus jus cauſſæ cognoſcendæ erat; alias ſoli Africani, quibus ea cauſſa omnium melius explorata eſſe poterat, convocandi fuiſſent; quo facto an *totius Orbis judicium* extitiſſet, judicent rerum harum periti. Quum autem additur, ſi *Orientales* Epiſcopi congregati fuiſſent una cum Occidentalibus Arelate; jam tum Silveſtrum P., & Conſtantinum Imp. operam luſiſſe, quod Donatiſtis callidiſſimis, & turbulentiſſimis hominibus anſam confidentius a judicio provocandi dediſſent: ſciſcitandum eſt, quare id ipſi non præſtiterunt tum, cum juſſum eſt Nicæam adverſus Arianos callidiſſimos æque, atque turbulentiſſimos convenire Occidentales cum Orientalibus Epiſcopos? quinimo id potius extimeſcendum erat, ſi quando Orientales etiam non acceſſiſſent, enimvero a pluribus ad omnes, non ab omnibus ad plures appellare ſolemus, & a minoribus ad majora judicia eſt appellandi mos. Quoniam igitur Concilium Arelarenſe I. non unius Provinciæ, neque unius Regionis fuit, ſed neque Oecumenicum, ac totius Orbis Chriſtiani; verùm fere omnium Provinciarum, Regionumque, quæ ſubſunt Patriarchæ Romano, atque Occidentis; recte mihi videtur a Pagio *Patriarchale Occidentis* appellatum.

Et plane quopacto illud *Oecumenicum* dici poterit, (quoniam id unum video omnibus nervis affirmari) ſi ne *Concilium* quidem natura ſua, & ab initio fuit; ſed hoc ipſum aſſecutum eſt occaſione *judicii* Arelatenſis, quo nempe titulo plurimis in locis, ut vidimus, a S. Auguſtino ſemper nuncupatur; uti & Romanum in eadem cauſſa *judicium?* Etenim cum judicium ſit actus trium, judicis, actoris, & rei; vel diſceptatio duorum, vel plurium coram judice, Synodus vero, vel Concilium deliberatio, ac ordinatio de rebus ad fidem, ſive ad diſciplinam Eccleſiaſticam attinenribus; ac de jure potius, quam de facto diſponat, diſceptetque: liquet Romanum, & Arelatenſem Conventum in cauſſa Cæciliani fuiſſe judicia, non Concilia, ob Cæciliani purgationem, merumque factum habita: quamquam occaſione data, cum judicio peracto Patres Arelate opperirentur Imp. Conſtantini abſentis mandata, Concilium quoque de rebus ad diſciplinam pertinentibus habere duxerunt; ut ipſimet in

Epi-

Epiſtola ad Sylveſtrum Papam ſcripſerunt his verbis: *Non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, frater chariſſime, ad quæ fueramus invitati; ſed & conſulendum nobisipſis cenſuimus: & cum diverſæ ſint Provinciæ, ex quibus advenimus; ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſervare debere:* iiſque XXII. Canones condiderunt. Quæ duo quum non diſcreverint & Albaſpineus in Obſervat. X. ad Concil. Arelaten., & Noris in Hiſt. Donat. par. 1. cap. 10., uterque lapſus eſt; alter dum ait, Arelate Felicis Aptungenſis potius, quam Cæciliani cauſſam judicatam eſſe; quod Cæcilianus inter judices ſediſſe, ac ſubſcripſiſſe legatur; quod nullo modo fieri poterat, ſi is reus cauſſam apud Patres dixiſſet: alter vero, dum reſpondet; ideo Cæcilianum inter judices ſediſſe, ac ſubſcripſiſſe; quod jam Romæ in præcedenti judicio abſolutus fuerat. Nam Arelate Cæcilianus non ſedit in *judicio*, neque ſubſcripſit, dum ejus cauſſa tractabatur; ſed judicio finito, iterumque ipſe abſolutus ſedit in *Concilio* poſt judicium celebrato; & cum aliis ſcripſit Epiſtolam ad Silveſtrum Papam de his, quæ & in judicio, & in Concilio determinata fuerant. Nunquam autem pro aliquo tantum facto memini me legiſſe congregatum fuiſſe Concilium Oecumenicum; quare nec Arelatenſis cœtus pro Cæciliani facto coadunatus cenſeri poterit Oecumenicum Concilium. Inde factum eſt, ut veteres iſtud aut non agnoverint, aut minimi fecerint: Autor enim Libri Pontificalis in Vita S. Sylveſtri Papæ memorat quidem ſub eo Nicænum Concilium coactum, ſed non Arelatenſe; & Dionyſius Exiguus, aliique Canonum tam Græcorum, quam Latinorum antiqui Collectores Jo: Scholaſticus al. Antiochenus, Alexius Ariſtinus, Simeon Magiſter, Ferrandus, Martinus Bracarenſis nihil habent de Arelaten. Concilio; cum tamen habeant eorum quidem nonnulli & Sardicenſe, & Africanum, omnes vero etiam Synodos Provinciales, quæ Canones condiderint. In Chronico Euſebii Cæſarienſis prope finem, quod creditur additamentum S. Hieronymi, legimus: *Synodus Nicæna 318. Epiſcoporum adverſus Arianam hæreſim coarguendam; & fuit Synodus prima:* nempe Oecumenica; ſicut & Beda lib. de Temporibus cap. 65. ait: *Prima enim Univerſalis Synodus in Nicæa congregata eſt contra Arium.* Card. vero Deuſdedit, Anſelmus in Prolegom. ante Collect. Iſidori, & Gratianus diſt.

diſt. XVI. c. XI. *Prima adnotatio* Synodum Arelatenſem I. inter Provincialia Concilia recenſent, non inter Oecumenica; admonentque Romani emendatores Gratiani, caput illud non eſſe Iſidori Mercatoris, ſed authoris incerti; qui tamen natione Gallus extitiſſe videtur, & circa finem ſeculi VI. ſcripſiſſe; cum præter Concilia Græca, Sardicenſe, & Africanum cum Carthaginienſi non alia referat, quam Gallica uſque ad ann. 580. S. Ambroſius lib. I. de fide in Prologo inquit: *de Conciliis id potiſſimum ſequar, quod trecentidecem & octo Sacerdotes .... conſona fidei virtute victores velut trophæum toto Orbe ſubactis perfidis extulerunt:* & antea S. Athanaſius in Epiſt. ad Epictetum: *nulla in Catholica Eccleſia Synodus præter unam Nicænam æſtimanda, quæ omnium hæreſum profligatarum, atque in primis Arianæ trophæum habenda eſt:* S. etiam Innocentius Papa I. in Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſc. Antiochiæ de Nicæna Synodo ſcribit: *quæ una omnium per Orbem Terrarum explicat mentem Sacerdotum:* & in Epiſt. 29. ad Clerum, populumque Coſtantinopolitanum in cauſa S. Jo: Chryſoſtomi: *Canonibus porro obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti, quos ſolos conſectari decet Eccleſiam Catholicam, & juxta eos judicare:* uti & in Epiſt. 31. ad Theophilum Alexandr. Epiſcopum in eadem cauſa: *illic juxta Nicæni Concilii canones, & decreta contende; alios Romana non admittit Eccleſia.* Quare, rogo, Toletanum I. Concilium anno 400. celebratum in Præfat. ſanxit, *Concilii Nicæni* tantummodo conſtituta eſſe ſervanda; quod & egiſſe S. Leonem M. ejus complures Epiſtolæ declarant? cur Gelaſius Papa in decreto de Libris recipiendis, & rejiciendis, ſive Hormiſda P. in additamento illius Decr. inter Oecumenica Concilia Arelatenſe non habet? uti & Toletanum XIV. anno 684. coactum, dum c. 7. edixit, ſe recipere *Concilia Nicænum, Conſtantinopolitanum I., Epheſinum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum II.*, itidem uti Concilium Quiniſextum, aliaque Concilia Oecumenica, aut Regionalia, nec non Provincialia dum enumerant Concilia, quæ ſe recipere profitentur, nunquam Arelatenſe commemorant; quamquam Latina ſunt, & Occidentalia; receperintque etiam Synodos Provinciales, ac Nationales, ſeu Regionales Græcorum, & Sardicenſē, atque Carthaginienſē Latinorum? cur Leo Papa IV. in Epiſt. ad Angliæ Epiſcopos de

De-

Decretalium regulis, quas Romana Eccleſia admittit, interrogatus reſpondit, eſſe *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanenſium, Carthaginenſium;* non Arelatenſium? & præcipuarum Sedium Antiſtites, ſummique Romanæ Eccleſiæ Pontifices in ſuis, quas ad alios mittebant, Synodicis, ut vocabant, fideique profeſſionibus cur inter generalia, atque Oecumenica Concilia, quæ ſe tenere ſcribebant, nullam Arelatenſis Concilii mentionem fecerunt? quid etiam cauſæ fuit, ut Siricius Papa in Epiſt. 4. ad Epiſcopos Africæ, & Innocentius I. in Epiſt. 2. ad Victricium Epiſc. Rothomag. ſcripſerint: *nec unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat... Hoc enim in Synodo Nicæna conſtat eſſe definitum:* idemque Innocentius ibi c. 7. dixerit: *hoc etiam Synodus ſtatuit Nicæna, ut abjectum ab altero Clericum altera Eccleſia non recipiat:* & non adduxerint Concilium Arelatenſe, quod can. 16. & 20. idem caverat, quod poſtea Nicænum can. 4. & 16., cum tamen id magis conſentaneum videri poſſet, ut Romani Pontifices utpote Latini, & Occidentis Patriarchæ ad Latinos, ac Occidentales ſcribentes Occidentalis potius, quam Orientalis Concilii canonibus uterentur? Certe Nicænum Concilium dum can. 4. de Epiſcoporum ordinatione, can. 15. ne Epiſcopi, aliique ex majori Clero de Eccleſia ad Eccleſiam tranſirent, can. 16. ne Clerici ab una Eccleſia abjecti ab altera reciperentur; & can. 17. ne Clerici fœnerarentur, decrevit; non ſolum Synodi Arelatenſis, in qua de eiſdem ſancitum fuerat can. 2. 16. 12. 20., & 21., non meminit; ſed nec etiam dixit, ea eſſe contra *Regulas Eccleſiaſticas*, quemadmodum pronunciavit de nonnullis aliis can. 1. 2. 9. 10. &c., quod plane multomagis dicendum erat, ſi Arelatenſe Concilium fuiſſet *Oecumenicum*. Cur enim Concilium Antiochenum in Encæniis anno 341. convocatum memorat can. 1. Statutum *Nicænum* de die Paſchatis celebrandi, quod omnino ſanxit obſervari debere; non autem illud Arelatenſis Concilii; niſi quia Nicænum erat Oecumenicum, Arelatenſe vero nequaquam? Quippe ſi *Oecumenicum* iſtud hoc extitiſſet, ſtatutorum ejus obſervantia univerſos cujuſcunque Regionis Chriſtianos adſtrinxiſſet; reperimus autem vel a nemine, vel a plu-

a plurimis canones ejus minime obſervatos fuiſſe, & quidem impune: nam cum can. I. ſtatuerit, ubique locorum ab omnibus eadem die celebrandum eſſe Paſcha; in Aſia tamen, & Oriente plurimi adhuc ſub tempus Nicænæ Synodi Paſcha cum Judæis luna XIV. celebrabant impunite etiam; quandoquidem & pro Hæreticis non habebantur, & cum aliis ſecus facientibus communicabant, uti literis tradiderunt Socrates, & Sozomenus; propterquod Nicænum Concilium cogi neceſſe fuit; & poſt illud amplius non licuit XIV. luna Paſcha celebrare ſine hæreſis Quattodecimanorum nota. Similiter cum Arelatenſe can. 8. ſanxerit, Hæreticos ad Eccleſiam accedentes, modo baptizati eſſent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., ſola manuum impoſitione ſuſcipiendos; univerſa nihilominus diœceſis Pontica ex X. Provinciis conſtituta eos nullo modo admittebat ſine baptiſmi iteratione, teſte S. Baſilio M. in Epiſt. can. ad Amphilochium, ſed nec S. Athanaſius, nec S. Cyrillus Hieroſolym., Optatuſque Milevitanus Epiſcopi, ut alias dictum eſt. Ac ne plura, quæ ſunt pene innumerabilia, conſecter; complectar brevi; aut non pauca eruditionis inſcitia, aut magna animi ſimulatione Gallorum quoſdam docuiſſe, Arelatenſem Conventum *Oecumenicum* fuiſſe Concilium.

Ad num. XXVIII. *Arelatenſe I. non minus plenarium, quam CP. I.* =

Utique qui Arelatenſe Concilium vocant *Patriarchale Occidentis*, ei Orientales Patres interfuiſſe conſequenter negant: non quod ne unus quidem eorum adeſſe quiverit; quinimo & plures intereſſe potuerunt, & tamen adhuc Patriarchale Occidentis appellari; non enim quod quis interſit; ſed quis eſt, qui interſit, conſiderandum eſt: Sic etiam tametſi nemo unus Orientalium ei interfuiſſet; nemo tamen negaret extitiſſe illud *Plenarium*, & *Generale*, & quod affertur ex Card. Jacobatio de Conciliis, neſcio, ſi ſatis ad rem ſit; ille quidem lib. 1. §. 10. *de omnibus Generalibus Conciliis* inter ea recenſet nedum Arelatenſe I., ſed & Arelatenſe II., & plura alia Concilia non tantum Regionum, ſed etiam Provincialia; pauloque poſt ſubjungit: *proprie tamen Concilia univerſalia Oecumenica ſunt ſupraſcripta octo Concilia* (ideſt Nicænum I., Conſtantinopolitan. I., Ephe-

Epheſinum, Calcedonenſe &c., inter quæ Arelatenſe I. non reponit): *alia vero, quæ non excedunt Provinciam, ubi facta ſunt, dicuntur Localia, quæ poſſunt appellari Univerſalia, vel quia Papa, vel ejus Legatus ei interfuit; vel quia per Papam confirmata; vel quia locum habuerunt in univerſali Eccleſia:* Sed quod jam dictum eſt, nec nos inficias imus, *Univerſalis*, ac *Generalis* vocabula aptari poſſe Concilio Arelatenſi; imo ita fuiſſe ſentimus; verùm *univerſalis Eccleſiæ* Concilium nominari poſſe negamus. Ut enim dixi ad num. XXV., ſunt Concilia univerſalia *Regionum*, & ſunt Concilia univerſalia *Patriarchatuum;* & ſunt demum univerſalia *Eccleſiæ* Concilia, quæ ſola dicuntur Oecumenica: quærimus autem modo, an voces illæ *Plenarii univerſæ Eccleſiæ Concilii*, *Orbis Terrarum*, *cunctarum Gentium*, quibus S. Auguſtinus ornat Concilium illud, in quo Baptiſmus Hæreticorum comprobatus aſſeritur, & quibus non aliud quam Oecumenicum Conc. indicavit, Arelatenſi Conventui convenire poſſint, & an Oecumenicum, ſeu univerſale Eccleſiæ Concilium dici queat Arelatenſe. Ut autem Concilium *Oecumenici* nominationem accipiat; neceſſarium dicimus, omnes Epiſcopos ex univerſo Terrarum Orbe, quoad fieri poteſt, ad illud quidem convocari; vel ſaltem præcipuos, majorumque Sedium Antiſtites invitari; ſed omnes ad illud convenire neceſſe non dicimus: nonnihil ad hoc facit, quod idem Jacobatius §. 12. *de origine Generalium Conciliorum* ait: *dico Concilium Generale dictum ab ejus effectu, quia generaliter omnes convocantur, & omnes convocati conſulunt:* Quo igitur modo ad Provinciale Concilium omnes Provinciæ Antiſtites; & ad Nationale, nec non Regionum, Patriarchatuumque Concilia omnes ex Regione, & Patriarchatu convocantur; & tamen non omnes interdum accedunt, nec propterea deſinunt eſſe Provincialia, Nationalia, & Patriarchalia Concilia: ita quamvis ad Oecumenicum Concilium vocati omnes ex univerſo Orbe terrarum Epiſcopi plerumque non congregentur; Oecumenicum tamen eſſe non ceſſat. Etenim M. Conſtantinus in Epiſtola Eccleſiis poſt Nicænum Concilium ſcripta inquit: *iſtud omnium maxime mihi propoſitum putavi, ut in ſanctiſſima Eccleſiæ Catholicæ multitudine una fides, ſyncera charitas, & conſentiens erga Deum omnipotentem Religionis cultus ſervaretur. Verum quoniam*

iſtud non poterat in loco tuto, firmoque collocari; niſi vel omnes Epiſcopi, vel maxima eorum pars in unum conveniſſet; ſingulique ſuum judicium de rebus ad ſacratiſſimam Religionem pertinentibus interpoſuiſſent: eam ob cauſam cum cœtus, quantum fieri poterat, maximus coactus eſſet &c. Et quidem ad Nicænum Concilium omnes accitos Epiſcopos ex univerſo Orbe tradidit Sozomenus lib. 1. cap. 16., dum ſcribit Conſtantinum *ad omnes Eccleſiarum Præſides* literas dediſſe, *ut ad diem præſtitutum adſint;* nec diſſentit Euſebius in Vita Conſtantini lib. 3. cap. 6. *Epiſcopos undique per literas honorifice ſcriptas, ut eo maturarent, accivit &c. Ex omnibus namque Eccleſiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Aſia extiterunt, Dei miniſtri, qui facile primas ferre putabantur, in unum convocati &c.* Itaque qui ad Oecumenici appellationem omnium Epiſcoporum ex univerſo Orbe Terrarum convocationem requiri contendunt, non eo adducuntur, ut cogantur aſſerere, novam nominationem Concilio ipſi Nicæno adſcribendam eſſe, nec amplius Plenarium, & Oecumenicum, ſed Patriarchale totius Orientis eſſe vocitandum: nam paulo ſuperius ad num. XXIII. oſtenſum eſt, non Orientales modo; ſed & Occidentales plurimos Nicæam ad Concilium ſe contuliſſe; & Catalogum eorum, qui eo convenere, & perperam Patrum *ſubſcriptiones* appellari, & mutilum, corruptumque ad nos perveniſſe: in eo tamen non unum, vel alterum ex Occidentalibus Epiſcopis reperiri dico; ſed præter Oſium *Hiſpanum*, quem plures Gelaſii Ciziceni errorem ſecuti inter Apoſtolicæ Sedis Legatos collocant, legitur Marcus Provinciæ *Calabriæ*, & alii ex Provinciis *Dalmatiæ*, & *Pannoniæ*, quæ & ipſæ Occidentalibus accenſentur: Nicaſius ex *Gallia*, & Cæcilianus ex *Africa* interfuerunt non ob peculiaria negotia, cum id mera ſit conjectura; ſed quia *ex tota Europa, & Africa*, & *ex omnibus Eccleſiis* ad Concilium evocati fuerant Epiſcopi. Quin quod & quidam Catalogi Harduini teſtimonio ne unum quidem ex Africa exhibent Epiſcopum, ſed Cæcilianum dicunt Epiſcopum Magnenſem in Calabria; alii vero ut Codex Juſtelli Aſiaticos dumtaxat Epiſcopos repræſentat: tanta eſt aut horum Catalogorum diſcrepantia; aut in uno Catalogo diverſorum Scribarum licentia, ac negligentia. Si enim S. Hilarius Pictavien. lib. de Synodis memoriæ prodidit: *cum comperiſ-*

Digitized by Google

periſſem Synodos in Ancyra, atque Arimino congregandas; & ex ſingulis Provinciis Gallicanis binos, vel ſingulos eo eſſe venturos &c. quantomagis ad Nicænum Concilium aliquot ex ſingulis Provinciis Gallicanis, aliarumque Regionum Occidentalium Antiſtites conveniſſe credendum eſt. Cæterum non ſi pauci illi, qui nunc ex Occidentalibus leguntur in mutilo Concilii Catalogo; ſed ſi bini tantum Præsbyteri Romanæ Sedis Legati ad Nicænam Synodum acceſſiſſent; ſatis fuiſſet, ut dicerentur Occidentales conveniſſe Nicæam ad Concilium non quidem per ſe, ſed per Legatos Primatis, ac Patriarchæ Occidentis; ut in ſeptem aliis Conciliis Oecumenicis in Oriente celebratis factum eſſe cognoſcimus: quod & declarat Epiſtola Concilii Epheſini ad Impp. Theodoſium, & Valentinianum cap. 46. antiquæ verſionis ita habens: *quia univerſale Concilium, quod omnem quidem Occidentem cum maxima veſtra Roma, & Apoſtolica Sede ſecum reſidentem habet, omnemque Africam, & cunctum Illyricum:* nec non alia ejuſdem Concilii Epiſtola ad eoſdem Impp. cap. 66. dictæ verſionis: *At Sancta, & univerſalis Synodus, cui aſſidet & magnæ veſtræ Romæ ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus Archiepiſcopus Cæleſtinus, omniſque Occidentalis Synodus per eos, quos ad vos miſit, ſanctos Epiſcopos; aſſidet autem & Africa omnis, & Illyricum:* cum tamen ex Actis ejus Concilii conſtet, pro Roma, & Occidente ei interfuiſſe Arcadium, & Projectum Epiſcopos cum Philippo Presbytero; pro Africa unum Diaconum Beſſulam, & pro Illyrico Flavianum Epiſcopum Philippenſem. Profecto cum & S. Leo M. in Epiſt. 49. de Concilio Chalcedonenſi ſcribat, *ut vocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, vere poſſit eſſe univerſale Concilium:* & Martinus V. in fine Concilii Conſtantien. proclamari fecerit, juſſeritque, *Concilium Generale* eſſe, quod repræſentat *univerſam Eccleſiam*: quis eſt, qui non intelligat, ad id Concilii omnes convocari debere, & omnes intereſſe vel per ſe, vel per alios; potiſſimumque Patriarchales, Exarchatus, primariaſque Sedes, vel earum majorem partem per ſe, vel per Legatos? Quo factum eſſe videtur; ut poſt XI. Eccleſiæ ſeculum, cum Græca, Orientaliſque Eccleſia a Romana, atque Occidentali ſeceſſionem fecerit, tituletenus *Patriarchæ* Orientis, aliique illarum partium Epiſcopi creari, inſtituique ab Occidentali Eccleſia cœperint; quo haberet,

cum occaſio daretur, ut Oecumenica Concilia cogere poſſet: nam ubi Patriarchæ præſertim coadunati pro Synodo agnoſcebantur, ibi tota Eccleſia, totuſque mundus Chriſtianus eſſe rebatur; quare Synodus VIII. ex CIX. Epiſcopis tantum conflata Act. V. ait: *totus Mundus hic eſt, ne claudat viſcera ſua ſancta, & univerſalis Synodus... Sancta, & Univerſalis Synodus non ex uno eſt tantum, ſed, ut prædiximus, ex Mundi finibus eſt*, juxta verſionem Anaſtaſii Bibliothecarii; at Raderus tranſtulit, *judicium enim æquiſſimum, ut quod non ab uno, ſed ab omnibus quatuor fit Patriarchis*: & Baſilius Imperator ibidem Act. VI. inquit: *Utique noſtis & vos, & univerſitas, quæ ſub Cælo eſt, quia protectione veri Dei noſtri quinque Patriarchia Orbis Terrarum recta ſentiunt; & non eſt leſio fidei: & ideo quicquid judicant, neceſſario debetis recipere.*

Ad num. XXIX. *Arelatenſe I. magis plenarium, quam CP. I.* =

ETſi non dubito, quin Pagius de *Concilio Conſtantinopolitano I.* aliqua minus vera protulerit; ex aliis tamen, quæ idem habet, poſſe demonſtrari, Arelatenſe I. Concilium vel æque, vel potiori jure Oecumenicum eſſe, ac dici, quam Conſtantinopolitanum I., inficiari etiam non vereor. Conſtantinopolitanum itaque I. Concilium a CL. Catholicis, ac XXXVI. Macedonianis, uti ſcribunt Socrates, & Sozomenus, Epiſcopis celebratum eſt Orientalibus illis quidem, quod & omnes Orientis Imperatori Theodoſio ſubjecti, & majore ex parte etiam Orientales erant: cæteroquin ex tribus Mundi partibus Europa, Aſia, & Africa, ſeu Ægyptiaca diœceſi eo ſe contulerunt Antiſtites; & non tantum ex ea Europæ parte, quæ tum ad Orientem attinebat, verum etiam ea ex parte, quæ erat Occidentis; quorum nomina quamquam Acta, & *ſubſcriptiones*, ut vocant, ſed verius inſcriptiones, Catalogus, ac ſeries nonnihil diminuta cuncta non exhibent; novimus tamen ex Socrate, ac Sozomeno ei Synodo interfuiſſe Acholium Epiſcopum *Theſſalonicenſem, Illyricique* Exarchum, quæ Præfectura non Orientis erat, ſed Occidentis, ut manifeſtum facit Notitia Imperii; propterquod Patres Concilii Italiæ in Epiſt. 2. ad Theodoſium

Digitized by Google

ſium Aug. ſcripſerunt, Patres Synodi Conſtantinopolitanæ *ita unius Acholii* expectaſſe *judicium*, *ut de Occidentalibus partibus Conſtantinopolim evocandum putarent:* & S. Athanaſius in Apologia ad Conſtantium Imp. *Theſſalonicæ* Antiſtitem Herminum inter *Occidentis* Epiſcopos collocavit; Sanctuſque Epiphanius hær. 71. Synodum *Sardicenſem*, quæ Civitas Præfecturæ Illyrici erat, *Occidentalem* appellavit: proindeque Illyricum totum ad Patriarchatum Romanum, & Occidentalem pertinuiſſe teſtantur plures Innocentii I., Leonis M., Joannis III., & Nicolai I. Romanorum Pontificum Epiſtolæ, & Nilus Doxopatrius in notitia V. Patriarchatuum fatetur Theſſalonicenſem Metropolitam ex *Occidentali Diœceſi* avulſum, Orientalique Conſtantinopolitano Antiſtiti contributum. Sed & S. Gregorius Nazianzenus, qui Concilio præſens fuit, in carmine de Vita ſua, de iiſque, qui ad dictum Concilium ſunt profecti, memorat Occidentales, & Orientales adfuiſſe his verbis:

Veniunt repente nam vocati, fœderi
Ut ſanciendo jungerent vires ſuas,
Niloticique, Macedoneſque operarii
Myſteriorum ſeduli, & legum Dei
Inhabitantes Heſperium in nos & grave. (ideſt Occidentales.)
Adverſa ſtabat bis tumens Phœbo phalanx. (ideſt Orientales.)

Quid ſi Acholius etiam nomine Damaſi Papæ, & Occidentalium ad Concilium Conſtantinopolitanum acceſſerit? quod quidem ſuadere videntur nedum Acta VI. Synodi, & vetera Damaſi Pontificis Acta a Baronio memorata; ſed & Nilus Doxopatrius proxime commemoratus, & alter Nilus Græcus lib. de Synodis, ubi Synodo Conſtantinopolitanæ I. inter alios præfuiſſe tradunt & *Damaſum Epiſcopum Romæ* non quidem per ſe, ſed per legatos, & forſan Acholium intelligunt: Extat ſane Damaſi Papæ ad Acholium Epiſtola ſuper ordinatione Maximi in Epiſcopum Conſtantinopolitanum; qua eum hortatur, det operam, ut Conſtantinopoli *in Concilio* Epiſcopus Catholicus ordinetur; legiturque ea in Actis Concilii III. Romani ſub Bonifacio II. coacti: cujus in Conc. notis Holſtenius exiſtimat, Acholium in Conc. CP. vicem, & locum tenuiſſe Damaſi Papæ; quemadmodum geſſiſſe eum vicem, & curam in toto Illyrico pro Pontifice Romano teſtis eſt Innocentii I. Epiſtola Rufo, aliiſque Illyrici Epiſcopis

pis data, & in prædicto Bonifacii II. Romano Conc. Act. II. recitata: Nec tantum Holſtenius, aliique jam commemorati; ſed etiam Autor paraphraſis Arabicæ huic Concilio Conſtantinopolitano interfuiſſe ſcribit *Procuratores Patriarchæ Romani*. Quæ ſi ita ſe habent, non eſt difficile ſcitu, quam ob cauſam tum Damaſus, ejuſque ſucceſſores, tum Occidentales, Afrique Epiſcopi ad multos annos Concilium illud improbarint, & inter Oecumenica non receperint; nimirum, non quod illi Romani Antiſtitis Legati non interfuerint; ſed tertius Concilii canon de loco Antiſtiti Conſtantinopolitano ante omnes, uno dempto Romano Epiſcopo, attribuendo; & Flaviani in Antiochenum Epiſcopum mortuo Meletio ſubrogatio: nam huic Concilio conſenſum præbuiſſe Damaſum, totamque Occidentalem Eccleſiam, etſi falſum exiſtimo; tamen non Pagius ingenio ſuo divinavit, ſed Baronius ante eum id ſcripſit ad ann. 381. num. 49., & ante omnes Photius in lib. de VII. Synodis, ubi hæc habet: *quibus haud multo poſt & Damaſus Epiſcopus Romæ eadem confirmans, atque idem ſentiens acceſſit*. Occidentalium autem etiamſi nemo illuc ad Concilium ſe contuliſſet, tamen nihilominus multum intercedet diſcriminis inter illud, & Arelatenſe I. Concilium: illud habuit, ut ei majorum, ac præcipuarum Sedium Antiſtites, ſi unum excipias Romanum Epiſcopum, interfuerint, nempe Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ, Hieroſolymitanus, Conſtantinopolitanus, Theſſalonicenſis, Cæſarienſis Cappadociæ, & Palæſtinæ Exarchi, & Metropolitani; ut a numero longe majori Epiſcoporum conſtitueretur; & ut ab Occidentalibus tandem reciperetur, & uti *Oecumenicum* veneratione coleretur: iſtud vero nunquam ab Orientalibus receptum eſt, nunquam pro Oecumenico veneratum, forſan & nunquam cognitum; non enim quia Orientales Arelatem ad Synodum non convenerunt, in cauſa fuit, ne pro Oecumenica ſuſciperetur; ſed quia multa ei defuerunt, quibus ea Oecumenica eſſe, atque judicari poſſet: annon etiam in Synodo V. nedum Romanus, & Occidentales Epiſcopi non interfuerunt; ſed & intereſſe renuerunt; & tamen paulopoſt ab omnibus Occidentalibus inter Oecumenicas recepta fuit? Ab *innumeris* quippe *Epiſcopis* Synodum Arelatenſem celebratam fuiſſe, jam ſatis exploſum arbitror: & qui id factum etiam ab *Orientalibus* ſcribit ſe

habe-

Digitized by Google

habere, quo affirmet; non habere Pagium, quo neget: affirmandi eum quidem arbitrium habere dico; momenta, ac rationes habere non dico. Similiter Arelatenſem Synodum ab univerſa Eccleſia *Orientali* receptam fuiſſe nullo quidem negotio aſſeritur; ſed etiam nulla ratione probatur: ſicut & nulla ratione, ſed arbitrarie ſolum dicitur, Arelatenſis Synodus *ſecundo loco* convocata pro Anabaptiſmo damnando; cum fuerit a Conſtantino M. congregata non ad quæſtiones juris, & dogmatis, ac diſciplinæ; ſed omnino ad quæſtionem facti diſcutiendam; an Cæcilianus, ut Donatiſtæ calumniabantur, ordinatus a Traditoribus fuiſſet, variiſque ante ordinationem criminibus irretitus, uti declarant literæ ejuſdem Conſtantini, & Patrum Arelaten. Epiſtola ad Sylveſtrum P., in quibus nihil de anabaptiſmi cauſa; tantumque Patres in ea Epiſtola, poſteaquam ſcripſerunt Schiſmaticos, & accuſatores a ſe damnatos, & repulſos, adjiciunt: *non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, ad quæ fueramus invitati; ſed & conſulendum nobiſipſis cenſuimus &c.* ſtatuuntque pro diſciplina Eccleſiaſtica XXII. Canones, inter quos illic etiam de rebaptiſmo legitur: pro quibus ſi *ſecundo loco* convocatos Epiſcopos dixerimus, nedum pro Anabaptiſmo, ſed & pro Paſchate, pro lapſis, aliiſque pluribus de cauſis factum fuiſſe dicendum erit. Illud quoque, quod eſt Nicænum I. Concilium confirmaſſe, ac recepiſſe Concilium I. Arelatenſe; non video, quo demum argumento demonſtretur: neque enim quia Cæcilianus, de quo lis erat in Arelatenſi, interfuit Nicæno; igitur Nicænum Concilium confirmavit ordinationem Cæciliani, cum eum ad ſuffragandum recepit: an non damnati fuerant in Alexandrino centum fere Epiſcoporum Concilio Secundus Ptolemaidis, & Theonas Marmaricæ Epiſcopi cum aliis Arianæ ſectæ aſſertoribus; & tamen Nicæno Concilio interfuerunt, eiſque poteſtas ſuffragandi, ſi quidem vellent, facta eſt? num igitur ob id Nicænum improbavit Alexandrinum Concilium; Secundumque, ac Theonam ab Alexandrinis Patribus depoſitos, atque exturbatos locis, ac dignitatibus ſuis reſtituit? minime gentium. Ad num. etiam XX. oſtenſum eſt, quomodo Nicæni Patres ratum habuerint omnium Hæreticorum baptiſma; & quidnam Græci, & Orientales ſenſerint de ea Synodi ſanctione; quidve Latini, & Occidentales. Sed ne multus ſim in his, quæ mihi ipſi

hi ipſi etiam tædio ſunt; illud ſit prope certum, aut etiam certiſſimum; Arelatenſe Concilium, etſi fuiſſet in Concilio Nicæno ab Orientalibus ſuſceptum, quod nunquam factum eſt, rationem tamen, quo Oecumenicum eſſe poteſt, nunquam obtinuiſſe.

Ad num. XXX. *Idque potiori jure.* =

POſteaquam eſt oſtenſum, I. Arelatenſe Concilium potiori jure Plenarium, Generale, & Oecumenicum eſſe, ac dici non potuiſſe, quam Synodum I. Conſtantinopolitanam quantum ad majorem Epiſcoporum numerum; reſtat, ut idipſum etiam demonſtretur quantum ad promptiorem, & ampliorem acceptionem. Et primùm quamquam verum eſt, Conſtantinopolitanum I. Concilium non ſtatim ab Eccleſia Romana, & Occidentali receptum eſſe; quod non modo literæ S. Leonis M. ſuadent, verum etiam Lucentius Epiſcopus Aſculanus, & Legatus ejuſdem Leonis in Conc. Chalcedonenſi Act. XVI. illis verbis: *trecentorum decem & octo* (Epiſcoporum Nicænorum) *conſtitutionibus poſtpoſitis*, *centumquinquaginta* (Epiſcoporum CP.) *qui in Synodicis Canonibus non habentur*, *mentionem tantum feciſſe noſcuntur:* & Patres Concilii Romani ſub Felice Papa II. al. III. anno 482. ad Clerum Conſtantinopolis, Bithyniæque ſcribentes ſe tenere *Synodos Nicænam*, *& Epheſinam priorem*, *atque Chalcedonenſem*, nulla de Conſtantinopolitana I. Synodo mentione facta. tamen minime verum eſt, compertum eſſe, *Canones Conſtantinopolitanos* nonniſi poſt ſecula fere octo In Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. ab Occidentali Eccleſia ſuſceptos fuiſſe; ut imperite ſcripſit jampridem Petrus Annatus, & quidam alii. Concilium enim ipſum ſuſceperunt Legati Leonis M. in Conc. Chalcedonenſi, dum Act. IV. hæc protulerunt: *Sancta*, *& beatiſſima Synodus fidei regulam*, *quæ apud Nicæam a Patribus eſt conſtituta*, *ſequitur*, *& tenet*; *ſed etiam & centumquinquaginta apud Conſtantinopolim ſub ſanctæ recordationis Theodoſio majore congregata Synodus ipſam fidem confirmavit*, *cujus Symboli expoſitionem a ſanctæ recordationis viro Cyrillo apud Epheſum expoſitam &c.* ſuſcepit & Felix Papa II. al. III. in Epiſt. ad Zenonem Imp. adverſus Petrum Fullonem ſcribens: *ſolvit etiam conſubſtantialis*

lis nomen; ſacraſque abjicit Synodos Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Chalcedonenſem: uti & Gelaſius I. in Concilii Romani decreto de Libris recipiendis, & rejiciendis; vel, ut alii malunt, Hormiſda Pontifex in additamento dicti Decreti; nec non Joannes II. in Epiſt. 3. ad Senatores Romanos; Gregorius M. Epiſt. 24. lib. 1., aliique poſtmodum Romani Pontifices in Synodicis Epiſtolis; quas quatuor Patriarchis olim, cum ordinarentur, mittebant, & ab illis viciſſim ſimiles recipiebant; quarum perſpicue meminit idem Gregorius M. Epiſt. 54. lib. 7. Secundino Servo Dei tranſmiſſa. Liber quoque profeſſionis fidei Romanorum Pontificum initio ſeculi VIII. compoſitus, & veteres Synodi Oecumenicæ a Romana, & Occidentali Eccleſia veneratæ teſtantur, quam antiquiſſima ſit hujus CP. Concilii receptio, ac veneratio apud Occidentalem Eccleſiam. *Canones* vero ejuſdem Concilii, quorum maxime II. al. III. de primo loco poſt Romanum Pontificem Antiſtiti Conſtantinopolitano tribuendo controvertebatur, jam paulopoſt initium ſeculi VI. a Romana, & Occidentali Eccleſia admitti cæpiſſe plurima monumenta docent: (Mitto Epiſtolam 4. Felicis II. al. III. ad Petrum Epiſc. Antiochenum, qua is deponitur, & anathemate feritur; quamque Valeſius ſuppoſititiam arbitratur, Pagius vero defendit, & Simplicii Papæ eſſe contendit; & in qua dicitur: *& ab Acacio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Paſtore, & a venerabilibus Epiſcopis ſibi ſubjectis &c:* & quod idem Felix P. in Epiſt. 5. ad Zenonem Aug. eundem *Acacium* appellet *Regalis Civitatis Archiepiſcopum;* etſi in 6. ad ipſum Acacium Epiſtola, qua eum excommunicatione percellit, habet: *in venerabilis Concilii Nicæni contumelia ſæpe verſatus alienarum tibi Provinciarum jura temerarie vendicaſti;* uti & in Epiſt. ad Clerum, populumque Conſtantinopolitanum de eadem re; & Gelaſius I. in Epiſt. 4. ſive Commonitorio ad Fauſtum inquit: *& Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopus, quæ utique per Canones inter Sedes nullum nomen accepit:* ſimiliaque ſcribit in Epiſt. 13. ad Dardanos:) primùm quidem occurrit Dionyſii Exigui Collectio canonum in fine ſeculi V. ab eo latine facta; quam *hodie*, inquit Caſſiodorus Divin. Lection. cap. 23., *uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur:* quare Avitus Viennenſis Epiſcopus Epiſt. 3. ad Gundobaldum Burgundiorum Regem anno 512. data S. Macedo-

Digitized by Google

nium Antiſtitem Conſtantinopolitanum vocare non dubitavit *totius Orientis Patriarcham*. Deinde Romanus ipſe Pontifex Hormiſda 72. Epiſtolam ſcribens ad Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum admonet, ut *Eliam*, Thomam, & Nicoſtratum Epiſcopos recipiat, & ad ſuas Eccleſias, a quibus exulabant, revocare velit; additque ſe id quoque per literas ſignificaſſe ejus deceſſori, nempe Joanni Cappadoci anno 518. vel 519., quem primum *Oecumenici* nomen uſurpaſſe quidam obſervarunt: erat autem Elias Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, quæ Provincia Patriarchæ Conſtantinopolitano obtemperabat. Idem Epiphanius in Epiſt. ad Hormiſdam P. de ſua electione inter hujus Epiſtolas deſcripta ait, ſe conſecutum *poſt obitum S. memoriæ quondam Archiepiſcopi, & Patriarchæ Joannis Sedem Sacerdotalem Catholicæ Regiæ urbis*, ſcribens paulopoſt: *Vobis enim manifeſtum feci; & ſub me Eccleſiis hæc prædico:* neque iſta improbavit Hormiſda; neque ſeptem Legati Romanæ Sedis anno 536. in Synodo Conſtantinopolitana Mennæ Patriarchæ; cum Menna ipſe in ea paſſim vocaretur *Archiepiſcopus*, *& Patriarcha;* quinimo iidem Legati Act. I. ei titulum *Archiepiſcopi* detulerunt, quem illis temporibus nonniſi Exarchis, & Patriarchis ſolitum tribui legimus. Et quamvis his contra iviſſe videri poſſit Bonifacius II. in Epiſt. 10. Concilii III. Romani anno 531. ad Epiſcopos Illyrici; & Liberatus Diaconus in Breviario cap. 13. de memorato canone CP. ſcribat: *licet Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat; quod a Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio perſeverat quodammodo:* tamen & ipſe Liberatus Mennam appellat *Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum;* & Vigilius Papa ſcripſit Epiſtolam *Theodoſio*, *Anthemio*, *& Severo Epiſcopis* anno 538., ut eſt apud Victorem Tununen. in Chronico poſt Conſulatum Baſilii II., qua cum inter Alexandrinum, & Antiochenum Antiſtites Conſtantinopolitanum collocet Epiſcopum; quis non intelligit ei locum inter Patriarchas dediſſe? præſertim cum idem Eutychio Epiſcopo Conſtantinopolitano literas, quæ leguntur in Collat. I. Synodi V., hoc titulo: *dilectiſſimo fratri Eutychio, & Epiſcopis ſub te conſtitutis Vigilius &c.* conſcripſerit; & in ſuo pro tribus Capitulis conſtituto referat primam fidei profeſſionem ab Epiſcopis ad ſe editam, & ſubſcriptam primum a Menna Conſtantinopolitano Antiſtite,

ſtite, poſtmodum a reliquis Metropolitanis, & Exarchis Epheſino, Cæſareæ Cappadociæ, Tharſenſi, Antiochiæ Piſidiæ &c., nec non & alteram fidei profeſſionem ſibi factam, ſubſcriptamque primum ab Eutychio Conſtantinopolitano, poſtea ab Alexandrino, Antiocheno, Theſſalonicenſi, aliiſque ſummis Antiſtitibus; quas eo quidem modo editas admiſit, & probavit. Pelagius etiam II. Jejunatorem Joannem Epiſcopum CP., & Gregorius M. eundem Joannem, atque Cyriacum ejus ſucceſſorem plutibus redarguerunt; non quod Archiepiſcopi, vel Patriarchæ dicerentur, ſed quod *Oecumenici* titulum uſurparent: quin quod Gregorius ipſe pluribus in Epiſtolis Antiſtiti Conſtantinopolitano *Patriarchæ* nomen attribuit, ut in Epiſt. 24. & 25. lib. 1., 37. lib. 2. indict. X. & 64. indict. XI. ejuſdem libri 2., Epiſt. 5. lib. 7. indict. II., & primum etiam ante alios Patriarchas locum, licet ordinatione cæteris ille poſterior eſſet, ut in dicta Epiſtola 24. lib. 1. data *Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano*, *Eulogio Alexandrino*, *Gregorio Antiocheno*, *Joanni Hieroſolymitano*, *&* *Anaſtaſio Patriarchæ Antiocheno a partibus:* his vero, quæ contra a Baronio ad ann. 591. num. 4. afferuntur, alias reſpondebo. Quocirca ſatis mirari non poſſum, quonam unquam pacto idem Gregorius M. Epiſt. 31. lib. 6. ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopos de Concilii hujus Conſtantinopolitani canonibus ſcribere quiverit: *Romana Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum:* quando canon I. nihil decernit aliud, niſi confirmandam eſſe fidem Nicænam, condemnandoſque Hæreticos Arianos, Semiarianos, Apollinariſtas, Pneumathomacos, Photinianos, Sabellianos, alioſque jam ab Romana Eccleſia proſcriptos: canon 2. ſtatuit ſervandos limites diœceſum, Eccleſiarumque; ſuper qua re nunquam Eccleſia Romana diſputavit, aut contraivit: canon 3. Græcis, qui Dionyſio Exiguo 2. eſt, agit de primo loco poſt Romanum Antiſtitem Conſtantinopolitano Epiſcopo cedendo; 4. vero canon Græcorum, ſeu 3., ac ultimus Dionyſianæ collectionis eſt contra Maximum Cynicum intruſum, ejuſque ordinationes, qui a Romana Sede non eſt improbatus: reliquos autem tres canones in Græca Collectione ad hoc Concilium minime pertinere, ſuo loco demonſtra-

ſtrabitur. Nil ergo fuit, quod ex his Romana Eccleſia non probaret, niſi canon 3. al. 2. de loco præſtantiori Antiſtitis Conſtantinopolitani; hunc autem vidimus jam illi conceſſum a pluribus Romanis Pontificibus, & etiam ab ipſo Gregorio M.; cui in hac re accidiſſe crediderim, quod habet in eadem 31. Epiſtola lib. 6. de *Eudoxio* Hæretico, quem a nemine memoratum ſcribit ſe legiſſe apud Latinos, cum tamen S. Hieronymus in Chronico, S. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5., & Severus Sulpitius in Hiſt. lib. 2. de eo agant. Cæterum hujus Concilii canonem 2. adduxit S. Columbanus Scotus in Epiſtola ad Romanum Pontificem data anno circiter 605., ſed canonem 6. Nicolaus I. in Epiſt. 8. ad Michaelem Aug., ubi eum admonet: *quid autem periculi regulæ hujus immineat contemptoribus, non ignoratis*: canonem vero 3. al. 2. legimus confirmatum ab VIII. Synodo Oecumenica can. XXI. verſionis Anaſtaſii Biblioth., & Leo IV. Papa in Epiſtola ad Angliæ Epiſcopos nonne reſpondit: *quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt Canones... Nicænorum... Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium &c.?* nonne Romani Pontifices Hadrianus I., Gregorius II., Hadrianus II., Nicolaus I., & S. Leo IX. in ſuis literis Conſtantinopolitanos Antiſtites dixerunt vel *Archiepiſcopos*, vel *Patriarchas?* præſtantioremque in Oecumenici Synodis poſt Romanæ Sedis Legatos locum habere permiſerunt? Poſtremo cum Liber Diurnus profeſſionis Romani Pontificis diſt. 16. c. 8. *Sancta octo* referat, Romanos Pontifices in ſua fidei profeſſione dixiſſe, ſe *octo univerſalia Concilia* 1. *Nicænum*, 2. *Conſtantinopolitanum*, 3. *Epheſinum*, 4. *Chalcedonenſe &c. uſque ad unum apicem immutilata ſervare; & pari honore, & veneratione digna habere; & quæ prædicaverunt, & ſtatuerunt modis omnibus ſequi, & prædicare &c.* manifeſtum eſt, multo ante Concilium IV. Lateranenſe Innocentii III. Synodum I. Conſtantinopolitanam, ejuſque canones *uſque ad unum apicem* ab Romana Eccleſia ſuſceptos fuiſſe; & quidem Lateranenſis Concilii Patres cap. 5. non ajunt ſe Privilegia condere, ſed renovare: *Antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovantes &c.* Ex quibus illud fit certum; cum Conſtantinopolitana Synodus I. ab Orientalibus ſemper, ab Occidentalibus non multopoſt pro *Oecumenica* ſit habita; Arelatenſis vero I. neque his, neque illis unquam

talis

talis extiterit; cognita quidem, & recepta ab Occidentalibus, ſed uti Nationalis, ac Patriarchalis; ab Orientalibus autem nullo modo; multum inter hanc, & illam diſcriminis intercedere; falſumque eſſe, potiori jure quam Conſtantinopolitanæ I. Concilii *Oecumenici* notionem Arelatenſi I. congruere; cui tantum abeſt, ut potiori jure congruat; ut ne ullo quidem jure convenire poſſit.

Alterum quoque, veram *Concilii Generalis*, & *Oecumenici* ideam ex duobus potiſſimum efformandam eſſe, ex numero Epiſcoporum congruenti, qui ex variis Nationibus acciti ſint; & ex Romani Pontificis confirmatione; nullo negotio exploditur: propterea quod ſi ita res eſſet, innumeras haberemus Synodos *Oecumenicas*; cur ejuſmodi non eſſet Romana Julii Papæ anno 342. in cauſa S. Athanaſii coacta, & ex plurimis Orientis, & Occidentis Epiſcopis conſtituta; uti docet ipſe Pontifex Julius in ſua ad Orientales Epiſtola: *non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his Regionibus Epiſcoporum ſcripſi &c. Non enim ſolus Athanaſius* (Alexandriæ), *& Marcellus* (Ancyræ) *Epiſcopi cum querimoniis de illatis injuriis; ſed & plurimi alii Epiſcopi ex Thracia, Cœleſyria, Phœnicia, Palæſtina huc convenere: Præsbyteri item non pauci partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt?* cur non Aquilejenſis anno 381. ex congruenti Epiſcoporum numero variarum Nationum ex Italia, Dalmatia, Pannonia, Gallia, Africaque conflata, & a Romano Pontifice approbata? Sardicenſis 300. circiter Epiſcoporum; Antiochena anno 378., vel 380. celebrata a 153. al. 169. Epiſcopis; Romana Martini I. 106. Epiſcoporum; altera Agathonis 125., nec non illa Nicolai II. 113. Antiſtitum; Francofordienſis ſub Hadriano I. Epiſcoporum ad 300., Claromontana Urbani II. 310., ejuſdemque Barenſis 185. Epiſcoporum, vel Remenſis Calliſti II. 13. Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum pluſquam 200., binæque Innocentii II., & Eugenii III. Antiſtitum fere 300.? quarum quamplures coaluerunt ex tanta Epiſcoporum diverſarum Nationum multitudine, ut multæ *Oecumenicæ* Synodi tantum numerum non viderint, ut Synodus VIII. ex 102. al. 109. Præſulibus compoſita; & Lateranenſis V. ex 114. Cum itaque & Epiſcoporum multitudo, & Romani Pontificis confirmatio rationes communes ſint; nequaquam hæ

ſolæ

ſolæ poſſunt veram, & propriam Oecumenici Concilii ideam referre: nam altera numeroſum, altera ratum quidem, ſed non Oecumenicum Concilium facit. Quapropter vera *Oecumenici* Concilii notio ab ipſo vocabulo petenda eſt; quid autem eſt Οἰκουμένη, niſi Orbis Terrarum? Eſt igitur Concilium Oecumenicum Conventus Epiſcoporum totius Orbis Terrarum ob bonum univerſæ Eccleſiæ de rebus vel ad fidem, vel ad diſciplinam Eccleſiaſticam attinentibus convocatus: quemadmodum Provinciale Concilium illud eſſe dicitur, quod ab Epiſcopis maxime Provincialibus, & ob negotia Eccleſiaſtica Provinciæ celebratur; uti & Nationale, & Patriarchale ſimili quidem unumquodque modo. Quare Patres Concilii Italiæ S. Ambroſius, aliique in Epiſt. 2. ad Imp. Theodoſium de Synodo Univerſali ea, quam indixerat Papa Damaſus, ſcribunt: *Nos igitur in Synodo ea, quæ totius Orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temere ſtatuendum eſſe cenſuimus. At eo ipſo tempore qui Generale Concilium declinaverunt &c:* & S. Athanaſius lib. de Synodis Nicænæ Synodi cogendæ cauſam his verbis expreſſit: *atque ea cauſa fuit, cur univerſus Orbis in Concilium coiret:* quod & ibi vocat *Orbis Terrarum Concilium;* & Orat. I. contra Arianos ſcribit *Nicænam fidem ab univerſi Orbis Concilio promulgatam:* non quod univerſum Orbem ei Concilio interfuiſſe ſentiret, cum alibi tradat, tantummodo CCCXVIII. Epiſcopos Concilium Nicææ celebraſſe; ſed quod promulgata fuerit per eos Epiſcopos, qui univerſi Orbis Chriſtiani partes referrent, & ſuſtinerent: ſiquidem non omnes jam dictum eſt debere occurrere ad Concilium Oecumenicum, ſed Patriarchalium inprimis, præcipuarumque Eccleſiarum Antiſtites, aut eorum majorem partem per ſe, vel per Legatos; ut factum eſt in Conſtantinopolitano I. & II., ſive in Oecumenica II. & V. Synodo; in quibus quamquam non interfuerunt Occidentales, ſeu Patriarchatus Romani, ac Occidentis Antiſtites, neque Legati; tamen cum illis non defuerint cæteri Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, Primateſque, atque Exarchi Epheſinus, Cæſarienſis Cappadociæ, Theſſalonicenſis, Heraclienſis &c., ſi non repente, nihilominus non multopoſt ab ipſis quoque Occidentalibus inter Oecumenica locum obtinuerunt; cum cætera recte ſe haberent.

Ad

Ad num. XXXI. *Ex Conciliarium ſanctionum ordine eruitur numerus, ac tempus controverſiarum ſuper baptiſmo hæreticorum; nullamque in ſenſu Donatiano in Oriente ante Nicænum habitam fuiſſe concluditur.* =

QUod ad multiplices poſt Nicænum Concilium de Baptiſmo controverſias attinet, falſum eſt S. Athanaſium paulopoſt Nicæni Concilii celebrationem ſolummodo de *Arianorum* baptiſmo dubitaſſe; ſed manifeſte docuit ſerm. 3. contra Arianos Hæreticorum baptiſma uti Manichæorum, Phrygum, Paulianorum, & Arianorum irritum eſſe, ac nullum; quod verum baptiſma non ſit, ubi vera fides non eſt; inquit enim: *diverſum quiddam a vero baptiſmate eſt, quod ab illis* (Arianis) *exiſtimatur dari: tametſi nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, ſimulent ſe nominare. Non enim qui ſimpliciter ait, Domine, is eſt, qui donat legitimum baptiſma; ſed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet: ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcepit; ſed primum dixit: docete, ac deinde baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ex doctrina recta fides oriretur; & cum fide baptiſmatis integra initiatio perficeretur. Certe aliæ etiam hæreſes, eæque numero non exiguæ nominetenus ritum iſtum pronunciant; ſed non recte ſentientes, ut dictum eſt, neque ſanam fidem retinentes inutilem poſſident aquam, quam impartiunt numine, & religione deſtitutam, adeo ut qui ab illis aſpergantur, ſordeſcant potius prava religione, quam redimantur &c. Itidem quoque Manichæi, & Phryges, ac diſcipuli Samoſatenſis nomina ipſa pronunciantes nihil ob id ſunt minus Hæretici; ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario ſentiunt, etiamſi recitent ſcripta, proloquanturque ipſa nomina, fruſtrantur, illuduntque iis, qui ab ipſis baptiſmum accipiunt:* id autem non eſt dubitare, quod reſciſſet Arianos baptizare *in nomine Patris majoris, & Filii minoris;* cum hoc non fuerit omnium Arianorum, & Athanaſii tempore nondum tentaſſent Arianorum aliqui eo modo formam Evangelicam corrumpere; & cum aperte ſcribat; illos quidem baptizare, & nomina proferre, ut *in Scripturis vident*, ideſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ſed quod *fidem rectam* non haberent, ideo *legitimum baptiſma* eos non dare:

dare: neque Athanaſius occaſionem eſt nactus ex damnato per Nicænum Paulianiſtarum baptiſmo, a quibus Ariani ſuæ hæreſeos ſummam mutuati eſſent; cum ſupra confutatum ſit, Arium a Paulo Samoſatenſi hæreſim ſuam ſuffuratum fuiſſe; & cum ipſe non de Arianis modo, ſed de quibuſcunque Hæreticis ſermonem inſtituat. Minus etiam verum illud videtur, poſt mortem S. Athanaſii coactum eſſe Concilium *Laodicenum*, iccirco quod dubitari cœptum eſſet de Novatianenſium baptiſmo, cujus neque rejectio, neque confirmatio expreſſa in Nicæno deprehenderetur; in eoque abdicatum eſſe Cataphrygum, ac Photinianorum baptiſma: nam epocha Laodiceni Concilii adhuc incerta eſt; quamvis eruditorum alii in annum 363. rejiciant, alii vero in ann. 365., alii etiam poſt, alii denique ante Nicænum Concilium; omnes fere ante obitum S. Athanaſii; conſtatque in eo proſcriptum eſſe ſolum baptiſma *Cataphrygum*; illud vero Photinianorum, Novatianenſium, & Teſſeradecatitarum approbatum: & quamquam Ferrandi, & Iſidori Collectiones Photinianos non habent; leguntur tamen in antiquioribus Græca, ac Dionyſiana Collectionibus. Poſtea ſi in eo Concilio de Cataphrygum, Photinianorum, & Theſſeradecatitarum baptiſmate ſtatutum eſt, de quo nullum in Nicæno factum eſt verbum; cur & de illo Novatianenſium ſtatutum edi non potuit, nulla ad Nicænam Synodum habita ratione? & ſi in Nicæno non ſolum Novatianenſium, ſed etiam reliquorum omnium, exceptis Paulianiſtis, Hæreticorum baptiſma nec aperte rejectum, nec expreſſe confirmatum deprehendebatur; cur Laodiceni Patres de illo ſolum Novatianenſium, Cataphrygum, Teſſaradecatitarum, & Photinianorum ſtatutum ediderunt? Sed & tertium quo pacto admitti poteſt; a Concilio I. Conſtantinopolitano Eunomianorum, Sabellianorum, & Cataphrygum baptiſma repudiatum eſſe; normamque recipiendorum Novatianenſium, aliorumque Hæreticorum datam, ac definitam, ſi *canon VII.*, unde hæc ducta ſunt, non eſt Concilii Conſtantinopolitani I., ut oſtendunt nedum Latinorum Dionyſii Exigui, & Iſidori Collectiones, ſed & ipſorum Joannis Scholaſtici, Simeonis Magiſtri, & Alexii Ariſtini? quod etiam evincit nomen in eo deſcriptum *Sabbatianorum*, quorum hæreſis Socrate teſte graſſari cœpit ad annum 391. decem poſt Concilium I. CP. annis; & Patres

tres

tres Synodi Trullanæ, ſive Quiniſeſtæ hoc ipſum iiſdem pene verbis de Hæreticorum baptiſmo can. XCV. ſtatuentes non ajunt, ſe renovare decretum Epiſcoporum CL., quemadmodum dicunt can. XXXVI. decernentes Antiſtiti Conſtantinopolitano primum ab Romano Pontifice locum: propterea apparet, canonem illum VII. potius eſſe Conc. Conſtantinopolitani Quiniſexti, quam Conſtantinopolitani I. Sed & Socrates, & Sozomenus, qui non multo poſt Conſtantinopolitanum I. ſcripſerunt, referunt eo in Concilio conditos eſſe dumtaxat quatuor, quos ſupra commemoravi, canones; quorum ultimus eſt contra Maximum Cynicum intruſum. Deinde cum canon ille VII. rejiciat Eunomianorum baptiſmum, illum vero Arianorum admittat; ſi in Conſtantinopolitano I. Concilio editus fuiſſet; S. Jo: Chryſoſtomus, qui paulopoſt ſcripſit in Pſalmos, non dixiſſet tam Eunomianorum baptiſmum, quam illum Arianorum eſſe alterius ſubſtantiæ, atque Ille Catholicorum; ſcribit enim hom. in Pſalm. XIV. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Cum aliis hæreſibus Arii, & Eunomii in baptiſmo accepta, & madefacta fide, humefacta glutino labe, quæ non poteſt elui. Habuerunt illi quoque olim ut oves album vellus, & floridum ſignaculum; ſed tunc euſque album vellus ſervaverunt, donec ſervaverunt baptiſmum Eccleſiæ, & tunc euſque eorum ſignaculum ferebat florem Chriſti ſanguinis, donec ſervaverunt obſignatam de baptiſmate conſtitutionem: ex quo autem tres immerſiones in unam contraxerunt Trinitatem alterius ſubſtantiæ; non incolæ, ſed paraſiti facti ſunt: ſicut enim illis eſt dogma alterius ſubſtantiæ, ita his etiam baptiſmus.* Sit tamen, ut lubet, reprobatum in Concilio I. Conſtantinopolitano baptiſma Eunomianorum, Sabellianorum, Montaniſtarum, & eorum, qui ex Galatia veniunt, Hæreticorum: num id eo factum, quod illud a Magno Baſilio in quæſtionem vocatum eſſet? non reperi ejuſmodi quippiam in libris, ac Opuſculis Baſilii; ſed eum docere lego, antiquos Patres omnium Hæreticorum baptiſma rejeciſſe, Schiſmaticorum vero probaſſe; Cyprianum tamen, atque Firmilianum utrorumque tinctionem nullam, ac irritam duxiſſe; ſeque cum ſuis iſtorum ſententiæ adhæreſcere; poſſe nihilominus unumquemque proprium ſuæ Regionis morem ſequi: Id autem non eſt ambigere, neque in quæſtionem vocare; ſed aſſerere, & affirmare.

mare. Similiter cum ſcribitur, Laodicenum Concilium abdicaſſe *Cataphrygum* baptiſma, de quo lis mota erat poſt Nicænum: iſtud quidem aſſeritur, ſed nullo modo monſtratur; & ſane minime demonſtratur, quia demonſtrari non poteſt; præſertim cum num. XV., & aliis in locis dicatur, ſuper baptiſmo Cataphrygum ante Nicænum Concilium diſceptatum fuiſſe. Sed & quum refertur, Nicænum irritum declaraſſe *Paulianiſtarum* baptiſma, quod illius celebrationem in Oriente venerat in contentionem; undenam id hauritur? quibus monumentis probatur? nullis profecto, quia plane nulla leguntur, jamque ſupra oſtendi, contentionem de baptiſmo, quam ante Nicænum factam memorat Euſebius, de Baptiſmo Paulianiſtarum eſſe non potuiſſe. Et ſane propterquid in Nicæno Paulianorum, in Laodiceno Cataphrygum, Novatianorumque, & in I. Conſtantinopolitano aliorum Hæreticorum baptiſmata diſcuti, improbarique non potuerunt; etiamſi ante illa quæſtio de iiſdem nulla extitiſſet? Quanta in Conciliis agitantur, & definiuntur; de quibus antea ne cogitatum quidem fuerat? quantaque contra venere in controverſiam; & tamen ad Concilia nunquam deducta ſunt, vel ſi deducta, nihil de eis ſtatutum eſſe ſcitur? Siricius Papa Epiſt. 4. ad Epiſcopos Afros, & Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium Epiſc. Rothomagen., ut alia plurima ejuſcemodi exempla miſſa faciam, ſanxerunt, *Novatianos*, & *Montenſes* ad Eccleſiam venientes admitti ſine baptiſmi iteratione; Concilium vero Arelatenſe II. can. 16. ſtatuit *Photinianos*, ſive *Paulianiſtas* eſſe rebaptizandos; & can. 17. *Bonoſiacos* nequaquam: numne ex eo deduci poteſt, horum Hæreticorum baptiſmum longe ante tempora Siricii, Innocentii, & Arelatenſis II. Concilii non fuiſſe oppugnatum? Ex his igitur arbitrarie conſtitutis, atque exaratis non perſpicue ſatis, ſed nec ſubobſcure etiam, aut ullo modo colligitur, Novatianenſium, aliorumque his affinium Hæreticorum baptiſmum ante Concilii Nicæni tempora non fuiſſe a Catholicis Epiſcopis oppugnatum; cum S. Baſilius in Epiſt. ad Amphilochium c. 1. de *Catharis*, qui & Novatianenſes erant, teſtetur, *quod variæ fuerint de ipſorum baptiſmate diſſenſiones eorum, qui tunc de iſtis diſſeruerunt*: & S. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo cap. 7. contra Donatianos ſcribat: *jam enim ne videar humanis argumentis id agere; quoniam quæſtionis hujus obſcuritas prioribus*

Digitized by Google

ribus Ecclesiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magna charitate præditos patres Episcopos ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque Regionibus diverſa ſtatuta nutaverint; donec plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur; ex Evangelio profero certa documenta &c. lib. etiam 2. cap. 7. *hæc diligentius inquiſita veritas poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem deducta eſt.* & cap. 9. *poſtea vero dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur; non ſolum inventa eſt veritas, ſed etiam ad plenaris Concilii authoritatem, roburque deducta*: ſive autem Concilium illud totius Orbis plenarium fuerit Arelatenſe, ſive Nicænum; ante illud certe ſcribit Auguſtinus quæſtionem extitiſſe de Hæreticorum baptiſmo generatim; ipſumque a Catholicis Epiſcopis oppugnatum. At ne quis opponeret, Auguſtinum ibi hypothetice loqui; idem Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. animadvertit: *quomodo enim potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem, confirmationemque perduci; niſi primo diutius per Orbis Terrarum Regiones multis hinc, atque hinc diſputationibus, & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* Præterea ſi can. 8. Arelatenſe I. Concilium decretum edidit de rebaptiſmo *Afrorum*; idque Theor. VII. num. 11. de *Donatiſtis* explicandum putas; fatearis etiam oportet, id factum ob controverſiam antea de ipſo exortam; proindeque ante Nicænum extitiſſe quæſtionem de baptiſmo Novatianenſium, aliorumque his affinium Hæreticorum; cum Donatiſtæ affines eſſent Novatianenſibus ex S. Epiphanio hær. *69.*, & Arelatenſe I. præceſſerit Nicænum XI. annis.

Ad num. XXXII. *Difficultati ex S. Baſilii authoritate petitæ ſatisfit.*

MAjorem autem in modum confirmat, ante Nicænum Conci. quæſtionem fuiſſe de Hæreticorum baptiſmo S. Baſilius Epiſt. 1. ad Amphilochium c. 1., fruſtraque reſpondetur, multa deprǣhendi apud eum de baptiſmo Hæreticorum minus idonea, & ſecum pugnantia, quæ depravationem textus indigitant: quæ enim ibi minus idonea videntur,

aut ſunt quidem hodie; illis temporibus in Cappadocia, totaque Pontica diœceſi nequaquam erant, nec forſan in toto fere Oriente; ubi mos vetus rebaptizandorum Hæreticorum adhuc perſeveraſſe creditur; diſceptabaturque dumtaxat, an Hæretici ſoli, vel etiam Schiſmatici forent rebaptizandi; & quinam Hæretici, quinam vero Schiſmatici dicerentur. De qua re S. Baſilius Amphilochio de *Catharis* præſertim, atque *Pepuzenis*, quos aliqui Schiſmaticos, aliqui vero Hæreticos arbitrabantur, ſciſcitanti reſpondet: *Antiqui enim illum baptiſmum ſuſcipiendum putarunt, qui nihil a fide receſſit. Unde alia quidem Hæreſes nominaverunt; alia vero Schiſmata &c. Hæreſes quidem eos, qui omnino abrupti ſunt, & in ipſa fide abalienati: Schiſmata vero eos, qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles quæſtiones inter ſe diſſident &c. Hæreſis autem eſt ut Manichæorum, & Valentinianorum, & Marcionitarum, & horum ipſorum Pepuzenorum &c. Viſum eſt ergo antiquis; Hæreticos quidem omnino rejicere; qui ſe autem abſciderunt, qui Schiſmatici dicuntur, ut qui adhuc ſint Eccleſiæ, admittere &c. Cathari ſunt & ipſi ex iis, qui ſunt abſciſſi. Verum enim vero antiquis viſum eſt Cypriano, dico, & noſtro Firmiliano, eos omnes uni calculo ſubjicere Catharos, & Encratitas; & Hydroparaſtatas, & Apotactitas &c.* & c. 47. *Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ ſubjiciuntur eidem rationi, qui & Novatiani; quia de illis editus eſt canon etſi diverſus: quæ autem ad eos pertinent, ſilentio prætermiſſa ſunt. Nos autem una, eademque ratione eos omnes rebaptizamus &c.* Non igitur minus idonea ſcripſit Baſilius; quum ſe, ſuæque diœceſis Antiſtites dixit ſecutos veterem Cypriani, & Firmiliani Hæreticos, Schiſmaticoſque rebaptizantium morem; quandoquidem ille mos nondum ab univerſa Eccleſia penitus ejuratus fuerat, atque proſcriptus: ſed neque ſecum pugnantia, ut textus depravatus credi queat; & quæ quibuſdam videntur ſecum pugnantia, minime ſunt, ut mox dicetur. Interea advertant velim, partem hujus Epiſtolæ, qua quidem agitur de baptiſmo *Encratitarum* rejiciendo, lectam fuiſſe, atque receptam in Synodo VII. Oecumenica Act. 1. Cum autem aſſeritur S. Baſilius abreptus, deceptuſque Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria; id fieri poſſe, ac dici vix puto & ſine injuria Baſilii, & ſine detrimento veritatis; itane levis Magnus Baſilius, ut facile crederet? adeone

ine-

ineruditus, & ſimplex, ut ab unius Euſebii Hiſtoria circumveniretur? ab uno, ut ajunt, Arianorum Anteſignano ſibi imponi ſineret? Poſtea Baſilius non quid faciendum, quidve ſentiendum in hac re, aut quid apud alios legerit, exſcribit; ſed quid ipſe, ſuæque Provinciæ, ac Diœceſis Antiſtites facerent circa Hæreticos, & Schiſmaticos ad Eccleſiam accedentes: *nos autem una, eademque ratione eos omnes rebaptizamus... eos in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum baptiſma baptizati fuerint: nec dicant enim, in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati ſumus &c.* quapropter rogo, an hunc Hæreticorum, Schiſmaticorumque rebaptizandorum morem induxerit Baſilius ab Euſebii Hiſtoria deceptus in Ponticam Diœceſim, an vero ab anteceſſoribus ſuis Antiſtitibus accepit: ſi induxit, & error erat; cur tot inter crimina, & calumnias, quibus ab æmulis, ac invidis impetitus eſt, ut Tritheita, Pneumatomachus, Apollinariſta, & Euſtathianus audiret, ei anabaptiſmum quoque non impoſuerunt? maxime quod *ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat; quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt;* inquit S. Auguſtinus Epiſt. 119. ad Januarium: ſin autem ab anteceſſoribus ſuis accepit; erat igitur ille mos vetus in Oriente; nec ab Euſebio deceptus eſt Baſilius. Et ſane quomodo id vere ſcribi potuit, ſi ea, quæ tradit Baſilius, Hiſtoria Euſebii non habet? Refert Baſilius, antiquorum alios ejuraſſe baptiſmum Hæreticorum, illum vero Schiſmaticorum admiſiſſe; alios autem & horum, & illorum baptiſmata rejeciſſe; quod fruſtra requires apud Euſebium: docet inſuper ille, quinam ſint Hæretici, & quinam Schiſmatici; (ut omittam, quæ ibi de *Paraſynagogis* habet) & rationem affert, propter quam Cyprianus, & Firmilianus Hæreticos, Schiſmaticoſque rebaptizandos eſſe judicarunt; & quædam alia, quæ certe Euſebius non ſcripſit. Duo quidem adducuntur ad oſtendendum Baſilium ab Hiſtoria Euſebii circumventum; ſed alterum, ex ſuppoſita cum Euſebii, tum Donatiſtarum traditione ſibi perſuaſum habuiſſe, Hæreticos, Schiſmaticoſque a Cypriano, & Firmiliano rebaptizatos, inde potiſſimum conjici, quod æqualem Cypriani, & Firmiliani mentionem fecerit; non video quid demum probet, aut probare poſſit: præterquamquod mihi videtur Baſilius potiorem

de

de Cypriano mentionem feciſſe Firmiliano eum anteponendo; quod probe ſciret, quantum Cyprianus Latinus in Eccleſia meritis doctrinæ, atque martyrii, & Firmiliano Græco, ſuoque deceſſore, cæteriſque præſtaret: alterum vero falſum eſſe pronuncio, Baſilium ibi affirmare S. Dionyſium Alexandrinum Firmiliano, atque Heleno nunquam non repugnaſſe; fraterne tamen, & veluti utriuſque apud Romam Sedem ſequeſtrem fuiſſe; idque aperte ex Euſeblo exſcripſiſſe: id enim Baronius tradidit ad ann. 258. n. 48., non Baſilius: idemque Baronius n. 47. ſcripſit, Baſilium neç Firmiliani, nec Cypriani probaſſe ſententiam indiſtincte omne Hæreticorum, & Schiſmaticorum baptiſma rejicientium; ſed antidoto diſtinctionis adhibito, Encratitarum, Hydropariſtarum, & Novatianenſium, hiſque ſimilium recipiendum eſſe baptiſmum tradere; quod tamen falſum eſſe oſtendunt ea, quæ ipſe Baſilius haber c. 47. jam proxime producta. Quod ſi quoque illud ſcripſiſſet Baſilius; cur non potuiſſet ex Epiſtolis Dionyſii Alexandrini hauſiſſe, ut fecit Euſebius? Cæterum S. Baſilius in ea ad Amphilochium Epiſt. c. 1. de *magno Dionyſio*, quem dicit Canonum peritum, tantummodo ſcribit, latuiſſe eum, *Pepuzenorum* baptiſma irritum, nullumque fuiſſe: id autem factum exiſtimo, propterea quod quidam temporibus illis in dubium vocaverint; num Cataphryges, a quibus vel Pepuzeni fluxerunt, vel multum diverſi non eranr, hæretici cenſendi eſſent, an vero Schiſmatici, ut ait Origenes apud Pamphilum, ſeu Euſebium in Apologia pro ipſo Origene: & cum Dionyſius Origenis auditor in ea, ut videtur, fuerit opinione, Schiſmaticos dumtaxat fuiſſe Cataphryges, Pepuzenoſque; potuit primum Orientalibus aſſentiri de Hærericis rebaptizandis, Schiſmaticorum verò baptiſmo ſuſcipiendo; deinde & Afris de utrorumque baptiſmate reſpuendo; ut conjecimus ſupra ad cap. VI. Verùm tempore Baſilii M. Caraphryges jam certo pro Hæreticis habebantur; & dudum in Concilio Laodiceno eorum baptiſma condemnatum fuerat. Nil porro memorat Baſilius de Paulianiſtarum baptiſmate a Dionyſio approbato; nil de Stephano Papa, ejuſque ſucceſſore Sixro, quod Montaniſtarum, & Paulianiſtarum baptiſma commendarint; & nihil etiam de Heleno, ſed tanrummodo de Dionyſio Alexandrino, quæ dixi; ac de Cypriano, Firmilianoque, quæ ſupra ſunt expoſi-

poſita, & quæ nullo modo mihi ſecum pugnare videntur. Quod autem antiquorum quibuſdam viſum ſit, admittere *Schiſmaticorum* baptiſma, *Hæreticorum* vero rejicere, neque ratione caret; neque quæ facile convelli poſſit. Illud enim iis omnibus poſitum in primis erat, extra Eccleſiam neque Sacramenta Chriſti eſſe, neque ullam eorum adminiſtrandorum vim, atque poteſtatem: illorum porro nonnulli, ſicut & recentiorum quidam arbitrati ſunt, Schiſmaticos, quibus hæreſis prorſus nihil adhæſit, eſſe membra Eccleſiæ; & in Eccleſia degere; nam de Hæreticis inter eos omnes convenit, nullo modo ad Eccleſiam pertinere: idque propterea quod iſti fidem omnino commaculabant, illi vero nequaquam. Qua de re ſcribit ſupra memoratus Baſilius: *hæreſes quidem eos, qui omnino abrupti ſunt, & in ipſa fide abalienati; Schiſmata vero eos, qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles quæſtiones inter ſe diſſident:* & paulopoſt: *Schiſma eſt de Pœnitentia diſſentire ab iis, qui ſunt ex Eccleſia: Hæreſis autem eſt ut Manichæorum, & Valentinianorum, & Marcioniſtarum, & horum ipſorum Pepuzenorum; ſtatim enim de ipſa in Deum fide eſt diſſenſio:* & S. Auguſtinus lib. 1. de fide, & Symbolo c. 10. inquit: *nam & Hæretici, & Schiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant; ſed Hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant; Schiſmatici autem diſſenſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt; quamvis ea credant, quæ credimus*: quæſt. vero XI. in Matthæum inveniri dicit, quod *Schiſmaticos non fides diverſa faciat, ſed communionis diſrupta ſocietas:* itemque lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 9. docet Hæreticos eſſe ab Eccleſia *fide* divulſos; Schiſmaticos autem *charitate* ab eadem ſeparatos; quod & habet ſerm. XI. de Verbis Domini; S. etiam Jo: Chryſoſtomus in cap. 1. Epiſt. 1. ad Corinth. ait: *non enim a fidei diſſenſione, ſed ſententiæ humanis contentionibus fiunt ſchiſmata:* cum antea S. Cyprianus lib. Teſtimon. cap. 8. ſcripſerit: *Schiſma non eſt faciendum; etiamſi in una fide, & in eadem traditione permaneat, qui recedit:* nec aliter ſenſerit S. Hieronymus in cap. 1. Amos de Schiſmaticis. Qui omnes in eo conſentiunt, Schiſmaticos in his, quæ vel ad diſciplinam tantum pertinent, vel ad quæſtionem facti, a Catholicis diſſidere; Hæreticos autem in his, quæ fidei manifeſte ſunt. Quapropter

cum

cum Catholicis, & Schiſmaticis una ſit fides; & aliqui, quibus cum invenitur S. Thomas, primam Chriſtianorum cum Eccleſia internam unionem ſtatuant in fide; conſequi quoque putant, Catholicis pariter, atque Schiſmaticis unam eſſe Eccleſiam, quibus eſt una fides; cenſerique poſſe Schiſmaticos velut *Excommunicatos*, ut ajunt, nimirum de anima Eccleſiæ, non vero de corpore; vel etiam aliquo modo de ipſo Eccleſiæ corpore ob externam, & qualemcunque fidei profeſſionem, atque Sacramentorum perceptionem: Itaque M. Baſilius loco ſupra relato de Schiſmaticis ait: *ut qui adhuc ſint Eccleſiæ:* quamquam eos dicit *abſciſſos* ab aliis; Hæreticos vero vocat *omnino abruptos*. Quemadmodum enim inter bonos, & malos Catholicos ſchiſma eſt, atque diſſenſio, ut Paulus Apoſtolus 1. Corinth. c. 5. præcipiat iſtos cum illis non communicare, & non commiſceri; *ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere;* ut & Proverb. c. 1. & 24., ſocietatiſque bonorum cum malis in Eccleſia degentibus prohibitio eſt, quod inter hos, & illos diſſenſio ſit propter opera; ita inter Catholicos, & Schiſmaticos diſſentio eſt propter opinionem de diſciplina, aut de quæſtionibus facti. Quod ſi Schiſmatici credantur aliquo modo eſſe in Eccleſia propter fidem; etiam Sacramentorum Miniſtri credi a quibuſdam jure potuerunt. Verum quoniam nonnulli etiam, ut S. Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon. cap. 7., tradiderunt: *Schiſma eſt recens congregationis ex aliqua ſententiarum diverſitate diſſenſio; hæreſis vero ſchiſma inveteratum*: & Epiſt. 87. al. 164. *ſchiſmatis crimen male perſeverando etiam hæreſim feciſtis;* l. vero 38. Cod. Theod. lib. 4. de Hæreticis: *ita contigit, ut hæreſis ex ſchiſmate naſceretur:* & l. 12. Cod. Juſtin. itidem de Hæreticis: *Hæreticus eſt omnis non Orthodoxus:* in can. etiam 6. Conc. Conſtantinopolitano I. attributo *Hæretici* dicuntur quoque Schiſmatici: Poſtea quæſtiones quædam interdum excitantur, quæ nec facile dictu eſt, nec etiam cognitu, ad fidemne, an ad diſciplinam attineant; ut S. Auguſtinus in Præfat. ad librum de Hæreſibus ſcripſerit: *quid ergo faciat Hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omnino non poteſt, aut difficillime poteſt:* & in Epiſtola ad Quodvultdeum eidem libro præmiſſa: *quid ſit hæreſis.... revera hoc*

hoc omninò definire difficile eſt: inde factum eſt, ut in dubium verteretur, quinam vere dicendi eſſent Hæretici, & & quinam Schiſmatici; eorumque baptiſmatum quodnam probari poſſet, quodnam vero improbari.

AD CAPUT II.

Notarum in Epiſtolam Firmiliani criticarum.

Ad not. I. *Epiſtolæ exordium inhumanum* =

QUamquam omnibus iis, quibus Epiſtola hæc oppugnari videtur, univerſe reſpondere poſſem; erraſſe quidem Firmilianum, ſed Epiſtolam nihiloſecius eſſe Firmiliani: tamen quia quædam erroris poſtulari, quædam etiam in medium vocari noſcuntur; danda mihi opera eſt, ut de hac quiſque re videat, ac judicet; utrum res ita ſint, uti dicuntur. Igitur quod Firmilianus Stephanum Papam *inhumanitatis* arguerit; aut ille purgari non poteſt, quin intemperanter locutus dicatur; aut ſi poſſet, non eſt hujus temporis, ac loci; & ſi quoque eſſet, neſcio, ſi mihi ſumerem tantum. Illud profecto facile adducor, ut rear, Firmilianum Epiſcopum ſine ulla dubitatione Catholicum, non tamen *ſanctitate* percelebrem, ſi in vivis conſtitutus adhuc interrogaretur, cur ita dure ſcripſiſſet; forſitan reſponſurum: iccirco dixi, quia ille fecit; quod quidem exiſtimaret ſe juſtam cauſſam tueri; & inique ſe, ſuæque ſententiæ aſſertores a Stephano plecti, denegata ſibi, ſuiſque Legatis omnium communione in re ad ſolam diſciplinam, eamque diverſam pertinente. Quod autem eum acrius in Stephanum, quem *inhumanum*, quam in Serenianum Præſidem, quem *dirum* appellavit, invectum eſſe quis dicat; vix dignum puto, cui verba demus, cum dirum, & inhumanum vel eadem ſint, vel quam ſimillima; ſynonima namque dici ſolent dirum, crudele, ſævum, & inhumanum. Sed iſta, quæ nos putamus præclara, quàm tibi, Paule, & aliis erunt inania?

Ad not. II. *S. Stephani cum Juda horrenda comparatio.* =

CUm in Concilio III. Carthagin. pro Hæreticis rebaptizandis a S. Cypriano congregato Therapius Epiſcopus a Bulla dixerit: *Qui Hæreticis baptiſmum Eccleſiæ concedit, quid aliud quam Sponſæ Chriſti Judas exiſtit?* S. Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo cap. 25. nihil reſpondit aliud, quam id facere pro unitate Eccleſiæ contra Schiſmaticos. Sed quid quod Clerus Romanus, & Epiſcopi ſuburbicarii in Romano Concilio coram Othone I. Imp. Joannem XII. Papam *Judæ* compararunt, & *Apoſtatam* proclamarunt? Multum certe intereſt Stephanum I. inter, & Joannem XII., ſed etiam acriora multo illi dixerunt, quam Firmilianus; cujus effatum, atque prolocutio non eſt vera Stephani cum Juda comparatio, verum ſententiæ prolatæ certa per exemplum dilucidatio; cum oſtendere voluerit, non omnes, qui præter animi ſententiam beneficia præſtant, ſtatim beneficio, & gratia dignos eſſe; quemadmodum, inquit, Judas, qui proditione ſua præter intentionem effecit, ut morte Chriſti mundus a peccatis liberaretur. Huic porro quadrat id, quod S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. c. 78. refert: *quin etiam me promiſſam in exordio lenitatem non ſervaſſe reprehendis, eo quod Manichæorum facta mentione permotus dixerim: ſicut non poteſt, quod Dominus ait, Satanas Satanam excludere; ita non poteſt error Manichæorum Donatiſtarum errorem vertere: quaſi Petilianum Satanæ comparaverim, ac non errorem; cujus eum cupio laqueis expediri.*

Ad not. III. *Conjungit ex veteri Teſtamento, quæ ab hoc non traduntur.* =

NIſi Firmilianus hoc loco non ſcripta modo, verum etiam facta commemorare voluerit, quod a vero multum non abhorret; neſcitur plane, quid unquam ſcripti reliquerit Noe, quo cum Daniele ſenſiſſe quandoque potuerit: quantum autem ad factum attinet, abunde notum eſt, virtutem divinam Noe, & Danielem longo temporum intervallo ſeparatos conjunxiſſe hoc ipſo, quod utrumque a faucibus mortis eripuerit, ſervaveritque illum in diluvio aquarum, iſtum in lacu Leonum.

Ad not. IV. & VI. *Repugnantia ſententiarum. Nuntii feſtinatio furias avertit* =

HIc quidem Firmilianus eſſe notum voluit; quantopere ſibi grata fuerint Cypriani ſcripta, ut quaſi propria ſuſciperet; nec in tranſcurſu legeret, ſed & ſæpe repeteret, & memoriæ mandaret. Quod autem addiderit: *quoniam vero Legatus iſte a vobis miſſus regredi ad vos feſtinabat, & hybernum tempus urgebat; quantum potuimus, ad ſcripta veſtra reſcripſimus:* mos eſt ſcribentium aliquid demiſſe dicere conſuetudinis aut officii magis, quam purgationis cauſa: atque hoc quidem modo S. Hieronymus Epiſt. 97. ad S. Auguſtinum de correptione Petri a Paulo facta, aliiſque quæſtionibus ſcribit: *tamen conabor, quantum facere poſſum, modum non egredi longioris Epiſtolæ; & feſtinanti fratri moram non facere; qui ante triduum quam profecturus erat, a me Epiſtolas flagitavit; ut pene in procinctu hæc, qualiacunque ſint, effutire compellerer, & tumultuario reſpondere ſermone, non maturitate ſcribentis, ſed dictantis temeritate:* & tamen ejus Epiſtola duplo major, longiorque eſt illa Firmiliani: & Epiſt. quoque adverſus Vigilantium: *Hæc, ut dixi, Sanctorum Præsbyterorum rogatu unius noctis lucubratione dictavi, feſtinante admodum fratre Siſinnio, & propter Sanctorum refrigeria ad Ægyptum ire properante:* ut & S. Auguſtinus lib. 1. de Gratia Chriſti contra Pelagium cap. 1. *Feſtinante enim perlatore inter occupationes noſtras..., ut potuimus, iſta dictavimus:* qui nihilominus duos dictavit Libros, quorum alter 50., alter vero 41. capita complectitur.

Ad not. VII. *Novi Teſtamenti ſupina inſcientia* =

NEmo ſane tam imperitus eſt, qui ignoret Apoſtolorum tempore *Simonem* Magum extitiſſe, nec non aliquot alios Eccleſiæ hoſtes; at Hæreſes etiam tum viguiſſe, non deſunt, qui negent. Hegeſippus enim apud Euſebium lib. 3. Hiſt. cap. 26. tradidit, *viventibus Apoſtolis Hæreſes* non fuiſſe; quod & memoriæ prodidit S. Pacianus Epiſcopus Barcinon. Epiſt. 1. ad Sympronianum, & S. Auguſtinus quæſt. XI. in Evangel. Matthæi, nimirum in aperto ſaltem, & cum aſſeclis; ſed ſi quæ fuerunt, occultæ, ac ſolitariæ ex-

Digitized by Google

titiſſe putantur timore Apoſtolorum. Qua in re etiam S. Irenæus prope tempora Apoſtol. lib. 3. cap. 4. ait: *Reliqui vero, qui vocantur Gnoſtici, a Menandro Simonis diſcipulo... accipientes initia &c. omnes autem ii multo poſterius mediantibus jam Eccleſiæ temporibus inſurrexerunt in ſuam apoſtaſiam*: & Tertullianus de Hæret. Præſcription. cap. 34. de Hæreſibus ſcribit: *Utique quæ ab Apoſtolis nominatæ non fuerunt, ſub Apoſtolis fuiſſe non poſſunt; ſi enim fuiſſent, nominarentur & ipſæ ut & ipſæ coercendæ; quæ vero ſub Apoſtolis fuerunt, in ſua nominatione damnantur*. Phigellus quidem, & Hermogenes, Hymenæus, Philetus, & Alexander nominantur a Paulo Apoſtolo Epiſt. 1. & 2. ad Timotheum; ſed primi duo dicuntur *Apoſtatæ* a Baronio ad ann. 59. n. 20., quod & videtur de reliquis exiſtimandum, quantum ex Apoſtoli Pauli verbis conjici poteſt; & cum ſectam nullam condiderint; neque in Catalogo Hæreticorum leguntur; nec veriſimile eſt, vel certe non conſtat eos quemquam baptizaſſe. *Nicolaitæ* etiam memorantur in Apocalypſi; ſed qui quoque degebant in Aſia, & prope exitum vitæ S. Joannis Evangeliſtæ, multoque poſt mortem Apoſtolorum Petri, & Pauli: variaque narrantur de eorum hæreſis exordio, & authore; nec deſunt apud Clementem Alexandrinum, qui putent eos ab initio non hæreſim, ſed impuros mores tenuiſſe tantum; poſt hæreſim nonnullos condidiſſe, & in varias ſectas ſciſſos eſſe. *Simon* re ipſa Romæ fuiſſe dicitur, & cum Apoſtolo Petro pugnare auſus ex alto cecidiſſe; ſed ille Magus fuit, & Apoſtata, non autem Hæreticus; ſe Chriſtum, ſe Jovem, ſe Deum prædicabat; nihilque cum Chriſto commune habere volebat: quapropter Tertullianus lib. de Præſcript. Hæret. cap. 33. ait: *Simoniacæ autem Magiæ diſciplina Angelis ſerviens utique & ipſa inter Idolatrias deputabatur, & a Petro Apoſtolo in ipſo ſermone damnabatur*. Cum autem exiſtimatur, a Simonianis baptizatos rebaptizandos fuiſſe, quod baptiſmi forma, tametſi cum invocatione Trinitatis, nulla videretur; propterea quod Simon ſe ſe totam Trinitatem eſſe prædicaret; occurrit S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 15., & falſum eſſe docet illis verbis: *quamobrem ſi Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat; integrum erat Sacramentum; quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis alium opinantis, quam Catholica*

veri-

veritas doceat, *non eſſet integra*, *ſed fabuloſis falſitatibus inquinata:* uti & Epiſt. 23. al. 203. ad Maximinum Donat. ſcribens: *hanc formam* (Evangelicam) *ubi invenio*, *neceſſe eſt*, *ut approbem:* niſi putetur, Simonianos Trinitatem ſecus invocaſſe, atque Catholici conſueverunt. Cæterum non ob pravam Simonianorum fidem exiſtimandum eſt, ab eis baptizatos rebaptizandos fuiſſe; ſed ob pravam, qua utebantur, baptizandi formam prorſus ab Eccleſia alienam; nam de Menandro primo Simonis Diſcipulo prodidit memoratus Tertullianus eo libro cap. 46. iſta hæc: *eadem dicens*, *quæ Simon ipſe; quicquid ſe eſſe Simon dixerat*, *hoc ſe Menander eſſe diceret*, *negans habere poſſe quemquam ſalutem*, *niſi in NOMINE SUO baptizatus fuiſſet:* quod habet & S. Irenæus lib. 1. cap. 21., qui & cap. 22. ſcripto tradidit, Saturninum eadem dixiſſe, quæ Menander; de quo non diſſimilia ſcribit Theodoretus lib. 1. Hæret. Fabul. cap. 2. *Ebion*, & *Cherintus* & in Aſia vixerunt, & poſt mortem Apoſtolorum Petri, & Pauli impie ſentire cœperunt. Quare mihi recte dixiſſe videntur & Firmilianus hoc loco, & S. Cyprianus in Epiſt. ad Pompejum, dum inquit: *quando talia de Hæreticis Apoſtoli ſcripſerunt*, *& cum non adhuc hæreticæ peſtes acriores prorupiſſent:* hæreſes execrabiles, ac deteſtandas poſt mortem Apoſtolorum erupiſſe, nimirum Petri, & Pauli; de quibus quidem Apoſtolis eos locutos eſſe perſpicuum ſit, quod horum vel unam, vel potiſſimum traditionem a Romana Eccleſia conſectari conſtat; & clare ipſe Firmilianus ſcribit: *adhuc etiam infamans Petrum*, *& Paulum BB. Apoſtolos*, *quaſi hoc ipſi tradiderint.* Erit quidem, qui exiſtimet, Hæreticos illos vel quoquo modo occultos, ut ſuas partes propagarent, vel alia de cauſa nonnullos in eorum ſectam concedentes baptizaſſe, idque etiam Apoſtolis ſcientibus; ſed non erit, qui affirmare poſſit, illorum aliquos ab Hæreticis baptizatos ad Eccleſiam ſub Apoſtolis acceſſiſſe; ut ob eam rem locus quæſtioni daretur, utrum rebaptizandi eſſent, nec ne; & ut inde vetus Apoſtolorum traditio derivata credi poſſet; cum id literis traditum nuſquam legatur; teſteturque S. Auguſtinus lib. de unico Bapt. contra Petil. cap. 1. *quam ob rem cum in Scripturis Sanctis Canonicis nec illi Hæreticos ad Eccleſiam Catholicam venientes denuo baptizatos; nec nos inveniamus in eodem baptiſmo*, *quem in*

hæreſi

hæreſi acceperant, *fuiſſe ſuſceptos ; in hac re dumtaxat par nobis cauſa eſt :* qui id ipſum repetit lib. 1. contra Creſcon. cap. 31. Sed & ſi etiam illi & Apoſtolorum temporibus, & Romæ quoque fuiſſent ; & baptizati ab iis Hæreticis ad Eccleſiam veniſſent ; non apparet, quomodo Apoſtoli Romæ, atque alibi etiam tradere potuerint, ab Hæreticis venientes non iterato baptiſmate ſuſcipiendos eſſe ; quando ii omnes ita baptiſmi aut formam, aut alia depravarent, ut eorum baptiſma nullum fuiſſe, ac irritum ; & ab eis ita baptizatos ad Eccleſiam Catholicam accedentes eſſe rebaptizandos plerique Scriptores literis tradiderint, ut Timotheus Præsbyter CP., S. Theodorus Studita, Gennadius Præsbyter Maſſilienſis, quos item adduxi num. XVI. ad Cap. 1., aliique plures. Quantum autem ad ejus rei, Romanique moris *traditionem*, etſi non ſatis conſtare poſſet, de qua traditione Stephanus PP. ſit locutus ; nam licet Chriſtophorſonus verterit apud Euſebium lib. 7. cap. 3., Stephanum nihil novi, aut alieni *a traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata* moliendum eſſe arbitratum ; tamen Rufinus ejuſdem Euſebii interpres illorum temporum vicinus lib. 7. cap. 2. dicit Cornelium Papam, & Epiſcopos Italiæ ſtatuiſſe *regulam antiquitus a Patribus ſuper hoc traditam* ſervandam eſſe, idque Stephanum etiam confirmaſſe : & Valeſius tranſtulit *traditionem*, *quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat ;* certe Græca lectio habet κρατήσασαν ἀρχῆθεν παράδοσιν (obtinentem ab initio traditionem) : Sed nec iſti interpretes vocant traditionem Apoſtolorum, verum ex Apoſtolorum temporibus derivatam ; nec ipſe Stephanus Apoſtolorum traditionem dixit, ſed nihil innovandum ait, *niſi quod traditum eſt :* nihilominus S. Cyprianus, & Firmilianus Stephanum loqui de traditione Apoſtolorum ex hoc ipſo ſuſpicati ſunt, quod ille ad eam ampleċtendam, ſervandamque alios cogere voluerit : proinde ſunt demonſtrare conati, traditionem eam Apoſtolorum eſſe non potuiſſe ; ſed humanam, ſeu virorum Apoſtolicorum, ab aliquo videlicet Romano Pontifice induċtam, de qua quidem varia traditione Innocentius I. ſcribit Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ num. 5. *fuiſſe regulas veteres*, *quas ab Apoſtolis*, *vel Apoſtolicis viris traditas Eccleſia Romana cuſtodit ; coſtodiendaſque mandat his*, *qui eam audire conſueverunt :* & Epiſt. 1. ad Decentium Epiſc. Eugubinum :

ac ſit

ac ſit ſcandalum populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi, aut Eccleſiæ non convenire; aut ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris contrarietatem iuductam.

Ad not. VIII. *Affectata eruditio. Cerebroſa conjectura. Anachroniſmus.* =

Apoſtolos hujus Epiſtolæ ſcriptoris judicio ſuorum temporum hæreſibus baptiſmum conceſſiſſe, non legi, nec arbitror legi poſſe in Epiſtola Firmiliani; & quomodo legi poteſt id, quod nunquam ibi ſcriptum fuit? Baronius vero neſcio, quo pacto ad annum 258. n. 44. Ignatii teſtimonio Epiſt. ad Trall., & ad Smyrn. mendacii inſimulare velit Firmilianum; quod tradiderit, *Baſilidem* poſt longam ætatem ab Apoſtolorum tempore adverſus Eccleſiam Dei bellum moviſſe. Primum illas Ignatii Epiſtolas non auſim affirmare vel adulterinas, vel depravatas, ut quidam hodie contendunt, nec forſan prorſus temere; nam Baſilidem fuiſſe tempore Apoſtolorum, habet & Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. *6*. c. 8., ſed & ipſe commentitius, nec non S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos: illud quidem adverto, S. Clementem Alexandrinum Firmiliano antiquiorem & ipſum tradere Strom. lib. 7., Baſilidem fuiſſe temporibus *Hadriani*, & perveniſſe uſque ad tempora *Antonini majoris*, ideſt Antonini Pii, & cum Valentino, ac Marcione ætatem degiſſe; Tertullianus etiam lib. de Præſcript. Hæret. cap. 45. Baſilidem ſcribit erupiſſe poſt Saturninum Menandri diſcipulum, quem aliqui ſub Hadriano Imp. extitiſſe putant; & Euſebius in Chronico ad annum XVII. Hadriani Aug. collocat Baſilidem, ut & in Hiſtoria lib. 4. cap. 7., quin quod ipſe Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ. in Agrippa Caſtore memoriæ prodidit Baſilidem vivere deſiiſſe temporibus Hadriani Imp., ſub quo etiam Theodoretus lib. 1. Hæret. Fabul. cap. 2., & Iſidorus Hiſpal. in Chronico vixiſſe ſcribunt. Nec enim vero abſimile videtur, annos degiſſe eum tempore S. Joannis Apoſtoli, qui fertur mortuus anno Æræ Chriſtianæ *99*. vel 100., & perveniſſe uſque ad annum ejuſdem Æræ 138., quo imperare cœpit Antoninus Pius. Deinde ſi falſum creditur dixiſſe Firmilianus, credere etiam oportet

tet

Digitized by Google

tet falſum dixiſſe & Clementem Alexandrinum; & ſi erravit Clemens ſenior, a quo cæteri hauſiſſe videri poſſunt; cur Firmilianus junior errare non potuit? Sed neque illum, neque iſtum erraſſe puto; cum iſte, ut ad numerum ſuperiorem adnotavi, ſit locutus de Apoſtolis Petro, & Paulo anno Chriſti LXVII. paſſis, martyrioque ſublatis; quorum poſt interitum longa exacta ætate prodiit Baſilides; ille vero, quod tradiderit perveniſſe eum uſque ad tempora *Antonini* Pii, non propterea inficietur vixiſſe etiam ſub Apoſtolis aliis a Petro, & Paulo.

Ad not. IX. *Romanæ Eccleſiæ traditionem calumniatur. Falſa narratio.* =

NOn ait Firmilianus, Romanos non obſervaſſe traditiones Apoſtolicas contra id, quod ſcripſit Irenæus, & Paulus Apoſtolus; ſed *Romæ non ea in omnibus obſervari, quæ ſint ab origine tradita;* cum multa eſſent ad ritus, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia a Petri Apoſtoli ſucceſſoribus inducta; multa etiam pro temporum conditione variata, quæ non erant ab origine tradita, nempe neque a Chriſto, neque ab Apoſtolis; propter quod ſubdit: *& fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere:* idque plane perſpicuum faciant multa, & varia ſtatuta, quæ in libro Pontificali, ſeu in Vitis Romanorum Pontificum Lini, Cleti, Clementis, aliorumque leguntur; nec non Innocentii I. literæ paulo ante commemoratæ: quapropter Firmilianus ait, non ſolum Romæ obſervari Apoſtolorum traditiones, ſed etiam traditiones virorum Apoſtolicorum, ſeu ſucceſſorum Apoſtolorum; quæ Eccleſiaſticæ dici ſolent, & humanæ; ideoque Romanam traditionem de Hæreticis non rebaptizandis nequaquam conſtare fuiſſe Apoſtolorum traditionem, quando aliunde oſtendi poſſet fuiſſe Eccleſiaſticam, & humanam. Vel ſi placet, Firmilianum eſſe locutum de primis traditionibus ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris inductis; cur verum ſcribere non potuit, dum inquit eas Romæ in omnibus non obſervari? Docet enim Theologorum caterva, Apoſtolos nonnulla tanquam *inſtitutores* tradidiſſe Chriſtianis, nonnulla vero tanquam *promulgatores:* iſta, non autem illa eſſe juris divini; & quæ promulgarunt, eſſe aut fidem, aut mores;

Digitized by Google

res; quæ vero inſtituerunt, eſſe ritus tantum, & cœremonias, quæ ab eorum ſucceſſoribus pro temporum conditione vel auferri, vel in quibuſdam variari poſſint; ut manifeſtum eſt de Jeroſolymitano Apoſtolorum ſtatuto abſtinentiæ *a ſanguine, & ſuffocato* jampridem antiquato; item de *Agapibus* ſublatis &c., & cap. *Non debet* de Conſanguin., & Affin. quantum ad Eccleſiæ ſtatuta monetur: *Non debet repræbenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoque variantur*. Apoſtolus autem, & Irenæus interpretandi ſunt de traditionibus Apoſtolorum promulgatis, non de inſtitutis; de quibus Firmilianus locutus eſt: idque quidem apparet, cum ipſe ſubdat, *ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies Paſcbæ &c.* Ex quo Epiſtolæ loco etiam Baronius ad ann. 258. num. 46., quem ſecutus eſt Lupus de VIII. Synodo cap. 10., deduci putavit Firmilianum fuiſſe Quartodecimanum; ſed perperam, ut vidit etiam Tillemontius, qui tamen minus accurate ſcripſiſſe videtur, non ibi de Paſchate loqui Firmilianum, ſed de multis aliis divinæ rei Sacramentis; niſi diem Paſchatis, circa quem errabant Quartodecimani, intellexerit: agit enim ibi Firmilianus & de multis divinæ rei Sacramentis, & de diebus Paſchatis; circa quos ait aliquas eſſe diverſitates Romæ, quæ non Hieroſolymis. Quænam autem erant illæ diverſitates? hæ nimirum, vel ſimiles, quas referunt S. Dionyſius Alexandrinus Epiſt. ad Baſilidem Epiſcopum c. 1. interrogatus, qua hora *die Paſcbæ* ſit ſolvendum jejunium: *qui enim*, reſpondit, *Romæ ſunt fratres, ut ajunt, Gallum expectant; de iis autem, qui bic ſunt, dixiſti, quod citius:* & S. Hieronymus in Matth. cap. 25. dicens: *unde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die vigiliarum Paſcbæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat expectantes adventum Chriſti:* nec non Jo: Beleth divin. Offic. explicat. cap. 113. & ſeqq., atque Gulielmus Duranti Ration. Divin. Offic. lib. 6. cap. 86. & de quibus Waleramus Nuemburgenſis Epiſcopus initio ſeculi XII. S. Anſelmum conſuluit hoc modo: *de Sacramentis Eccleſiæ aliud Palæſtina, aliud Armenia, aliud noſtra Romana, & tripartita ſentit Gallia. Dominici etiam corporis myſterium aliter Romana, aliter Gallicana Eccleſia, ac diverſiſſime noſtra tractat Germania:* cui reſcripſit Anſelmus libro eidem inſcripto. Sed & de die Paſchatis cele-

Q bran-

Digitized by Google

brando loqui potuit Firmilianus non quidem illo, de quo Catholici cum Quartodecimanis diſceptabant; verum de *Dominica* die Catholicorum, utrum hac, vel illa celebrandum Paſcha eſſet; de qua profectò die quantopere inter ſe Orientales, & Occidentales contenderint, legi poſſunt Baronius, & Pagius ad ann. 417. 444. 455. 546., 577., 590. 633. 664. 740. 760., & Petavius de Doctr. Temp. lib. 6. cap. 5., ubi fit manifeſtum, eam controverſiam inter ipſos etiam Occidentales non ſemel agitatam fuiſſe; & Cl. Franciſcus Blanchinus de ſolut. Problem. Paſch. ſcribit, his noſtris quoque temporibus erratum a Latinis in hac Paſchatis Dominica die, quamquam Leo M. Epiſt. 95. ad Epiſcopos Galliarum, & Hiſpaniæ admonuit: *Cum in omnibus divinorum præceptorum regulis exequendis ſacerdotalem obſervantiam oporteat eſſe concordem; maxime nobis & principaliter providendum eſt, ne in Paſchalis feſti die vel ignorantia, vel præſumptio peccatum diverſitatis incurrat:* jamque ante Concilium Nicænum, & Firmiliani ſeculo de ea Paſchatis die diſſonantiam fuiſſe, ſuadent Paſchalis Canon Hippolyti Portuenſis, ut fertur, Epiſcopi, & alter Anatholii Laodiceni Epiſcopi invicem diſcrepantes. De hac igitur die, deque aliis diebus Paſchalibus, ſeu Paſchatis hebdomada, de qua feriandum ſtatuit Synodus Lugdunen. de Conſecrat. diſt. 3. c. 1. *Pronunciandum*, intelligi poteſt Epiſtola Firmiliani; maxime quod non dicit *circa diem*, ſed *circa celebrandos dies Paſchæ*. Sit autem, ut iſti volunt, locutus Firmilianus etiam de die Paſchatis juxta controverſiam cum Quartodecimanis; num propterea ipſe Quartodecimanus eſt nuncupandus? id certe ex illis Epiſtolæ verbis non conjicitur; cum ibi ſolum dicat, Romæ, & Hieroſolymis non omnino conveniri in diebus Paſchæ celebrandis; & fruſtra Romanos *Apoſtolorum auctoritatem prætendere*, quam, inquit Socrates lib. 5. cap. 21., ſcriptis probare non poſſunt; ob id autem nec Hieroſolymitanum morem probat, nec Romanum damnat, nec quam in partem propendeat, oſtendit. Narciſſus porro Hieroſolymitanus Epiſcopus quamquam aliquot ante Firmilianum annis in Synodo non *Hieroſolymitana*, (Author enim Libelli Synodici parum caſtigatus unam Palæſtinæ Synodum in duas perperam diviſit, ut & *Oſrhoenam* unam in duas Oſrhoenam, & Meſopotamicam) ſed Paleſtinæ Paſcha celebrandum eſſe *ſecundum*

S. *Ani-*

S. Anicetum, *& Victorem pronunciavit* cum majore Eccleſiarum parte; tamen non multo poſt & Hieroſolymitanam Eccleſiam cum tota Palæſtina, & magnam partem Orientis in ſententiam iviſſe Aſianorum, Conciliique Epheſini; ut Luna XIV. cum Judæis Paſcha celebrandum eſſe cenſuerint; perſuaſum eo mihi eſt, quod S. Athanaſius lib. de Synodis, & Epiſt. ad Afros ſcribat, ſub tempus Concilii Nicæni *Syros*, *Cilices*, *& Meſopotamos* Quartodecimanos extitiſſe, & cum Judæis feſtum diem Paſchæ celebraſſe: Palæſtina porro fuit Provincia Syriæ ex Scriptoribus, & Geographis; quare in veteri Notitia Provinciarum Imperii ſub Theodoſio M. edita, & a Hieronymo Surita in fine Itinerarii Antonini vulgata legimus inter X. Orientis Provincias *Syria Palæſtina*, *Syria Cœle*, *& Syria Phœnice*: & quod in Epiſtola M. Conſtantini poſt Nicænum Con. ad Eccleſias ſcripta, in qua Provinciæ omnes, quæ die Dominica poſt Æquinoctium vernum Paſcha celebrandum decreverant, *Palæſtina*, *Syria*, ac fere tota *Diœceſis Orientis* cum *Illyrico* deſint; quodque demum ipſi Nicæni Patres Epiſt. ad Eccleſiam Alexandrinam data referant, quæſtionem de die Paſchatis in Concilio ſedatam fuiſſe; *ita ut omnes fratres*, *qui Orientem incolunt*, *quique Judæorum conſuetudinem ante in eo feſto obſervando imitari ſolent*, *jam Romanos*, *nos*, *& omnes vos*, *qui eundem morem*, *quem nos*, *in eo recolendo a primis temporibus tenuiſtis*, *ſint conſentientibus animis in eodem celebrando deinceps ſecuturi*: igitur & ob hanc cauſam cogendum fuit Nicænum univerſale Concilium; nam etſi ſub Victore Papa Romæ non *duo*, ſed unum; & in Oriente, ac Occidente plurima Concilia ſtatuerint uno die, eoque Dominico ab omnibus eſſe Paſcha celebrandum; idque poſtea fuerit confirmatum ſub Sylveſtro Papa ab Arelatenſi Concilio: tamen quia id in Oecumenico Concilio nequaquam factum fuerat, magnaque pars Orientalis Eccleſiæ oppoſitam tuebatur ſententiam; iccirco *in urbibus Orientis diſcordantes quidem ab hoc alterutra ſocietate diviſos non fuiſſe*, *Judaice tamen feſtivitatem Dominicam celebraſſe* tradunt Socrates, & Sozomenus lib. 1., neque quidem Hæretici, neque etiam Schiſmatici nuncupabantur ipſi; verùm Teſſaradecatitarum, ſeu Quartodecimanorum hæreſis nonniſi poſt Nicænum in Laodiceno Concilio incœpit nominari: quapropter tametſi Firmilianus

 exti-

extitiſſet Quartodecimanus; ob id tamen neque Hæreticus fuiſſet, neque Schiſmaticus.

Ad not. X. *Confidentius negat, quod non ſolum gravibus conjecturis affirmatur, verum etiam longe probabilius verum eſt.* =

QUod ſi Firmilianus non eſt locutus de die Paſchatis cum Quartodecimanis controverſo; parum, vel nihil in rem noſtram conducit de Victore Papa injectus ſermo: non enim Firmilianus de his differit, quæ jam pridem facta fuerant, prætererantque; ſed quæ ſuo tempore fiebant, ſervabanturque; de quibuſdam diverſitatibus *circa celebrandos dies Paſchæ, & circa* multa alia divinæ rei Sacramenta, quæ *Romæ* erant, & *Hieroſolymis;* & de his, quæ *in cæteris quoque plurimis Provinciis pro locorum, & hominum diverſitate variantur;* quas ex parte deſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 1., & propter quas Firmilianus ait, *ab Eccleſiæ Catholicæ pace, atque unitate* non eſſe diſceſſum, idemque ſcripſit S. Ireneus, ſive Concilium Gallicum Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium lib. 5. cap. 25., *atque nihilominus cum iſti omnes pacem inter ſe tranquillam tenuerunt, tum nos etiam retinemus: ſicque varia, & diſcrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimum commendat:* quod & præſtitit M. Gregorius Epiſt. 24. lib. 6. ad Anaſtaſium Epiſc. Antiochenum de Cyriaco Epiſcopo Conſtantinopolitano *Oecumenici* titulum uſurpante, dum ait: *Et quidem in ſuſcipienda fratris, & conſacerdotis noſtri Cyriaci Synodica Epiſtola dignum non fuit, ut pro cauſa profani vocabuli moras facerem; ne unitatem Sanctæ Eccleſiæ perturbarem; ſed tamen de eo ſuperſtitioſo, & ſuperbo vocabulo eum admonere ſtudui dicens, quia pacem nobiſcum habere non poſſet:* quamquam agebatur de titulo Romani Pontificis proprio tuendo, ac de re, ut putat Baronius ad ann. 595. n. 43., ad fidem pertinente ex ejuſdem Gregorii M. Epiſt. 39. l. 4. ad Diaconum Sabinianum. Ait igitur Firmilianus, quod ſi propter nonnullas in Eccleſiæ membris diverſitates minime Eccleſiæ inter ſe diviſæ ſunt, minimeque ab unitate Catholica diſceſſum; neque etiam ob hanc baptiſmi Hæreticorum diverſitatem in Eccleſiis repertam debuiſſe Stephanum ab unitate diſcedere. Si autem ſermonis utcun-

utcunque gratia dicendum ſit, quid inter Victorem Papam cum Quartodecimanis, & Stephanum cum rebaptizantibus diſſentientes diſcriminis interſit, quidve convenientiæ; Victor ſecum habuit Epiſcopos plurimos, eoſque præcipuos; & Concilia plurima Orientis, & Occidentis; unoque verbo Eccleſiam univerſam, dempta diœceſi Aſiatica: Stephanus vero quoſnam ſibi conſentientes habuerit, adhuc ignoratur; plures eum quidem ſuæ ſententiæ reperiſſe non dubito, ſed plurimos etiam, eoſque magni nominis, magnarumque Sedium Antiſtites adverſantes inveniſſe legimus. Uterque tamen, quantum mea opinio fert, veriuſque mihi ex antiquorum monumentis elucet, nedum comminatus eſt, telumque excommunicationis oſtentavit, verum illud etiam vibravit ille in Aſiaticos; in Afros iſte, aut in utroſque: nam cum & illi, & iſti in ſua perſtarent opinione; neque ab ea recedendi ſpem ullam facerent; uterque, uti minatus fuerat, ita illis amplius non communicavit; ſed morte paulopoſt & illum, & iſtum intercipiente, non *Victor* Papa, ut Marca, Schelſtratius, & Pagius ſibi perſuaſerunt ex Sozomeno, qui res Aniceti, & Victoris; Polycarpi, & Polycratis Epiſcoporum miſcet, & confundit; verum & Victoris, & Stephani ſucceſſores Zephirinus, & Sixtus re maturius librata, aliorumque literis permoti pacis, ac unitatis in Eccleſia ſervandæ cauſa cunctos more ſuo, ſuiſque conſuetudinibus uti permiſerunt. Quo plane factum eſt; ut neque Polycrates, aliique Quartodecimani; neque Firmilianus, ac Cyprianus, aliique rebaptizantes Hæreticos extra communionem Eccleſiæ diem ſuum obierint: quod quidem de Victore Papa teſtantur perſpicue Euſebius, S. Epiphanius, & Socrates; de Stephano autem & præſens Firmiliani Epiſtola, & controverſia adhuc ſub Sixto continuata fidem prope certam faciunt. Qua in re nolo huc afferre genus illud excommunicationis antiquæ, qua quidam ab aliis Epiſcopis, atque Eccleſiis abſtenti propria tamen in Eccleſia, ſuaque in Diœceſi authoritatem, ac dignitatem, cum Clero, ac plebe communionem integram, illibatamque ſervabant; ut ex Epiſt. 209. al. 261. S. Auguſtini ad Cæleſtinum Papam, & 60. al. 40. S. Leonis M. ad Anatolium CP. Epiſcopum obſervaſſe ſcribunt Morinus lib. 2. Exercit. Eccleſ. c. 17., & ſeqq., & Pagius ad ann. 417. n. 15., & de qua loqui videtur etiam Theo-

Theodoretus lib. 5. Hiſt. c. 34., dum in cauſſa S. Jo: Chryſoſtomi calumniis obruti ſcribit: *Orientalium vero urbium quamplurimi communionem quidem ſceleris refugerunt, corpus tamen Eccleſiæ haudquaquam diſciderunt*: quapropter & Theophilus Alexandrinus, & Salluſtius Hieroſolymorum Antiſtites, aliique extra Romani, & Occidentalium Epiſcoporum communionem e vita commigraſſe, & nihilominus poſt obitum etiam Orthodoxi eſſe non deſtitiſſe feruntur; ut legere eſt apud eundem Pagium ad ann. 491. n. 6., & ſeqq., & 492. n. 4. Ut ut enim res ſe habuerit; Scriptores certe Galli plus ſtudio, quam ratione in Euſebium inſurgunt; & maxime Natalis Alexander, quum ſumat pro certo, quod dubium; aut pro vero, quod mihi falſum eſt: putat enim Firmilianum in hac Epiſtola loqui de die Paſchatis Catholicos inter, & Quartodecimanos controverſo; quod dictum eſt eſſe falſum, vel certe valde dubium. Deinde propter quid Firmilianus abſtinet a Victoris mentione, niſi quod ſciret, illum tentaſſe, ac egiſſe contra Quartodecimanos id, quod Stephanus adverſus rebaptizantes Hæreticos? quare cum dixerit, Stephanum cum Afris pacem fregiſſe; ſubjunxit: *quam ſemper anteceſſores ejus vobiſcum amore, & honore cuſtodierunt*: nec alia de cauſa videtur non dixiſſe *nobiſcum*; niſi quia Victor antea cum multis Orientalibus pacem non ſervaverat.

Ad not. XI. *Mendacium de pace a Stephano cum Afris intercepta.* =

BAronius, qui ad annum 258. num. 15. ex Epiſt. Dionyſii Alexandrini ait, Stephanum Orientales in ſententia rebaptizandorum Hæreticorum obfirmatos, communione privaſſe; jure ne, an injuria n. 44. ex Cypriano, & Auguſtino neget, Stephanum aliquando pacem cum Cypriano, Afriſque rupiſſe, modo diſquirere nolo: in ea quidem perſiſto opinatione, quam dixi, Cyprianum, & Afros a Stephano prope vitæ exitum abſtentos fuiſſe. Certe cum idem Dionyſius apud Euſebium lib. 7. cap. 5. de Orientalibus tradiderit, Stephanum reſcripſiſſe, non *ſe ſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod Hæreticos rebaptizarent*, ut vertit Valeſius; ſed *quod neque* (ὡς οὐδὲ) *cum illis quidem ob eam*

eam cauſam omnino communicare vellet &c. ut recte tranſtulit Chriſtophorſonus; quid aliud ſignificavit, niſi eum antea cum Afris communicare renuiſſe? Nihil, ais, a Cypriano, nihil a Patribus Conc. III. Carthagin. ſcriptum inveniri; unde id certo duci, judicarique poſſit: at, ut antea monui, non omnia, quæ S. Cyprianus edidit, habemus: quum S. Auguſtinus lib. de unico Bapt. c. 14. tradat, Stephanum rebaptizantes eos, qui ab Hæreticis veniebant, vel ut fieret, decernentes *excommunicandos* eſſe decreviſſe, *ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani literæ oſtendunt:* ubinam ſunt hæ literæ? Utique Cypriani Epiſtola ad Pompejum habet de Stephano: *dat honorem Deo, qui .... Sacerdotes Dei veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat?* ſed unius Cypriani literæ ſunt, non aliorum Epiſcoporum; ſed editionis Pamelii, non Eraſmi, qui legit: *dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicos, & inimicos Chriſtianorum veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem continere putat?* Poſtea quid aliud innuunt illa Cypriani in III. Concilio Carthagin. verba: *ſupereſt, ut de hac ipſa re ſinguli, quid ſentiamus, proferamus neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes; neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit:* niſi Stephani Papæ excommunicationem Afris intentatam? quid aliud tyrannicus ille terror, quàm id, quod Polycrates Epheſinus Epiſcopus Victori Papæ, cum ab eo excommunicationis jaculo territaretur, reſcripſit de die Paſchatis celebrando: *his, quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minime conturbor?* Atqui minæ, inquies, ſunt iſtæ, & nihil ultra: ſint ſane tantummodo minæ; ſed quid ſunt legati illi Epiſcopi a Stephano eatenus ſuſcepti, quatenus, *eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret;* præciperetque *fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet; ut venientibus non ſolum pax, & communio, ſed & tectum, & hoſpitium negaretur?* ſunt ex Epiſtola dubia, & controverſa: ſint etiam ita, ut lubet; verùm nec dubiæ ſunt, nec controverſæ S. Dionyſii Alex. Epiſtolæ apud Euſebium lib. 7. cap. 6. & 7., hæ autem docent, controverſiam de Hæreticorum baptiſmate adhuc ſub Sixto Papa duraſſe; non igitur ſopita ea quæſtio fuit ſub Stephano; & ideo non ſopita, quod cum Afris, & Orien-

Digitized by Google

Orientalibus communicare noluit; cum illis enim ſi communicaſſet, quæſtio etiam terminata fuiſſet: quare non tantum minæ, ſed facta quoque fuerunt. Auguſtinus, inſtant, qui cuncta, quæ eo tempore acciderant, ab eodem ſcripta exacte pervidit; crebro, & plurimis in locis teſtatur, nunquam pacem Stephanum inter, & Cyprianum eſſe violatam, aut communionem interciſam: primum ajo, Auguſtinum quoque teſtari lib. 2. contra Creſcon. cap. 4., *nec omnia, quæ in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandari* potuiſſe; *aut omnia, quæ mandata ſunt*, ſe noviſſe: quo fortaſſe factum eſt, ut cum legerit Cyprianum in Eccleſiæ communione martyrio coronatum, & ab univerſa Eccleſia pro Sancto veneratum; crediderit eum quoque a Stephano neutiquam communione privatum: Deinde adeo breve fuit, quiſpiam dicet, hoc Schiſma, ſi quod interceſſit, ut nullum fuiſſe merito dici potuerit; quando quidem quod parum durat, vix extitiſſe videtur: nam quomodo etiam eſſe quiverit, ut Stephanus in fine cum Cypriano, aliiſque rebaptizantibus communicare noluerit; & tamen nec pax inter eos diſrupta fuerit, nec ſchiſma creatum, oſtendi ſupra. S. autem Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos non ait: *ſciens illum* (ſubde Stephanum) *hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe &c.* ſed inquit: *ſciant illum* (nempe Cyprianum) *hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe; ſiquidem in communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contrairent:* loquitur enim Hieronymus de S. Cypriano in III. Concilio Carthagin. Præſide, ut & Baronius monuit ad ann. 258. n. 32., non de Stephano Papa, quemadmodum Cyprian. Vindex Pearſonium ſecutus affirmat: qui & cum eodem ſentit, Hieronymum adhuc juvenem Tractatum illum exaraſſe: at ego juvenem non dixerim hominem prope quinquagenarium; qualis erat Hieronymus, quando contra Luciferianos calamum ſtrinxit anno circiter 380., potiſſime cum de Hieronymo agitur, qui qua ingenio, qua diligentia, atque eruditione nunquam, dum ſcripſit, juvenis fuiſſe deprehenditur, ſed ſemper ſenex, ac maturus ubique. Quin quod S. Auguſtinus & ipſe aliquando videtur de Stephano addubitaſſe, utrum pacem ſervaverit; cum id uni Cypriano tribuat; ſcribit enim lib. de unico Baptiſmo cap. 14. *Cum ergo Stephanus non ſolum*

non

Digitized by Google

non rebaptizaret Hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret, decernentes excommunicandos eſſe cenſeret; ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani literæ oſtendunt: tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit. Cæterum hoc loco Firmilianus deſideraſſe videtur in Stephano, quod S. Auguſtinus de Agapibus ab Eccleſiis tollendis ſcripſit ad Aurelium Epiſcopum Carthagin. Epiſt. 64. *ſed quod erat tunc dollendum, nunc auferendum eſt non aſpere, ſed, ſicut ſcriptum eſt, in ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis &c. Non ergo aſpere, quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur, magis docendo, magis jubendo, magis monendo, quam minando; ſic enim agendum eſt cum multitudine; ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum:* & tamen Agapes erant ex Apoſtolica inſtitutione, ut ex 1. Corinth. cap. 11. advertit Baronius ad ann. 391. num. 39., neque rebaptizantes Hæreticos pauci fuiſſe leguntur.

Ad not. XII. *Crimen ſuum alteri affingit.* =

HOc ipſum, quod Firmilianus Cypriano, jam antea Cyprianus Pompejo ſcripſerat: *ut nemo Apoſtolos infamare debeat, quaſi illi Hæreticorum baptiſma probaverint, aut eis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicaverint:* uterque enim arbitratus eſt, Stephanum nulla alia de traditione loqui potuiſſe, quam de ea, quæ Apoſtolorum Petri, & Pauli eſſet; quum cernerent, eum excommunicationis telum in eos, qui ſententiæ ſuæ adverſarentur, intorquere; quod quidem ob Apoſtolicam omnibus communem, non ob Eccleſiaſticam, diverſamque traditionem vibrari poſſe putabant. Stephanus tamen prudenti, circumſpectaque uſus œconomia nec hanc, nec illam expreſſit; ſed obſervandum edixit id, *quod traditum eſt*. An autem Arelatenſis Synodus non poſt annos LXV., ſed LIX. vel LX. ſtatuens Hæreticos ad Eccleſiam venientes non eſſe rebaptizandos declaraverit, id eſſe ex traditione Apoſtolica; nondum diſpicere potui: tantumque Stephani opinionem, atque Occidentalium ibi declaratam video, & confirmatam.

Ad not. XIII. *Anachroniſmus. Pagii reſponſum exſufflatur.*

ICorienſis Concilii a Firmiliano, & Dionyſio Alexandrino memorati epocha nullum continet anachroniſmum, nullamque rei geſtæ difficultatem; cum potuerit & Firmilianus Dionyſii Alex. æqualis ei interfuiſſe, & Dionyſius adhuc vivente Firmiliano ſcribere, Synodum illam *longo tempore ante Epiſcoporum memoria, qui antegreſſi ſunt* juxta Chriſtophorſoni verſionem, vel juxta Valeſium *multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus* celebratam: non enim Dionyſius loquitur de omnibus, qui ei Synodo occurrerunt, Epiſcopis, quos nec ipſe forſan ſciebat, nec opus erat omnes ſcripto complecti; ſed de pluribus, potiſſimumque de iis, quorum temporibus coacta Synodus eſt, Epiſcopis ſuæ, atque Romanæ Eccleſiæ, cujus ad Præsbyteros literas ſcribebat; idque ex aliorum relationibus, quippe qui dicit: *illud præterea didici &c.* & alias: *decreta enim in maximis Epiſcoporum Conciliis, ſicut audio &c.* Præsbyter namque Romanus cum extiterit Dionyſius, & anno 247. Alexandrinæ Eccleſiæ conſtitutus Epiſcopus; in Oriente fuiſſe non videtur tempore Synodi Iconienſis longe ante coactæ. Non opus eſt igitur uti explicatione ea, quam adhibet Pagius ad illa Firmiliani verba: *nos in Iconio collecti confirmavimus &c.* quaſi non ipſe Firmilianus, ſed ejus prædeceſſores Iconii ad Synodum fuerint; dum quivit Firmilianus aut Epiſcopus, aut Præsbyter, vel etiam Diaconus adhuc ei Synodo interfuiſſe nedum anno circiter 220., ſed & 215., & antea quoque; ac Dionyſius Alexandr. recte ſcripſiſſe, *multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus* Concilium illud eſſe celebratum; propterea quod jam præterierant anni XL., & amplius ab anno 256., quo ille ipſe ſcribebat. Nam ſi S. Athanaſius, qui ſeptuagenarius exceſſit e vita anno 373., Diaconus adhuc anno 325. Nicæno Concilio interfuit; quanto magis Firmilianus, qui fere nonagenarius obiit anno circiter 272., potuit vel Presbyter, vel Diaconus adhuc anno 215., aut etiam antea Iconienſi Concilio interfuiſſe? & ſi S. Auguſtinus l. 6. contra Julianum cap. 4. de re paulo plus XL. annos acta ſcribit: *ſed quando ante annos plurimos tale ibi quiddam de beato Damaſo, & Urſino contigit, nondum Pelagianos Eccleſia Ro-*

ſia Romana damnaverat: & S. Cyprianus in Epiſt. 55. Cornelio Papæ miſſa anno 252. factum ante annos circiter quindecim hoc modo enarrat: *veniſſe Carthaginem Privatum veterem hæreticum in Lambeſitana Colonia ante multos fere annos XC. Epiſcoporum ſententia condemnatum, anteceſſorum etiam noſtrorum (quod & veſtram conſcientiam non latet) Fabiani, & Donati literis ſeveriſſime notatum &c.* eo magis Dionyſius Alex. de re ante annos ad XL. patrata ſcribere potuit: *longo tempore ante Epiſcoporum memoria &c.*, vel *multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus &c.* præſertim quod hunc locum Rufinus interpretatus eſt *nuper*, Nicephorus vero Calliſti *dudum*. Valeſius quidem, cui Tillemontius, & Harduinus ſubſcribunt, Iconienſe Concilium celebratum cenſet ſub extrema Alexandri Severi tempora, quibus Firmilianum ad Cæſarienſem Eccleſiam recens promotum dicit ex Euſebio lib. *6.* cap. *19.*, ſed ad duo ille vel non adjecit animum, vel id minus attente fecit; nec Firmilianum ſcribere, *Epiſcopum* ſe Synodo Iconienſi interfuiſſe; nec Euſebium eo loco tradere, Firmilianum per id tempus ad Cæſarienſem Eccleſiam fuiſſe promotum; verùm narrata Demetrii Alexandrini Epiſcopi morte, Heraclæque illius in locum ſucceſſione, referre Firmilianum tunc in Cappadocia inter Epiſcopos celebrem fuiſſe, valdeque Origenem ſuſpexiſſe. Quare cum incertum ſit tempus promotionis Firmiliani ad Epiſcopatum; nihilque obſtet, quin ipſe Eccleſiam ſuam regere potuerit annos pluſquam ſexaginta, aut etiam ſeptuaginta, quando de S. Remigio Epiſcopo Remen. legimus adminiſtraſſe eum Eccleſiam ſuam *ſeptuaginta aut eo amplius annos* ex Gregorio Turonen. lib. de Gloria Confeſſ. cap. 79., ſeu *LXXIV. annos* ex Hincmaro Remenſi in ejus Vita; illud quoque conſequitur, potuiſſe eum nedum adhuc Diaconum, aut Præsbyterum, ſed etiam Epiſcopum Iconienſi Synodo interfuiſſe ante tempora Alexandri Severi, ceſſata anno 211. Severi Imp. in Chriſtianos perſecutione. Quid, ais, Dionyſio Alexandrino opus fuerat Epiſcoporum memoriam, qui jampridem vivere deſierant, appellare; cum Cæſarienſem Epiſcopum, qui adhuc in vivis erat, in rem ſuam adducere potuiſſet, ac debuiſſet? Verumenimvero nec potuiſſe id eum, nec debuiſſe dico ſine detrimento doctrinæ, qua pollebat, & nominis *Magni*, quo celebratur Dionyſius; cui cum propoſi-

poſitum eſſet oſtendere Romanis, *non ab Afris ſolis hunc morem nunc primum invectum eſſe, ſed & multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus in Eccleſiis populoſiſſimis, & in Conciliis fratrum apud Iconium, & Synnadam, & apud alios plurimos idem ſancitum fuiſſe;* ad rem non erat, unius Epiſcopi viventis, ſuſpectique teſtimonium producere, quem quoque Dionyſius ignorare potuit Iconienſi Concilio interfuiſſe; nam eo plane modo neque vetuſtatem, neque firmitatem moris rebaptizandi Hæreticos oſtendiſſet. Quapropter & illud exploditur, quo nihil difficile exiſtimatur, Pagium, cæteroſque in anguſtum redigere, ſi iſti ita ſtricte conveniantur: aut vera ſunt, quæ de Iconienſi Concilio prædicat hæc Epiſtola Firmiliani, aut falſa; ſi vera, jam corruunt & Epiſtolæ Dionyſii Alexandr., & Stephani Papæ decretum; ſi falſa, jam ipſa corruit Epiſtola, quæ falſitatis convincitur: nam utraque vera eſſe reſpondebunt, uti re vera ſunt, & nihil in ipſa Epiſtola depræhendi falſitatis, nihilque, quod poſſit redargui; ſi ſola in Stephanum convicia excipias; quod & hactenus oſtenſum eſt, & poſthac etiam magis oſtendetur.

Non minus autem eſt Labbæi, atque Petavii improbanda ſententia, quod Baronium ſecuti Concilium Iconienſe in annum 258. rejecerint; quam ejus, qui illud ad tempora Soteris Papæ, & Marci Aurelii, Commodique Impp., vel aliquanto poſt retrahi poſſe cenſet: quo tempore, inquit, Montani hæreſis emerſit, & quam non eſt veriſimile talem, tantamque ab Epiſcopis Orientalibus non fuiſſe proſcriptam; aut illius proſcriptionem ad Alexandrum uſque Severum fuiſſe protractam. Etenim, ut varia omittam *Montani* hæreſis initia; primum ſub Pio Papa ad annum XIX. Antonini Pii, ideſt anno 156., vel 157. ex Epiphanio hær. 48., alterum ſub Sotere P. XI. anno M. Aurelii Imp., quod eſt anno 171. ex Euſebii Chronico; & tertium apud Baronium ad ann. 173. num. 2. & 3., prætereamque in Occidente notam non fuiſſe niſi poſt Soteris P. tempora, (nam quod Anonymus author Prædeſtinati hær. 26. tradat, Soterem Romanum Pontificem contra Cataphryges librum edidiſſe, Scriptoris erratum eſt loco Victoris nomen Soteris exarantis) &, ut videtur, etiam nonniſi poſt Eleutherii Pontificatum; cum Sanctus Irenæus, qui adverſus hæreſes ſui temporis ſcripſit ſedente Eleutherio ex lib. 3. cap. 3., & quidem poſt annum

num 184., quod libro eodem cap. 24. adducat Theodotio-nis interpretationem, quæ juxta Chronicon Alexandrinum facta eſt ſub Coſs. Marcello, al. Marullo, & Æliano, ideſt anno 184., de hac hæreſi Montani, ſeu Cataphrygum nullum verbum habeat; & S. Epiphanius hær. 48. dicat, uſque ad *annum XII.* Valentiniani, Valentis, & Gratiani, quo ſcribebat, id autem eſt anno 375., intercurriſſe *annos* 190. *plus minus*, ex quo *Maximilla ex Cataphrygibus* dicta eſt *Prophetiſſa*, ideoque anno circiter 185., longe quidem hæreſis ea, lateque pervagata eſt; non ramen univerſum pene Terrarum Orbem pervaſit ex teſtimonio S. Serapionis Antiocheni Epiſcopi, qui ſolum ſcribit: *omnem in Chriſto fraternitatem, quæ per univerſum Orbem Terrarum diffuſa eſt, ab hac nova Prophetia reapſe abhorrere:* quandoquidem & S. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmen. num. 8. Operi ſuo Caralogum, atque Hiſtoriam Hæreticorum a Marcione ad Cataphryges uſque inſerens ait: *quorum per Provincias Africanas non ſolum vitia, ſed etiam nomina videbantur ignota:* auſteriori quoque, graviorique vita adeo multos decepit, ut & Romanum Antiſtitem flexerit ad pacem Montaniſtis concedendam, quam tamen mox revocavit, authore non *S. Martyre* Praxea, (Praxeas enim neque Sanctus fuit, neque Martyr; at Martyrem ſe jactabat *ob ſolum, & ſimplex, & breve carceris tædium*, inquit Tertullianus lib. adverſus eum cap. 1.) ſed Praxea poſtmodum hæretico, & Monarchicorum, ſeu Patripaſſianorum Anteſignano; & Tertullianum inſignem Catholicorum athletam ſuum totum effecerit. Hæc, inquam, hæreſis tandem in pluribus Aſiæ (non & *Græciæ*, id enim error eſt Baronii ad ann. 173. num 19. ex Tertulliano perperam huc traducto) Conventibus condemnata fuit teſte Apollinari Epiſcopo Hierapolitano apud Euſebium lib. 5. cap. 16., quorum aliquot commemorat Author Libelli Synodici *Hieropolitanum*, & *Anchialenſem* in Aſia, atque in Europa *Gallicum*. At iſta hæc minime cogunt, neque ſuadent, id temporis coactum fuiſſe & Iconienſe illud Concilium, de quo Firmilianus, & Dionyſius Alex. agunt; quippe quod illa congregata ſunt, uti conjicitur, ſub Victore Papa; & perſpicue contra Montani perverſa dogmata de nova Prophetia, de jejunio, de nuptiis &c. non de baptiſmate, de quo nihil legimus apud æquales, aut ſup-

ſuppares Scriptores, qui teſtimonio Euſebii hæreſim hanc profligarunt; nihil apud Tertullianum, qui plura Catholicis objecit lapſus in eandem; nihilque apud S. Epiphanium, qui fuſe admodum eam ſectam exagitat. Iconienſe vero Concilium congregatum aſſeritur dumtaxat ob quorundam Hæreticorum baptiſmum; ideoque ad aliud tempus pertinere dicendum eſt, nimirum poſt Severi Imp. anno 211. defuncti perſecutionem, ut jam proxime dixi. Similiter illa Firmilianicæ Epiſtolæ verba: *Plane quoniam quidam de eorum baptiſmo dubitabant, qui & ſi novos Prophetas recipiunt, eoſdem tamen Patrem, & Filium noſſe nobiſcum videntur:* de Cataphrygibus ſine dubio eſſe intelligenda, opinio Baronii fuit ad ann. 258. n. 14., veruntamen non ſoli Cataphryges *novos Prophetas* recipiebant; etiam Baſilidiani ſuos habebant Prophetas *Barabbam*, & *Barcoph* tempore Hadriani Imp. ex Euſebio lib. 4. c. 7., & Archontici e Valentini ſecta *Martialem*, & *Martianum* novos Prophetas jactitabant teſte S. Epiphanio hær. 40., qui & addit eos quoque baptiſma rejeciſſe, tametſi nonnulli eorum baptizati erant: & forſan alii, quos latere nos, & antiquos etiam latuiſſe Scriptores facile eſt; idem certe Epiphanius hær. 19., & 53. de Eſſenis, Sampſæis, & Elceſæis refert eos coluiſſe *Marthum*, & *Marthanam* de genere Helxai Pſeudoprophetæ. Cataphryges itidem falſum eſt, eundem Patrem, & Filium cum Catholicis agnoviſſe, ſed non eundem Spiritum Sanctum, credidiſſeque Montanum eſſe Paracletum a Chriſto promiſſum: enim vero Firmilianus ipſe clare de iſtis docet: *ſecundum etiam illi, qui Καταφρυγας appellantur, & novas Prophetias uſurpare conantur, nec Patrem poſſunt habere, nec Filium, nec Spiritum Sanctum; a quibus ſi quæramus, quem Chriſtum prædicent; reſpondebunt, eum ſe prædicare, qui miſerit Spiritum per Montanum, & Priſcam locutum:* quare non credebant Montanum eſſe Spiritum Sanctum, ut quidam cum errore ſcripſerunt, ſed *de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto paria cum Eccleſia ſentiebant* ex Philaſtrio, Epiphanio, atque Theodoreto; & S. Hieronymus Epiſt. 57. ad Marcellam aſſerit, illos *Sabellii dogma ſectantes Trinitatem in unius perſonæ anguſtias* cogere; quamquam id non Cataphryges omnes ajebant, ſed eorum aliqui tantum teſte Theodoreto l. 3. hæret. Fabul., illi videlicet, quos Author additamenti ad Tertul-

liani

liani librum de Præſcript. Hæret. vocat *ſecundum Æſchinem*; qui & addit communem Cataphrygum omnium blaſphemiam fuiſſe, *Spiritum Sanctum* eſſe alium a *Paracleto*; & illum quidem in Apoſtolis fuiſſe, hunc vero in Montano: Indeque ortum exiſtimo; ut, quemadmodum dixi ſupra ad num. XV. cap. 1., temporibus Origenis plures autumarint, Cataphryges eſſe Schiſmaticos, non autem Hæreticos; hoc eſt eos haudquaquam circa fidem erraſſe, ſed circa diſciplinam.

Quod autem de *Fœmina* præſtigiatrice Firmilianus habet, ſatis commode ad Maximillam, atque Piſcillam referri poſſe non puto; cum iſtæ Prophetiſſæ dicerentur, ac extaticæ; illa inſuper & præſtigiatrix; cum illa rem habuiſſe narrantur Præsbyter Ruſticus, & alius Diaconus; iſtæ vero Virgines a ſuis vulgabantur; quod refellens Apollonius apud Euſebium non attulit hoc facinus, ſed tantum eas maritos ſuos deſeruiſſe ſcribit; illa Cappadox erat, & poſt Alexandri Severi tempora, iſtæ vero Phryges, & longe ante obierant. Quocirca non eſt, quod ad Authorem Sybillinorum Librorum, & ad Apollonium verba faciam; ſolumque mirari ſubit, Tillemontium aſſerere, magnum quiddam eſſe, tam inſignem Hiſtoriam fuiſſe ab Auguſtino ignoratam: numquid omnia, quæ Auguſtinus ſcripſit, ad nos venerunt? & ſi veniſſent, num continuo ſactum iſtud admitteretur, & Epiſtola Firmiliani probaretur? cunctane Auguſtinus noviſſe potuit, aut debuit; quando conſtat latuiſſe eum multo inſigniora, ac recentiora? & ſi quoque noviſſet; num & cuncta literis mandare debebat? ſatius fuiſſet id de Hieronymo affirmare Auguſtino eruditiore. Sed ſi illam quæremus apud utrumque; cur non poſſet aſſeri *Philumenes* genere Pontica Prophetiſſa præſtigiatrix Apellis hæretici, non *Severi*, de qua & Auguſtinus l. de Hæreſ. c. 24., & Hieronymus ad Cteſiphontem adverſus Pelag. At tempora non conveniunt: ita equidem cenſeo; ſed neque de Maximilla, atque Priſcilla tempora convenire certum eſt. His tamen vicina ſunt ea, quæ ſcribit Tertullianus l. de Præſcr. Hæret. cap. 41. *ipſæ mulieres quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere*. Denique aſſeverare, ex Iconienſi Concilio initium ſumpſiſſe morem rebaptizandi Caraphryges, eo quod aliud nullum, unde ea conſuetudo proceſſerit, prius

ſup.

ſuppetat exemplum; mentitumque eſſe Firmilianum, cum ait: *nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe, cum ſemper iſtic obſervatum ſit:* prorſus arbitrarium eſt, ac futili ratione prolatum; nam ad id, quod ſubditur, ſi rebaptiſmi conſuetudo ea erat, cujus memoria non extabat, quorſum Concilii Iconienſis convocatio, eaque de re diligentiſſima tractatio? *quoniam quidam de eorum baptiſmo dubitabant; & cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur;* reſpondet Firmilianus, iccirco Iconii factum eſt Concilium; & ut quod uſu quodam, ac traditione in Eccleſiis Orientis ſervabatur, decreto in Concilio edito magis ſtabiliretur; ut de quibuſdam aliis conſuetudinibus factum edocet Baronius ad ann. 57. n. 206., & ad ann. 136., ac 154. n. 2., quapropter Firmilianus non ſemel ait, *confirmavimus*. Annon autem celebrandi Paſchatis die Dominica ea erat in Eccleſia conſuetudo, cujus memoria non extabat; & tamen ob eam cauſam cogi debuere Concilia plurima, & variis etiam temporibus? Quinimo ſi facta ſunt in Oriente Concilia Iconienſe, Synnadenſe, & plura alia contra baptiſmum Hæreticorum teſte Dionyſio Alexandr., magno argumento eſt, illis in Regionibus immemorabilem extitiſſe rebaptizandorum Hæreticorum conſuetudinem; nam qui fieri potuit, ut ſi oppoſitam tenuerint Epiſcopi illi conſuetudinem, repente totam mutaverint, abjecerintque, nemine repugnante, nullo ſchiſmate exorto; quando S. Auguſtinus teſtatur, quod *ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat?* Neque verbis Firmiliani: *nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe:* refragatur Vincentius Lirinenſis in Commonit. cap. 9., dum ait de Agrippino Carthagin. Epiſcopo: *Primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem, atque inſtituta majorum rebaptizandum eſſe cenſebat:* quoniam quot verba, tot pene errata profert Vincentius; nullus enim canon divinus, nulla univerſalis Eccleſiæ regula extabat Agrippini temporibus de hac re, ſicut teſtatur Auguſtinus ipſe non uno in loco; neque Sacerdotes omnes idem ſentiebant, cum varia eſſet præſertim in Oriente conſuetudo ex his, quæ huc uſque dicta ſunt; atque adeo nec contra morem, atque inſtituta majorum egit Agrippinus; ſed primus in Africa fuit, de quo feratur Concilium

coe-

coegiſſe pro conſtabilienda ea, quæ in Africa, aliiſque Orientis locis ſervabatur, conſuetudine; non vero primus *Rebaptiſmi* author. Similiter cum dicitur; ſi quaruncunque vel levium, longeque minorum hæreſum baptiſma ex immemorabili conſuetudine repudiabatur; quomodo talis, ac tanta oriri potuit quæſtio de eo baptiſmo, qui forma corrupta, & Spiritui Sancto inimica miniſtrabatur? primum falſum eſt, ante hæreſim Cataphrygum fuiſſe hæreſes leves, longeque minores; extiterunt omnes longe graviores, ac peſtilentiores Simonianorum, Ebionitarum, Baſilidianorum, Apellitarum, Valentinianorum, Marcionitarum &c., quæ perverſe de Deo, aut de Verbo Dei, aliiſque ad fidem Catholicam pertinentibus ſentiebant; Cataphrygum vero dogma quibuſdam viſum eſt, ut alias dixi, magis ſchiſma, quam hæreſis antiquitus: deinde illud quoque falſum videtur, Firmiliani temporibus Cataphryges baptiſmi formam corrupiſſe; cum id nonniſi tempore Magni Baſilii factum legamus in ejus Epiſt. ad Amphilochium c. 1., ubi tradit baptiſma eos contuliſſe *in nomine Patris, & Filii, & Montani, ac Priſcillæ;* eoſque hæreticos aperte eſſe dicit, propterea quod *in Sanctum enim Spiritum blaſphemarunt Montano, & Priſcillæ Paracleti appellationem nefarie, & impudenter attribuentes:* quamquam id dicit de *Pepuzenis*, qui quidem Cataphrygum germen erant, diverſam tamen ſectam conflabant ex S. Epiphanio hær. 49., ac S. Auguſtino hær. 27., qui, quod mirum eſt, de ea baptiſmi formula depravata nullum verbum faciunt: illud autem certum, *Cataphrygum* baptiſma in Laodiceno Concilio poſt Nicænum celebrato primum repudiatum fuiſſe. Poſtremo adhuc in obſcuro eſt, quoſnam propter Hæreticos Concilia illa Iconienſe, & alia congregata ſint; cum plurimæ hæreſes ea tempeſtate in Oriente graſſarentur, pluresque etiam in dies orirentur; manifeſtum quidem exiſtimo, quæſtionem tum ortam minime fuiſſe de baptiſmo Hæreticorum, qui forma depravata adminiſtraretur; quis enim unquam Catholicorum de hac re quæſtionem movit? quis unquam baptiſmum corrupta forma ſuſceptum non iterandum putavit? ſed *de eorum baptiſmo, qui etſi novos Prophetas recipiunt, eoſdem tamen Patrem, & Filium noſſe nobiſcum videntur:* Spiritum Sanctum non addidit, non quod illi eum negarent, aut prave de eo ſentirent; ſed forſan

quod Hæreticorum nemo adhuc male de Spiritu Sancto ſenſiſſe Firmiliano notus erat; primique Macedoniani ſeculo ſequenti quibuſdam viſi ſunt prave de eo crediſſe, ita, ut antea qui recte de Patre, & Filio cenſerent, recte quoque de fide ſentire dicerentur. Quare S. Cyprianus Epiſt. ad Pompejum habet: *& illic in nomine Jeſu Chriſti dicat remiſſionem peccatorum dari, ubi blaſphematur in Patrem, & in Dominum Deum Chriſtum:* & S. Athanaſius Orat. 3. in Arianos: *tametſi nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, ſimulent ſe nominare*. Quæſitum igitur eſt eo tempore in Conciliis Orientis; an qui recte de fide, ſeu de SS. Trinitate ſentiebat, novos tamen Prophetas recipiebat, Hæreticus eſſet cenſendus, an vero Schiſmaticus; ac proinde an ejus baptiſma recipiendum eſſet, vel rejiciendum; cum memoratus M. Baſilius nos doceat, antiquos Schiſmaticorum baptiſma approbaſſe, illud vero Hæreticorum rejeciſſe. Quocirca *Iconii* in Concilio, inquit Firmilianus, tractatum fuit, confirmatumque, *repudiandum eſſe, omne omnino baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum*, ideſt adminiſtratum; priuſque dixerat: *Hæretico ſicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare &c. quod totum nos jampridem in Iconio .... confirmavimus tenendum contra Hæreticos firmiter, & vindicandum; cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur:* ergo dubitabatur, an Hæretico liceret baptizare; non autem de baptiſmo depravate adminiſtrato.

Ad not. XIV. *Abſurda argumentatio.* =

Quæ hoc loco habet Firmilianus, non ſunt ex numero eorum, quæ addidit ad cumulandam probationem, ſed quæ eadem retexuit ad confirmandam eam, quam putabat, veritatem; cum eadem & ad eum, & ad Jubajanum ſcripſerit etiam Cyprianus: eratque egregia ipſis argumentatio juxta ea, quæ ipſi arbitrabantur, rebanturque; putabant enim baptiſmum Chriſti nonniſi a Miniſtris Eccleſiæ Chriſti adminiſtrari poſſe; Hæreticos, quod extra Eccleſiam eſſent, Eccleſiæ haudquaquam eſſe Miniſtros; ideoque baptiſma, quod illi dabant, illicitam, ac profanam, irritamque tinctionem appellabant: quapropter ſubtexebant; ſi Paulus Apoſtolus iterum baptizavit eos, quos *Johannes* jam bapti-

baptizaverat; qui etſi Miniſter Eccleſiæ Chriſti non erat, Chriſti tamen amicus, & præcurſor habebatur; cujuſque baptiſma quamquam gratiam non præbebat, ad eam tamen diſponebat; quantomagis iterum ii baptizandi erunt, quos jam baptizarunt Hæretici, qui nedum Eccleſiæ Chriſti Miniſtri non ſunt, ſed ejus inimici, & Pſeudochriſti; quorumque baptiſma non gratiam, non diſpoſitionem, ſed perditionem affert: maxime quod ſi Hæreticorum lavacrum eo ſuſcipiendum aſtruitur, quod Chriſti ſit, ac in nomine ejus adminiſtratum; etiam baptiſma Joannis quodammodo Chriſti erat, cum daretur *in nomine Chriſti venturi* Act. 19., & ex SS. Ambroſio lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7., Hieronymo in c. 2. Joel, & Auguſtino lib. Quæſt. novi Teſtam. q. 29. Quare etſi verum eſt, ex Concilio Trident. ſeſſ. 7. *Johannis* baptiſmum vim eandem non habuiſſe, atque baptiſma Chriſti contra Calvinum, alioſque quoſdam Hæreticos; (ut ut ſe habeat Eulogii Alexandrini Epiſc. apud Photium in Biblioth. num. 280. contra Novatianos opinio;) cæleſtem quoque non fuiſſe, quia Cæleſtia non præſtabat, quemadmodum ſcripſit Tertullianus, gratiam nimirum juſtificantem; licet cæleſtis fuerit utpote a Deo inſpiratus, & ad cæleſtia diſponens; idque & Cyprianus, & Firmilianus non diffiterentur; tamen illud quoque verum eſſe putabant, baptiſmum ab Hæreticis adminiſtratum non eſſe baptiſmum Chriſti; neque nudam Chriſti, aut Trinitatis invocationem ſatis eſſe, ut baptiſmus diceretur verus, & ratus; ſed & aptam materiam, & idoneum Miniſtrum requiri: non quamcunque formam, aut verba; nec quamcunque materiam, ſeu aquam ſelegiſſe Chriſtum ad Baptiſmum; ſed talem formam, talemque materiam; ita nec quemcunque, ſed talem Miniſtrum ad baptiſmum a Chriſto fuiſſe deſtinatum, huncque nonniſi eum, qui intra Eccleſiam eſſet.

Ad not. XV. *Ex Cypriano mutuata animadverſio.*

Terræmotus ea quidem tempeſtate factos in Oriente ut ex ea re perſecutio in Chriſtianos crearetur, teſtatur etiam Origenes tunc inter vivos degens Comment. in Joannem to. 28., ut adnotavit & Baronius ad ann. 237. n. 6., ac proinde non id ex argumento Cypriani contra Demetrianum ſumpſit Firmilianus, ſed ex his, quæ ipſe vidit, & ſenſit.

Ad not. XVI. *Suſpecta eruditio*. =

Ælius Serenianus *omnium Sanctiſſimus*, & *a conſiliis* Alexandri Severi dicitur a Lampridio in Vita ejuſdem Imp. Alexandri. Quod autem a Firmiliano dicatur *Præſes* Provinciæ Cappadociæ, quæ erat *Proconſularis* in laterculo Provinciarum, id plane accidere potuit non ſolum, quia Præſidis nomen Proconſulibus, ac Prætoribus indiſcriminatim attributum invenitur, ſed etiam quia Provinciæ, quæ erant Præſides, tranſibant interdum in Correctores, Prætores, & Conſulares; ut pluribus exemplis confirmari poteſt ex eiſdem Provinciarum laterculis.

Ad not. XVII. *Aut ſententiæ falſitas*, *aut verborum repugnantia*. =

QUum in perſecutione Maximini *nonnullarum Eccleſiarum Clericos* tantum vexatos tradat Severus Sulpitius; & Pagius ex Vita S. Cypriani, atque ex Optato Milevitano oſtendat eam in Africam non perveniſſe; quumque etiam Oroſius, & Euſebius affirment, Maximinum ita ſe præſtitiſſe, *ut eos tantummodo*, *qui populis præerant*, *& doctrinæ*, *punire juberet*, *velut qui cauſam cæteris hujuſmodi perſuaſionis præberent*; liquet perſecutionem eam localem tantum fuiſſe, ut ait Firmilianus, ac perſonalem tantum, non autem univerſalem. Cur vero non quiverit eſſe *acerba*, & *dira*, tametſi localis ſolum, ac perſonalis extiterit; & cur *vera*, ac *generalis* cenſenda erit, ſi tres annos duraſſet, & hæreſis Elceſeitarum tunc graſſaretur, quæ tamen in aliqua ſolum Orientis parte vigebat, plane non video: immeritoque de hac perſecutione dubitaſſe Pamelium affirmo; quando ejus meminerunt nedum antiquorum, quos dixi, Euſebius, Severus Sulpitius, & Oroſius, ſed & S. Auguſtinus, & omnium antiquior, illorumque temporum æqualis Origenes; qui mirum in modum convenit cum his, quæ Firmilianus ſcribit. Quod autem Authores quidam de hac re inter ſe diſcrepent, argumento eſt, *Generalem* eam non fuiſſe; nam illi, apud quos perſecutio valde ſævit, *ſextam* dixerunt perſecutionem; illi vero, quorum ad Regiones feritas talis non pervenit, eam non memorarunt; ſicut & *perſecu-*

ſecutionis ſub Gallo, & Voluſiano Scriptorum multi non meminerunt, eo quod localis illa fuerit, non generalis. Modus vero recludendi mendacii a Pamelio propoſitus, ut nempe reperiatur in Martyrologiis *Sereniani* mentio, prorſus futilis eſt, nec non incertus: quot enim in Martyrologiis leguntur paſſi, aut unius Imperatoris, qui perſecutionem excitavit, ſolo nomine expreſſo; aut & Imperatoris, & Præſidis, ſub quibus martyrium fecerunt, nominibus penitus ſuppreſſis? Quot itidem ibi narrantur paſſi ſub hoc, vel illo Præſide, quod tamen falſum eſſe compertum eſt?

Ad not. XVIII. *Nimium philoſophatur.* =

DÆmones præſcire futura, non dubitavit literis tradere S. Auguſtinus lib. de Divinatione Dæmonum, tum ex cauſarum naturalium conjunctione, tum ex his, quæ illi ipſi præſtare poſſunt: & S. Gregorius Niſſænus Orat. in Gregorium Thaumaturgum narrat, eo Firmiliani ſeculo Neocæſarienſes Ethnicos, cum Deos invocaſſent, precatique eſſent, ut ſibi locum in Theatro concederent, reſponſum accepiſſe, quamprimum eos locum habituros, moxque immani peſte a Dæmone conciſos. Quod ſi dira ſimul, ac mira præſtare Dæmones poſſunt, eo magis illa prædicere, quæcunque ipſi ſunt patraturi; & ſi luem, ac peſtilentiam illico parare valent, cur non & Terræmotum? Nec idem Auguſtinus addubitat Aſtris tactus attribuere, dum lib. 5. de Trinit. c. 6. ſcribit: *cum igitur non uſquequaque abſurde dici poſſit ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere Sidereos, ſicut in Solaribus acceſſibus, & deceſſibus videmus etiam ipſius anni tempora variari; & Lunaribus incrementis, atque decrementis augeri, & minui quædam genera rerum ſicut Echinos, & Conchas, & mirabiles æſtus maris:* qui quidem utrum a nobis præſentiri poſſint, nec ad hoc tempus, locumque eſt, neque ad rem noſtram. Porro ſi quæſtio in Terræmotum recidat; non arbitror, potius fuiſſe Chriſtiani Philoſophi id inficiari ſacris literis perhibentibus; cum Auguſtinus Theologorum princeps, & Chriſtianorum ſummus Philoſophus idipſum non negaverit.

Ad

Ad not. XIX. *Suſpecta nominatio.* =

R*Uſtici* nomen latinum homini Græco nedum novum non eſt, ſed quammaxime uſitatum; ut produnt Hiſtoria Euſebii, Acta Conciliorum Orientalium, & quamplures Scriptores veteres; apud quos ſæpe numero occurrunt nomina latina Græcis, & Orientalibus hominibus, & contra Græca Latinis indita. Præterquamquod quis ſcripſit Ruſticum illum Præsbyterum fuiſſe Græcum? num quia in Cappadocia morabatur? quot Latini in Græcia, atque Oriente commorantur, & e converſo?

Ad not. XX. *Ridicula exprobratio.* =

EXprobrare alicui, quod crimen crimini non adjecerit, non dico ineptiſſimum, ſed impium, & ſceleratum, cum ſcriptum ſit: *neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* Eccleſiaſ. 5. Quamquam interdum, & comparate nec ineptum quidem eſt, nec etiam impium; ut habetur de Celebrat. Miſſar. c. *De homine*, quo loco Innocentius III. exprobrat, damnatque cujuſdam Sacerdotis factum, qui, quod eſſet gravi culpa, mortalique peccato irretitus, adſtrictus celebrare, ut populo morem gereret, ſe ſacrum facere ſimulavit, & ſuppreſſis conſecrationis verbis panem, & vinum ſumpſit, Sacramentumque nullum effecit: & tamen Sacramentum a peccatore confici, & adminiſtrari peccatum eſt, & plane crimen non leve. Hoc autem loco non poſſum non probare Tillemontii correctionem, qui legit *non ſine Sacramento ſolitæ prædicationis;* & quamvis id nullo codice ſuffragante, tamen textus ipſe hoc ipſum poſtulare videtur: nam Firmilianus non exprobrat præſtigiatrici Mulieri, quod *Sacrificium Domino ſine ſacramento ſolitæ prædicationis offerret;* ſed quod auſa eſſet Euchariſtiæ, & Baptiſmi Sacramenta miniſtrare, narrat ipſam ſumma diligentia ea, quæ erant Eccleſiæ, ita præſtitiſſe, *ut nil diſcrepare ab Eccleſiaſtica regula videretur.* Quis igitur non advertit, obtuliſſe eam *Sacrificium Domino non ſine Sacramento ſolitæ prædicationis?* alioquin ab Eccleſiaſtica illorum temporum regula diſcrepaſſet. Accedit, voces illas *Domino non* forſan a Librario per notas olim exaratas fuiſſe, ut eſſet *Dño ño;* & exſcriptores unam effeciſſe oſci-

oſcitanter, ac deſcripſiſſe tantum *Domino:* quæ conjectura noſtrorum temporum criticis forſan probari poſſet.

Ad not. XXI. *Injuſta indignatio omnino Chriſtiano homine indigna.* =

AD illam Domini authoritatem Matth. 5. 22. *qui dixerit fratri ſuo, Racha; reus erit Concilio; qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis:* dictum eſt ſupra ad num. V. cap. I., quomodo ea intelligenda ſit. De reliquo tam alte Firmilianus eam Orientalium, Afrorumque opinionem animo imbiberat, Sacramenta Chriſti extra Eccleſiam conferri non poſſe; ut exiſtimaret Sacramentorum conficiendorum poteſtatem Hæreticis extra Eccleſiam poſitis facere, idem eſſe ac aliam Eccleſiam conſtituere; eamque *apertam, & manifeſtam Stephani ſtultitiam* appellat; quod *multas alias Petras inducat, & Eccleſiarum multarum nova ædificia conſtituat, dum eſſe illic baptiſma ſua authoritate defendit... Qui autem baptiſma eorum probat de baptizatis, & Eccleſiam illic eſſe confirmat.* Quemadmodum autem extare neminem Catholicorum puto, qui dicturus non ſit, hoc loco Firmilianum immoderatione verborum erraſſe, ita perpaucos futuros confido, qui eum non ſint a concilio, & gehenna ignis liberaturi; quando quidem ſcitur, quamplures alios ab his ipſis abſolutos; qui vel paria, vel majora fecerunt, aut dixerunt; frænaque præceptionibus, quas de patientia exercenda a majoribus, & Chriſto accepimus, aliquando laxarunt; de quibus, ac dictis etiam de hac re a Cypriano ſuo loco videbitur.

Ad not. XXII. *Schiſmaticus contemptus.*

NIhil eſt monſtri in Firmiliani verbis, quantum equidem videam: monſtrum autem eſſet; ſi is in Cathedram Petri, vel Petrum ipſum inveheret; ſi illam pulſaret, aut illum percelleret; quem tamen præclare admodum colit, quum ait: *ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt.* Quid! non ultra proceſſit Magnus Baſilius, quando teſte Baronio ſcripſit: *odi faſtum illius Eccleſiæ?* Firmilianus vero, quod ſciret, ſucceſſores Petri collabi poſſe in rebus vel facti, vel ad diſciplinam diverſam attinentibus; ſolum in Stephanum inſurgit, illum

illum dumtaxat exagitat, quem errore abreptum arbitrabatur; & doctrinæ, traditioniſque Petri fractorem ipſum exiſtimabat: atque hoc idem perſcribit ad Cyprianum; qui quum ejuſdem eſſet opinionis, ac Firmilianus, eadem quoque ſentiebat, prædicabatque de Stephano, atque ille; quamquam in ea ad Cornelium P. Epiſt. de Feliciſſimo Schiſmatico iſta ſcripſiſſet Cyprianus non in Stephani, aut Cornelii laudem, ſed extollens *Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt;* nec non *Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt.* Neque verbis illis, *prædicat, gloriatur, contendit*, Stephani in Petri Cathedra ſucceſſionem Firmilianus in contentionem adducit; ſed tantummodo conatur oſtendere, Stephanum in hac de Hæreticorum baptiſmo controverſia degenerem fuiſſe a ſenſis Apoſtolorum Petri, & Pauli; *qui in Epiſtolis ſuis Hæreticos execrati ſunt; &, ut eos evitemus, monuerunt.*

Ad not. XXIII. *Vera impudentia in falſa exprobratione.* =

SCribit Firmilianus: *& non pudet Stephanum hoc aſſerere, ut per eos, qui ipſi in omnibus peccatis ſunt conſtituti, dicat poſſe remiſſionem peccatorum dari? quaſi poſſit eſſe in domo mortis lavacrum ſalutis:* cum jam & Cyprianus in Epiſt. ad Pompejum pronunciaverit: *Cum vero nulla omnino hæreſis, ſed neque aliquod ſchiſma habere ſalutaris baptiſmi ſanctificationem foris poſſit; cur in tantum Stephani fratris noſtri obſtinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptiſmo, item Valentini, & Apellis, & cæterorum blaſphemantium in Deum Patrem contendat filios naſci? & illic in nomine Jeſu Chriſti dicat remiſſionem peccatorum dari, ubi blaſphematur in Patrem, & in Dominum Deum Chriſtum?... dat honorem Deo, qui apud eos, qui in Dominum blaſphemant, peccatorum remiſſionem dari judicat?* Qua in re S. Auguſtinus lib. 3. de Bapt. cap. 18. ait de fœneratoribus, & fraudatoribus in Eccleſia degentibus: *tales tamen ipſius Cypriani temporibus baptizabant, quos coepiſcopos ſuos cum magno fuiſſe gemitu confitetur, & cum magna tolerantiæ mercede perpatitur; remiſſam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum ideſt per Columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, ſi ad ejus pacem illi*

illi pertinent, quibus datur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: ſi cui dimiſeritis peccata, remittuntur &c., & lib. 5. cap. 21. *Quapropter Sacramentum gratiæ dat Deus per malos, ipſam vero gratiam nonniſi per ſeipſum, vel per illius Columbæ membra facit, quibus ait: ſi cui dimiſeritis, dimittentur &c.*, cap. vero 22. *proinde conſentimus Cypriano, Hæreticos remiſſionem dare non poſſe, baptiſmum autem dare poſſe; quod quidem illis & dantibus, & accipientibus valeat ad perniciem tanquam tanto munere Dei male utentibus: ſicut etiam maligni, & invidi, quos & intus eſſe teſtatur, remiſſionem peccatorum dare non poſſunt, cum eos baptiſmum dare omnes fateamur:* quod & habet lib. 6. cap. 1. inquiens: *cum & hi, qui in ipſa unitate perverſi ſunt, & perdite vivunt, appareant remiſſionem peccatorum nec dare, nec poſſe habere; quia non malignis, ſed bonis filiis dictum eſt: ſi cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei; ſi cui tenueritis, tenebuntur.* Qua in re ſi quid diſcriminis inter Cyprianum, & Auguſtinum intercedit, illud eſſe videtur; a Cypriano vitæ ſanctitatem exquiri in Miniſtro Eccleſiæ, ut & Sacramentum, & effectum Sacramenti dare queat; ab Auguſtino vero ſanctitatem Miniſtri præoptari ad effectum dumtaxat Sacramenti tribuendum; cum tamen nunc Eccleſia neque ad Sacramentum, neque ad effectum ejus dandum Miniſtri ſanctitatem requiri doceat; tradatque eum dari *ex opere operato, non ex opere operantis*. Sed & S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferian. adverſario dicenti: *ſed ego recipio Laicum* (Arianum) *pœnitentem per manus impoſitionem, & invocationem Spiritus Sancti ſciens ab Hæreticis Spiritum Sanctum non poſſe conferri:* reſpondet: *Cum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto baptizatus homo Templum Dei fiat,... quomodo dicis, ſine adventu Spiritus Sancti apud Arianos peccata poſſe dimitti? quomodo antiquis ſordibus anima purgatur, quæ Sanctum non habet Spiritum? neque enim aqua lavat animam, ſed prius ipſa lavatur a Spiritu, ut alios lavare ſpiritualiter poſſit... Ex quo apparet baptiſma non eſſe ſine Spiritu Sancto... verum eſſe baptiſma, quo Spiritus Sanctus adveniat. Igitur ſi Arianus Spiritum Sanctum non poteſt dare, nec baptizare quidem poteſt, quia Eccleſiæ baptiſma ſine Spiritu Sancto nullum eſt. Tu vero, cum baptizatum ab eo recipias, & poſtea invocas Spiritum Sanctum; aut baptizare eum debes, quia ſine Spiritu*

Digitized by Google

Sancto non potuit baptizari; aut ſi eſt baptizatus in Spiritu, deſine ei invocare Spiritum, quem tunc, cum baptizaretur, accepit... Tu vero, qui ab Arianis recipis baptizatum, & ei tribuis baptiſma, quod perfectum eſt; quo pacto quaſi modicum quid ei defuerit, Sanctum invocas Spiritum; cum baptiſma Chriſti ſine Spiritu Sancto nullum ſit? de Hilario vero Luciferiano inquit: *Hilarius cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, ſit turba Mundi, neque Eucharistiam conficere poteſt Epiſcopos, & Præsbyteros non habens; neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere.* Hoc igitur in Stephano ſibi non placere dicit Firmilianus, quod & Cypriano non placuit, & Auguſtinus, atque Hieronymus idem ſenſiſſe videntur; quodque modo Eccleſia ut in illis, ſic in iſtis aut non probat, aut nonniſi interpretatione mollitum admittit.

Ad not. XXIV. *Atrociſſima debacchatio.* =

Etiam in III. Carthaginienſi S. Cypriani de hac quæſtione Concilio Irenæus ab Ululis Epiſcopus dixit: *ſi ideo Eccleſia Hæreticum non baptizat, quod dicatur jam baptizatus eſſe, hæreſis major eſt:* verum quid ei reponat Auguſtinus, ipſe legi poteſt lib. 7. de Bapt. cap. 18. Firmilianus autem cur Stephanum Hæreticis pejorem dixerit, & quomodo, his verbis declarat: *nam cum inde multi cognito errore ſuo ad te veniant, ut Eccleſiæ verum lumen accipiant; tu venientium errores adjuvas; & obſcurato lumine Eccleſiaſticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas: cumque ſe illi in peccatis eſſe, & nil gratiæ habere ſe, ac propterea ad Eccleſiam venire fateantur; tu eis remiſſionem peccatorum ſubtrahis, quæ in baptiſmo datur; dum dicis eos jam baptizatos, & extra Eccleſiam Eccleſiæ gratiam conſecutos:* eum igitur Hæreticis pejorem appellat non quidem quantum ad hæreſis errorem, neque quod hæreſim exiſtimaret Hæreticos ſine iterato baptiſmo ſuſcipere; ſed quantum ad ejuſmodi factum, in quo eum plus peccare, atque errore abripi arbitrabatur, quam Hæreticos ipſos: quare nec a communione eundem amovet, nec uti reum hæreſis condemnat; ſed velut in Eccleſiaſtica diſciplina graviter errantem redarguit.

Ad

Ad not. XXV. *Locus ex græco textu non probat hanc Epiſtolam e græco translatam.* =

TExtus ille, *ab aqua aliena abſtine te, & de fonte alieno ne biberis*, affertur etiam in Epiſt. 70. S. Cypriani, Conciliique I. Carthagin. Synodica ad Numidas Epiſcopos hac in quæſtione edita; in libro contra Fulgentium Donatiſtam S. Auguſtino adjudicato cap. 12., & in lib. ejuſdem S. Auguſtini de Unitate Eccleſiæ cap. 19., ubi paulopoſt eundem textum adducit ſed aliter converſum, nempe: *bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus; & fons aquæ tuæ ſit tibi proprius &c.*: qui & in Epiſtolam Johannis Tract. 6. ait: *quid eſt; de fonte alieno ne biberis?* Vulgata quidem S. Scriptura habet Proverb. 5. *bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui:* eſtque fere ita in omnibus Codicibus Hebræis LXX. Interpretum; at iſta e Græco tralatio antiquiſſima eſt; ex eaque neutiquam quidem oſtendi poteſt, Epiſtolam Firmiliani e Græco translatam fuiſſe, cum textus hujus verſionem Firmilianus habere quiverit a Tertulliano, vel a Cypriano, aut ab aliis; elici tamen ex ea poteſt, ipſam Epiſtolam ante tempora Auguſtini fuiſſe conſcriptam; cum, qui ea textus translatione ſit uſus, poſt eum inveniatur nemo, non Ambroſius, non Hieronymus, non quiſpiam alius, quod ſciam; quamquam Hieronymus videri poteſt ad eam reſpexiſſe, quum in Dial. adverſus Luciferianos ait: *conatus eſt B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hæreticorum baptiſma reprobans &c.* ſed id longe antea quam S. Auguſtinus ſcriberet.

Ad not. XXVI. *Pergit debacchari.* =

IMperitum dicit Stephanum Firmilianus, cum jam & Cyprianus ad Pompejum de eo ſcripſiſſet: *quæ imperite, atque improvide ſcripſit:* quod exiſtimarent ambo eum errore detineri; idque per imperitiam accidiſſe; imperitiam vero *animoſos, atque iracundos* facere; *dum*, inquit, *per inopiam conſilii, & ſermonis ad iracundiam facile vertuntur.*

Digitized by Google

Ad not. XXVII. *Aſſumptio falſa.* =

ET Eccleſiæ *Africanæ*, quarum non omnes Cypriano conſenſiſſe, probati non poteſt; & Eccleſiæ *Orientales*, quarum fere omnes Firmiliano repugnaſſe, tot Synodis contra Anabaptiſmum celebratis, falſum eſt, afficiunt Eccleſias *totius Mundi* ex Firmiliano, nempe majorem partem Eccleſiarum Mundi: præſtatque hoc loco audire non Auguſtinum, qui & multo poſt ſcripſit, & l. 2. de Bapt. c. 4. candide fatetur, ſe non omnia, quæ illis temporibus geſta ſunt, noviſſe; ſed Dionyſium Alexandrinum tunc inter vivos degentem, plurimaſque ea de re ad diverſos Epiſtolas ſcribentem; quarum in ea ad Sixtum Papam apud Euſebium lib. 7. cap. 4. ait: *Stephanus antea ſcripſerat Epiſtolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Epiſcopis, qui erant ex Cilicia, ex Cappadocia, ex Galatia, & ex omnibus Gentibus, quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidem ob eam cauſam omnino communicare vellet; nam illi, inquit, Hæreticos rebaptizant:* monetque debere eum *conſiderare magnitudinem rei; quia non quicunque, ſed permagni, & nobiles in Epiſcopis viri ſunt, quibus hoc viſum eſt:* refert itidem & iſta: *decreta enim in maximis Epiſcoporum Conciliis, ſicuti audio, facta fuerunt, uti qui ab hæreſis impietate recedunt, debeant primum in fide inſtrui, deinde veteris, & impuri fermenti eluvie, ac ſordibus ablui, purgarique:* in altera vero ad Philemonem Præsbyterum Romanum apud eundem Euſebiom cap. 6. ſcribit: *hoc tamen didici, quod non Epiſcopi in Africa ſolum iſtam conſuetudinem de Hæreticis rebaptizandis jam invexerunt, verum etiam longo tempore ante Epiſcoporum memoria, qui antegreſſi ſunt, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum tum Iconii, tum Synnadis, tum aliis multis in locis convocatis iſtud decretum fuit; quorum judicia, & ſententias condemnare, irritaque facere non audeo; ſicque illos in odium, & invidiam conjicere: non enim movebis, inquit, terminos proximi tui, quos conſtituerunt Patres tui:* ex quibus manifeſtum eſt, tot Synodos non contra Anabaptiſmum, ſed pro eo celebratas fuiſſe; & Orientem totum, vel fere totum, Africamque totam, (de univerſo enim Occidente non ſatis liquet) illi ipſi faviſſe: certe cum Helenus eſſet Epiſcopus Tharſenſis, Tharſis vero Metropolis Ciliciæ

Pro-

Provinciæ *Diœceſis Orientis;* & Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ Metropolis *Diœceſis Ponti;* cumque Concilia certo conſtet habita fuiſſe & Iconii, quod Lycaoniæ Metropolis eſt, & Synnadis Phrygiæ Metropoli, quæ duæ Provinciæ ad *Diœceſim Aſiaticam* pertinebant: perſpicuum eſt quoque, tres Diœceſes Orientis, Aſiæ, & Ponti, quæ ex veteri Notitia Imperii ſequenti ſeculo XXXV. Provincias complectebantur, eum morem eſſe ſecutas; præter ea, quæ de Alexandrina Eccleſia, *Ægyptiacaque* Diœceſi dicta ſunt alias ad c. I. n. VI. Quocirca ſi S. Auguſtinus l. 2. de Bapt. c. 8. & 9., nec non l. 4. c. 6. CL. poſt annis ſcripſit, Cyprianum *ubique* intuitum eſſe *univerſalem, robuſtamque conſuetudinem*, egiſſe adverſus *totius Orbis morem, conſuetudinis robore* tentum *Orbem Terrarum* Hæreticos ſine baptiſmo recipiendi: & ſi lib. 3. contra Creſcon. c. 3. dixit, *quinquaginta Epiſcopis Orientalium, & ſeptuaginta Afris contra tot millia Epiſcoporum in toto Orbe* placuiſſe, Hæreticos ſine baptiſmo minime recipiendos; etiam lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. & quidem verius monuit: *neque enim omnia, quæ in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandari potuerunt; aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus*. Quomodo enim Cypriani tempore erat *totius Orbis mos, & univerſalis, robuſtaque conſuetudo* Hæreticorum ſine baptiſmo ſuſcipiendorum; ſi ne tempore quidem Auguſtini talis nominari poterat, cum præter hæreticos quamplurium ſectarum Marcionitas, Cataphryges, Novatianenſes, Donatianos, Arianos, Eunomianos, Bonoſianos, Luciferianorum quoſdam, Catholicorum plurimi maxime in Oriente, atque Meridie Hæreticos ad Eccleſiam venientes rebaptizarent? uti ſcripta teſtantur SS. Magni Baſilii, Athanaſii, Optati Milevitani, Cyrilli Hieroſolymitani, atque Jo: Chryſoſtomi antea jam allata: quare S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos ſciſcitanti adverſario, *quare ab Hæreticis baptizati ſuſcipiuntur*, reſpondit: *iſte enim, ut ais, ſcrupulus multos titillat*. Quomodo verò oppoſita rebaptizandorum Hæreticorum ſententia placere potuit & ſolis *quinquaginta Epiſcopis Orientalium;* ſi id ſtatutum fuit *in maximis Epiſcoporum Conciliis, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis, Synodis fratrum tum Iconii, tum Synnadis, tum aliis multis in locis convocatis?* & ſolis *ſeptuaginta Afris;* ſi idipſum confirmatum fuit uno in Concilio Carthagin. ſub Agrippino,

ac in

ac in tribus ſub S. Cypriano, quorum primum ex XXXIII.; alterum ex LXXI., tertium ex LXXXVII. totius Africæ Epiſcopis conſtituta ſunt? Videtur autem Auguſtinus, quum ita pronunciavit, non quæ eſſent, ſed quæ futura erant, præſenſiſſe; atque magis etiam rem explicuiſſe, dum lib. 2. de Baptiſmo cap. 1. inquit: *ſi potuit Petrus contra veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere Gentes judaizare; cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea tota Eccleſia tenuit, cogere Hæreticos, vel Schiſmaticos denuo baptizari?* & lib. 1. cap. 18. *id tamen tenerent* (adverſarii Cypriani), *quod & præterita conſuetudo Eccleſiæ, & poſtea totus Catholicus Orbis amplexus eſt:* ergo Cypriani tempore non tota, & univerſa Eccleſia, nec totus Catholicus Orbis tenebat Hæreticos non eſſe rebaptizandos, ſed *poſtea* tenuit, & amplexus eſt ex ipſomet Auguſtino; qui & lib. 3. cap. 3. id clarius declarat de S. Cypriano dicens: *noverat enim quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia varia diſputatione verſabat.* Et ſane quonam pacto Cyprianus conſuetudinem *univerſalem*, ac *totius Orbis* vidit; ſi in Epiſt. ad Pompejum ſcribit: *nec conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire debet, quominus veritas prævaleat?* quorundam autem conſuetudo non eſt conſuetudo univerſalis, totiuſque Mundi. Sed & tempore ipſius Auguſtini, & poſtea etiam ſi erat *totius Orbis* conſuetudo, ut ab Hæreticis baptizati neutiquam baptizarentur, cum ad Eccleſiam accederent; cur Leo M. in Epiſt. 79. ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum n. 7. de iis ait: *& hanc regulam, ut ſcitis, ſervandam omnibus Eccleſiis prædicamus, ut lavacrum ſemel initum nulla iteratione violetur:* poſteaquam dixerat, eoſdem ſola manus impoſitione ad Eccleſiam venientes eſſe recipiendos; quod & ſcripſit Neoni Ravennati Epiſcopo Epiſt. 37.? Cur Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum de iis, qui venientes ab *Arianis* ad Eccleſiam rebaptizare volebant reſpondit; *quod non licet, cum hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant?* Plane in Collatione Epiſcoporum Gallorum, quos inter SS. Avitus Viennen., & Eonius Arelaten. Epiſcopi fuerunt, coram Gundebaldo Burgundiæ Rege contra Arianos habita anno 501. legitur: *ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, & poſt aliquot dies baptizati fuerunt:* quo loco ſi qui

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, qui reponant; id factum, propterea quod prava, & inquinata forma Ariani baptizarant; velle quoque videntur, memoratum Siricium minus conſulto eos, qui ab Arianis venientes rebaptizare volebant, increpaſſe. Quare S. Iſidorus lib. de Viris Illuſtr. cap. 20. refert, Juſtinianum Valentinum Hiſpaniæ Epiſcopum, qui claruit anno 540., plures edidiſſe Reſponſiones ad interrogatas cujuſdam Ruſtici Quæſtiones *de Baptiſmo Chriſti, quod iterare non licet: de diſtinctione Baptiſmi Johannis, & Chriſti &c.*, & ipſe S. Auguſtinus non diffitetur ſe ſcire, rem hanc nondum ſuo tempore fuiſſe ubique receptam, cum lib. 5. de Bapt. cap. 3. ſcribit: *aut certe, ſicut poſſunt putare, qui nondum iſtam quæſtionem ſolutam eſſe arbitrantur, adhuc quærimus veritatem:* & c. 4. *quiſquis ejus* (Cypriani) *ſermone commotus Hæreticos denuo baptizandos eſſe non dubitat; eos, quibus hoc propter tanta, quæ contra dicuntur, nondum perſuaſum eſt; tales eſſe deputet, quales in præteritum fuerunt.* Cæteroquin ſi quibuſdam in factis ipſius Eccleſiæ judicium errori obnoxium eſſe poteſt, ut literis mandavit S. Thomas Quolib. 9. art. 16., quanto magis etiam viri quantumvis ſummi, atque doctiſſimi his ipſis de cauſis interdum hallucinari potuerunt, ut quidem accidit & Siricio Papæ Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum n. 2. reſcribenti, non licere baptiſmum miniſtrare niſi diebus Paſchæ, & Pentecoſtes; hocque privilegium Dominicum illos dies ſibi vendicare *& apud nos, & apud omnes Eccleſias;* cum tamen ſecus fieret in Oriente, in Africa, in Hiſpania, in Gallia, in Sicilia, & in pluribus ipſius Italiæ Provinciis ex Gregorio Nazianzeno Orat. in Sancta Lumina, ex Prato Spirituali c. 214., ex Victore Vitenſi l. 2. de Perſecut. Vandal. ad ann. 484., ex S. Avito Viennen. Epiſc. Epiſt. ad Regem Clodoveum, ac S. Gregorio Turon. lib. 8. cap. 8., & ex Leone M. Epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ, ac 80. ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni; ubi etiam dicitur Romanus mos *traditio, & inſtitutio Apoſtolica,* & aliter facere, *error;* tradatque Nicephorus Calliſti l. 12. cap. 32., in Achaja nonniſi diebus Paſchatis baptiſma fuiſſe adminiſtratum, ita ut plurimi ſine ipſo e vita decederent; quemadmodum & Socrates antea monumentis tradiderat. Hoc ipſo autem loco habenda eſſe exiſtimo & illa ejuſdem Auguſtini lib. 2. de Bapt. cap. 7., & lib. 4. cap. 23. ac 24. de tradi-

traditione Apoſtolica, nec non lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 20., ac 24., lib. 3. cap. 4., & l. 2. ad Bonifacium contra duas Epiſt. Pelag. cap. 4., atque l. 5. de Bapt. cap. 6. de horrore eorum, qui rebaptizabantur.

Ad not. XXVIII. *Contumelia in Stephanum eo inſignior, quo iniquior.* =

Firmilianus rationibus, quas quidem multas habebat, probabileſque vocat Auguſtinus, & multitudine Epiſcoporum, quos plurimos, magnique nominis noverat ſuæ ſententiæ patrocinari, fretus non eſt veritus Stephanum appellare Schiſmaticum, & a communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam; quemadmodum longe pejori exemplo Africani Epiſcopi in cauſſa trium Capitulorum non addubitarunt Vigilium Papam *a Catholica communione Synodaliter reſervato ei pœnitentiæ loco* abſtinere; ut memoriæ prodidit Victor Tunonenſis; qua de re non diſſimilis Firmiliano multa ſcripſit Facundus Hermianen. Epiſcopus lib. 2. cap. 3., qui nihilominus, quod mireris, commendatur & a Caſſiodoro Comment. in Pſal. 138., & a S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpal. de Viris Illuſtr. cap. 18.

Ad not. XXIX. *Ironia ad iracundiam compoſita.* =

Quid mirum, ſi Firmilianus in Stephanum commotus luſit ironia; quando hoc ipſum egit Leo Magnus in S. Hilarium Arelaten. Epiſcopum iratus Epiſt. 9. al. 89. ad Epiſcopos Provinciæ Viennen. ſcribens n. 2. *apparet, quam mitis ſit corde Hilarius, qui obeſſe præſumptioni ſuæ fraternæ mortis credidit tarditatem; quantum enim in re fuit, is illi ſubtraxit lucem, abſtulit vitam &c.?* Poſt in idem profecto recidit, quod proxime num. XXVII. non impoſuerat, ſed vera ſcripſerat, Stephanum per totum Mundum nempe per majorem Mundi partem cum plurimis Epiſcopis diſſenſiſſe. Scilicet ſi conficta non ſunt omnia Concilia in Oriente non adverſus Rebaptizantes, ſed pro Rebaptizantibus celebrata, vere hæc Epiſtola Firmiliani eſt: non ſunt autem conficta ea Concilia teſtante S. Dionyſio Alexandrino, igitur vere hæc Epiſtola Firmiliani eſt.

Ad

Ad not. XXX. *Impudens mendacii repetitio.* =

Stephanum reipſa pacem fregiſſe cum Afris, & Orientalibus oſtendi ſupra ad not. hujus Capitis XI. Deinde hoc loco Firmilianus aliud etiam indicat, atque controverſiam de Hæreticorum baptiſmo; ut volunt ea, quæ ſubdit: *vario diſcordiæ genere*.

Ad not. XXXI. *Mendacium ampliatum.* =

Non Cyprianus ignoravit, non Euſebius, non Auguſtinus; ſed nos hucuſque ignoramus, & an illi ignoraverint, & quæ contentio præter hanc de Baptiſmo Hæreticorum Stephano fuerit cum ſingulis Epiſcopis, ob quam cum illis pacem ruperit *vario diſcordiæ genere*. At apud illos nihil ad hanc rem legimus: Ita quidem eſt; ſed num eorum Opera ad nos univerſa venerunt? etſi veniſſent; ipſi ne omnia, quæ noverant, literis mandare debuerunt, aut potuerunt? annon hic probe quadrat illud Auguſtini jam toties recitatum ex lib. 2. de Bapt. cap. 4. *neque enim omnia, quæ eo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandari potuerunt; aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus*. Attamen ſi licet conjecturis uti, diverſum illud diſcordiæ genus, propter quod Stephanus rupiſſe ſcribitur pacem cum allis Epiſcopis, fuiſſe videtur, aut videri fortaſſe poteſt de *die Paſchatis*, de *jejunio Sabbathi*, aliiſve variis conſuetudinibus pro Regionum varietate; ſeu de Quæſtionibus nonnullis, quæ ſubinde inter Catholicos movebantur, an *Cataphryges*, & *Novatianenſes*, aliique quidam ab Eccleſia diſſentientes, ut *Elceſeitæ*, *Aquarii &c.* Hæretici eſſent, vel Schiſmatici; num *mille annis* poſt univerſale judicium cum ſuis Chriſtus ſit regnaturus in Terris; cum legam apud Euſebium in Hiſtoria, & S. Hieronymum in Script. Eccleſ. eo tempore Dionyſium Alexandrinum ſcripſiſſe *de Paſchate*, *de Sabbatho*, *de Pœnitentia*, & contra *Millenariorum* errorem; Hippolytum Epiſcopum & ipſum edidiſſe *de Paſchate*, nec non, quantum nos docet Hieronymus Epiſt. ad Lucinium Bæticum, *de jejunio Sabbathi*, & de tempore ſuſcipiendæ *Euchariſtiæ*; Anatholium Laodicenum Antiſtitem *de Paſchate* librum exaraſſe, & Novatianum *de Paſchate*, *de Sabbatho*,

de Cibis Judaicis &c.; Novatianenſeſque teſte Paciano Epiſt. 1. plures excitaſſe controverſias de *die Paſchali*, *de Paracleto*, *de Apoſtolis*, *ac Prophetis*: tam multa enim, crebraque his de rebus conſcriptio quid nobis aliud inſinuat, niſi res illas multum in quæſtionem veniſſe, & crebro agitatas fuiſſe. Et quidem magnam Orientis partem de *die Paſchatis* diſceptaſſe, & in ſententiam Aſiaticorum, ſeu Quartodecimanorum deſcendiſſe poſt Concilia ſub Victore Papa adverſus eam celebrata, oſtenſum eſt ſupra ad not. IX. *De jejunio* autem *Sabbathi* diu inter Orientales, & Occidentales variatum eſſe, ac diſputatum, fidem aſtruunt ea, quæ referuntur a Baronio ad ann. 57. num. 202. & ſeqq., quæque leguntur præſertim in Epiſtolis SS. Hieronymi, & Auguſtini.

Ad not. XXXII. *Ridicula occupatio*. =

Loquitur hic Firmilianus de pace a Stephano cum Orientalibus *vario diſcordiæ genere* rupta; proptereaque etiamſi Cyprianum non lateret diſſidium Stephani cum Orientalibus ſuper Hæreticorum baptiſmo, quam ob cauſam Rogatianum in Pontum, & Cappadociam ablegavit; eundem tamen latere potuit ſuper vario diſcordiæ genere diſſidium. Deinde ſive lateret Cyprianum, ſive non, Orientales cum Firmiliano ſenſiſſe Hæreticos denuo baptizatum iri; ob idque a Stephano communione privatos fuiſſe; potuit ipſe Cyprianus ad eum, & ad alios Orientis Antiſtites mittere Rogatianum; ut intelligerent, ſe cunctos adverſus Stephanum haud temere, & imperite, nec ſine magnis rationum momentis diſſentire. Poſtremo nonne Cypriano, Africaniſque cunctis notus erat Novatus Afer & ipſe? & tamen Cornelius Papa ita ad eos de illo ſcripſit, ut Cyprianus Epiſt. 47. ad ipſum Cornelium reſcripſerit: *nam de Novato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos vobis debeat Novatus oſtendi*. Cæterum controverſiæ hujus tempore Cypriano maximam cum Clero Romano neceſſitudinem interceſſiſſe, vellem mihi probetur: quam enim extet, & de qua feratur, ad illum Clerum datam a Cypriano ſedente Stephano Epiſtolam, inveni nullam.

Ad

Ad not. XXXIII. *Ignotum crimen Stephano improperatur.*

BAronius contendit Legatos, de quibus ſcribit Firmilianus Romam miſſos, & a Stephano non receptos, *Orientalis* Eccleſiæ fuiſſe; Pearſonius autem *Africanæ;* & Cypriani, Firmilianique vindiciarum Author aut Orientales extitiſſe, aut Legatos omnino nullos, eo quod de eis nulla mentio fiat in Epiſtolis Cypriani præſertim in illa ad Pompejum: ego vero, quin Orientalium, & una Afrorum legati fuerint, non video, quid obſtet. Quod enim in Epiſtolis Cypriani nulla eorum ſit mentio; primùm non ſemel dictum eſt, nos omnes Cypriani Epiſtolas non habere; deinde erat demonſtrandum, Legatos Afrorum Romam mitti debuiſſe ante Epiſtolam ad Pompejum datam; quæ ultima eſt, quæ extet, ex Cyprianicis in hac controverſia ſcriptis: id autem oſtendi nequit, cum ea ad Pompejum Epiſtola data fuerit ſtatim poſt Concilii II. Carthaginienſis de hac re Synodicam ad Stephanum, & hujus reſcriptum, decretumque de Hæreticorum baptiſmate non iterando; quo tempore nondum inter Stephanum, & Afros diſruptum erat commercium; ſed ſolum per reſcriptum comminatus eſt, ni omnes ab illa, quam propugnabant, reſilirent opinione, ſe eis ultra non communicaturum: Poſtea vero Romam miſſi ſunt ex Africa Legati; ut rem tractarent coram, ac Stephano demum perſuaderent; quos, quod ſciret nihil mutatæ ſententiæ relaturos, *nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis* Stephanus admittere voluit. Qua tamen in re videtur Magnus Gregorius diverſe admodum ſe geſſiſſe, quum Epiſt. 30. lib. 6. ad Mauritium Aug., & Epiſt. 31. ad Eulogium Alexandr., & Anaſtaſium Antioch. Epiſcopos ſcribit, ſe communicaſſe *Reſponſalibus Cyriaci* Epiſcopi Conſtantinopolitani; *quia authore Deo in elationis errorem*, inquit, *non cecidi: meus autem Diaconus cum prædicto fratre noſtro Cyriaco Miſſarum ſolemnia celebrare non debet, quia per profanum vocabulum* (Oecumenici) *culpam ſuperbiæ aut commiſit, aut ſequitur:* adeo multiplex, & varium eſt aliquando ingenium hominum.

Ad not. XXXIV. *Mendaciſſime Stephanus in Cyprianum contumelioſus perhibetur.* =

Libere quidem Baronius, ſed arbitrarie etiam pronunciavit, Firmilianum eſſe mentitum, quando ſcripto tradidit Cyprianum a Stephano *Pſeudochriſtum*, & *pſeudoapoſtolum*, & *doloſum operarium* eſſe nuncupatum ex 2. ad Corinth. 11., quoniam non aliunde id ille deduxit, quam ex Cypriani, & Auguſtini ſilentio: at enim jam ante pluribus in locis admonui, docuique, non omnes nos habere Cypriani Epiſtolas, & Auguſtinum fateri, ſe cuncta, quæ eo tempore literis mandata ſunt, minime noviſſe. Nec mihi prorſus incredibile videtur, Stephanum potuiſſe hæc in S. Cyprianum in mera etiam diſciplinæ controverſia effutire, tametſi Cypriani nomen maximi in Eccleſia Romana fieret: quæ enim non dicuntur interdum a quibuſvis in æſtu diſceptationum, & in Epiſtolis potiſſimum, quas facile ſupprimendas exiſtimamus; & in quibus propter hoc ipſum utimur familiari, ac liberiori ſtylo? Annon Magnus Leo in mera diſciplinæ Eccleſiaſticæ controverſia cum S. Hilario Epiſcopo Arelatenſi Epiſt. 11. al. 89. ad Epiſc. Provinciæ Viennen. n. 4. ſcribit, non ſolum eum *mentiri* ſolitum, & *præſumptorem* eſſe; ſed etiam *cum ipſe frequentius temerariis, & inſolentibus verbis ſententiam damnationis expeteret... exors Apoſtolicæ communionis, cujus particeps eſſe non meruit;* & n. 6. *ipſius quoque beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantibus minuendo... inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit*? Et quamvis Lupus parum conſulte dicat, propter ea ſola verba dubitandum eſſe, an Epiſtola Firmiliani ſit vera; & Pearſonius arbitratu ſuo tradat, illa ipſa verba ad Orientales a Stephano ſcripta fuiſſe; & Cypriano per Firmilianum innotuiſſe: illud nihilominus compertum eſſe poteſt, & contumelioſa verba nihil veritati Epiſtolæ derogare; & ea conſcripta fuiſſe poſt Epiſtolam Pompejo a Cypriano miſſam ex his, quæ ſuperiori numero dixi; ac proinde non potuiſſe Cyprianum ab eis Pompejana in Epiſtola ſe ſe purgare.

Ad

Ad not. XXXV. *Epiphonema Chriſtianæ charitatis præceptis repugnans.* =

INjurius plane, & contumelioſus haberetur Firmilianus, ſi par pari Stephano convicianti retuliſſet; ſed ex his, quæ proxime, & aliis in locis ſunt dicta, manifeſtum eſt, interdum quædam dici, fierique a viris probis, ac doctis, quæ nec dici quidem ita, nec fieri quoque deberent. Et ſi Stephanus, qui inter *Sanctorum* cœtus locum obtinuiſſe putatur, ea fertur dixiſſe, quæ injuriam, & contumeliam ſaperent; cur ambigemus aſſerere, ea ipſa a Firmiliano prolata eſſe; qui doctus quidem fuit, ac religioni deditus, ſed nunquam in Sanctorum album relatus? Petilianus Epiſcopus Donatianorum ſcitur non ſemel dictus a S. Auguſtino *non veridicus diſputator*, *ſed maledicus conviciator* in libris adverſum eum editis; & lib. 3. contra Creſcon. cap. 81. legitur: *arrogantia tamen veſtra*, *& horrenda ſuperbia Parmeniani literis declaratur:* & iſta ſane merito in Schiſmaticos, & Hæreticos, iiſque ſimiles; at in re quoque noſtra alter alterum Schiſma fovere arbitrabatur.

AD CAPUT III.

Argumentorum, quibus Firmiliani authoritas huic Epiſtolæ vindicari poſſit, eorundemque confutationum.

I. *Argumentum, quod ex Auguſtino deſumi poſſet lib. 3. contra Creſcon. cap. 1., occupatur, & convellitur.* =

I. ARgumentum ex iis profecto eſt, quæ ſunt prorſus incerta; nam quod Creſconius Grammaticus Donatiſtarum apud S. Auguſtinum lib. 3. contra eundem cap. 1. memoret *quorundam Orientalium literas* ſuper hac re ſcriptas, quis affirmare poterit, ibi certo Firmiliani Epiſtolam commemorari? ſolum igitur ſuſpicari licet, uti probe fecerunt Monachi Maurini; quorum ſuſpicionem nullo modo

modo diluit Tillemontius: quoniam etſi verum eſt, verba illa multorum Epiſcoporum, non unius literas indicare; tamen falſum eſt, inter *quorundam Orientalium literas* a Creſconio ptopoſitas hanc Firmiliani Epiſtolam eſſe non potuiſſe. Et cum addit, videri hanc Epiſtolam præteriiſſe S. Auguſtinum; quod nunquam reponat immemorabili conſuetudini, quam ea Epiſtola portendit, idque ab Auguſtini ingenuitate abhorrere: potuit Auguſtinus eſſe ſumme ingenuus, uti fuiſſe reor; & tamen ea Epiſtola perlecta immemorabili conſuetudini nihil reponere; aut quod ei fidem non omnem haberet; aut ſi haberet, eam nihili faceret ob oppoſitam Romanæ, ac Occidentalis Eccleſiæ conſuetudinem; vel demum eo quod illam jactatam conſuetudinem ei non objeciſſent adverſarii Donatiſtæ, ſuum non eſſet illi ipſi occurrere; ſicut & Tertullianum ſuæ gentis Scriptorem illuſtrem de Baptiſmo ſecundum Cypriani, & Firmiliani ſententiam diſſerentem non alia de cauſa nunquam in hac controverſia produxit, niſi quia ab ipſis Adverſariis nunquam adductus fuit: & *Fœminæ* quoque præſtigiatricis exemplum quid unquam in medium proferre præſtabat? quamquam iſta hæc nihil ad hoc argumentum; non enim locus ille perhibet literas quorundam Orientalium compertas Auguſtino fuiſſe, ſed Creſconio. Quod autem Donatiſtæ tantum ex hac Epiſtola prætermiſerint patrocinium, vix video rem ſecus accidere potuiſſe; cum enim patrocinium Martyris Cypriani ſummum eſſet, hocque ab ipſis allatum adeo per Auguſtinum exceptum, tractatumque fuerit, ut ad illud confugere amplius non auderent, ſicut oſtenſum eſt ſupra ad num. IX. cap. I., quid ultra ex Firmiliani patrocinio ſibi ipſis ſperandum erat? Sed nec opinationi Maurinorum repugnat Auguſtini locus ex lib. 2. contra Creſcon. cap. 3. ductus de *quinquaginta Epiſcopis Orientalium*; ex eo quod non certo conſtat, an eo loco Auguſtinus de iis ipſis agat, de quibus ſcripſit cap. 1. lib. 3., & an Creſconio reſpondeat de iis, quæ tunc ille propoſuerat; quando quidem ibi Creſconio ſatis occurrit Auguſtinus; ibique de literis, hic vero de Conciliis agere videtur. Extant porro ejuſdem Auguſtini alia loca quodammodo minus incerta, ex quibus non obſcure conjicere eſt, agnoviſſe eum hanc Firmiliani Epiſtolam; & quæ jam attuli ad num. VIII. Cap. I., ſimulque ea ipſa perpendi:

verum

verum etſi minus incerta videntur, ſunt tamen & ipſa incerta.

II. *Argumentum eo vergit, ut Firmilianum maledici labe abſolvat tum excandeſcentiæ obtentu, tum SS. Virorum dictis, & exemplis Hieronymi, præſertim, Baſilii, ac Bernardi.* =

II. ARgumentum illorum eſt, qui putant, aut volunt Firmilianum vel non potuiſſe, vel non debuiſſe unquam peccare; dum eum *maledici* labe abſolvere nituntur: quamquam maledicum fuiſſe nec arbitror, nec conſtat; quiſquis hujus Epiſtolæ author aſtruatur; nam maledicus reapſe dicitur, quicunque ſuapte natura pronus eſt ad maledicendum; quo tamen loco non me fugit id, quod S. Auguſtinus lib. 3. contra literas Petiliani ſcripſit cap. 1. *Proinde ſi & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere; quid aliud quam duo maledici eſſemus?* Firmilianum autem non potuiſſe peccare; quis tam audax erit, idemque impius, qui affirmare velit? non debuiſſe vero, neminem eſſe ſentio, qui id ignoret, ac etiam non aſſeveret: Non debuit igitur ita ſcribere de Stephano; ſed multa fiunt, quæ fieri non deberent. Quum itaque peccare quiverit Firmilianus; cur ejus non dicemus hanc Epiſtolam quantumcunque amarulentam, & injurioſam? Qua in re ſupervacanea ſunt plura illa de Chriſtiana patientia, & de jure tuendi ſe ſe non quidem in ſpeciem congeſta, ſed ex multa eruditionis, doctrinæque ubertate redundantia; quippe quum elevari, extenuarique nonnihil poſſint & Firmiliani, & Cypriani, & Baſilli, & Hieronymi, & Hilarii, & ſi qui alii extiterunt, exceſſus, ac nimietates in ſcribendo; abſolvi omnino non poſſint. Nam de *Paullo*, qui Petro Apoſtolo in faciem reſtitit, diſpar ſane, ac diverſa ratio eſt; eo non obtrectante, aut convitiante, ſed corripiente more fraterno, & admonente Petrum Apoſtolum, non autem *Cepham* diſcipulum, ut placet Harduino; cujus obliqua opinio extabat jam uſque temporibus S. Hieronymi, qui eam meminit, exſuflatque in cap. 2. Epiſt. ad Galatas, dum ait: *alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen niſi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa modo Cephas, modo Petrus inſcribitur:* & pau.

& paulopoſt: *ſi propter Porphyrii blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe; infinita erunt de Scripturis emendanda Divinis, quæ ille, quæ non intelligit, criminatur.* Commentor enim ille, vel deſcriptor videri poteſt accepiſſe a ſtraminco libro de LXXII. Diſcipulis Chriſti Hippolyto aſcripto, Synopſique Dorotheo adjudicata, qui inter 72. Chriſti diſcipulos & Cepham connumerant; aut potius a Clemente Alexandrino apud Euſebium varie exarato, ſeu perperam intellecto: qui quidem Clemens etiamſi Cepham illum Pauli ſcripſiſſet non Apoſtolum Petrum fuiſſe, ſed unum ex 72. Diſcipulis Chriſti; nonne corrigendus eſſet non modo per SS. Cyrillum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, ac Jo: Chryſoſtomum paulo juniores; verum etiam per S. Irenæum lib. 3. adverſus Hæreſes c. 12., & Tertullianum lib. de Præſcript. Hæret. cap. 23., & adverſus Marcionem lib. 4. cap. 3. vel æquales, vel etiam antiquiores; qui omnes *Petro* Apoſtolo factum contigiſſe tradunt? Poſtea cur hæſitare, an Paulus Antiochiæ in faciem Petro reſtiterit; quando id alios fideles etiam Hieroſolymis feciſſe conſtat ex Act. 11. *dicentes; quare introiſti ad viros præputium babentes, & manducaſti cum illis? incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem... His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum?* Quod enim apud S. Epiphanium hær. 28. legamus, illorum unum fuiſſe Cherinthum poſtea Hæreſiarcham, hoc ex vulgi rumore prodiiſſe puto; tametſi ibi dicatur factum, priuſquam ille in hæreſim incidiſſet: certe S. Gregorius M. Epiſt. 39. lib. 9. ad Theotiſtam Patritiam id ſcribit factum *a fidelibus*. Quantum autem ad M. Baſilium attinet, non is Occidentalium animos ideo a ſe alienatos ſenſit; quod modo cum Euſtathio communicaſſet, modo cum Apollinari veteris amicitiæ argueretur; nunc Tritheita, nunc vero Pneumatomachus haberetur; nam ita apud nonnullos tantum Orientales audiebat: ſed alia fuiſſe creduntur in cauſa, cur Occidentales erga ſe moroſos, ac pene averſos ſit aliquando expertus; ea nimirum, quæ leguntur in ejus 74. Epiſtola ad ipſos Occidentales anno 372. data, in qua poſtquam ſcripſit eorum literas ſe ſummo gaudio recepiſſe, *cum per literas, quas nobis per deſideratiſſimos compræsbyteros ſcripſiſtis; tum ex eo quod calamitatibus noſtris tanquam viſcera commiſerationis induti condoletis*, eos commonefacit, *Euſtathium*

thium ſuam diſſeminare hæreſim; *Apollinarem* falſa dogmata multis propinare; *Marcellum*, ejuſque ſectatores velut hæreticos cavendos; & de *Paulini* Antiocheni Epiſcopi ordinatione ſe dubitare dicit: hunc enim Occidentales mordicus tutabantur; Baſilius vero cum Orientalibus S. Meletium itidem Antiochenum Epiſcopum; & Paulinum ut Marcelli fautorem traducebat. De *Marcello* etiam ſcripſerat antea Baſilius ad S. Athanaſium Epiſt. 52., ut ab Occidentalibus quoque proſcriberetur, ſubdens: *attamen iſtum nequaquam reprobare viſi ſunt, & per hæc culpandi veniunt:* Occidentales autem Marcellum Ancyranum, ſemel ac abſolutus eſt in Romana Julii Papæ Synodo, iterumque in plenario Sardicenſi Concilio, nunquam damnare voluerant; etſi Pagius ad ann. 347. n. 4. tradit, eum tandem a Liberio Romano, & Paulino Trevirenſi Antiſtitibus condemnatum: probavit certe Liberius libellum fidei Macedonianorum, ſeu Orientalium eorum e Synodo Lampſacena anno 365. Romam legatorum, in quo & *Marcelliani* velut hæretici reprobati ſunt; & Metrophanes Smyrnæ Metropolitanus in VIII. Synodo Oecumenica Act. VI. dixit, Liberium Papam per literas, quæ quidem non extant, & quæ num genuinæ fuerint, incertum, ſcripſiſſe: *Marcellum denuo impie dogmatizantem:* eum tamen aperte, ac nominatim ab Occidentalibus damnatum non legimus illo Baſilii ſeculo; id quod etiam evincunt, vel ſuadent ejuſdem commemoratæ Epiſtolæ; quodque de ea hæreſi agat quidem S. Epiphanius Orientalis, ſed non Occidentales SS. Philaſtrius, Hieronymus, & Auguſtinus poſt Baſilii obitum ſcribentes. *Euſtathium* porro Sebaſtenum Liberius Papa ſuſceperat, effeceratque, ut Sedi ſuæ reſtitueretur in Tyanenſi Synodo ann. 364., & hæreſis *Apollinaris* nondum Occidentalibus id temporis, nec omnibus Orientalibus innotuerat, ut elicitur ex S. Epiphanio lib. de Hæreſibus. Quapropter nil mirum eſſe debet, ſi ad quaſdam Baſilii, & Orientalium Epiſtolas neque reſcripta dederint Occidentales, neque qui viſitarent, afflictoſque conſolarentur, ut poſcebatur, mittere voluerint. Veruntamen non ob id Baſilius cum Euſebio Samoſatenſi de Occidentalibus expoſtulatus eſt; neque eo tempore, ſed antea ſub initium ſuæ ad Epiſcopatum promotionis anno 371., vel ineunte 372. literas ad Euſebium dederat hujuſcemodi: *Sin autem ira Dei permanſerit,*

quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio, & faſtu aderit? qui veritatem neque norunt, neque diſcere ſuſtinent; verum falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ prius in Marcello patrarunt, nempe cum iis, qui veritatem ipſis annunciant, contendentes hæreſim autem per ſe ipſos ſtabilientes. Ego ſane ipſe abſque communi literarum figura volebam ad eorum Anteſignanum ſcribere de Eccleſiaſticis quidem nihil niſi per ænigmata; quoniam nec intelligunt noſtratium veritatem; neque viam, qua poſſunt addiſcere, amplectuntur. In univerſum hoc literis volebam ſignificare, non per afflictiones oppreſſis, humiliatiſque pœnam eſſe irrogandam, neque dignitatem æſtimandam ſuperbiam, quod etiam ſolum peccatum Deum inimicum reddere ſufficit: Ad quæ ſubirati verba Baronius probe animadvertit ad ann. 372. n. 27., ac ſeqq., controverſiam tunc de rebus fidei ſcilicet de *hypoſtaſis* vocabulo Orientales inter, & Occidentales extitiſſe; quamquam Noriſius diſſert. de Sanctitate Siricii Papæ exiſtimat, ibi Baſilium loqui de Damaſo Romano Antiſtite, qui Vitali Apollinariſtæ in Cathedram Antiochenam intruſo fidei libellum Romæ ſimulate offerenti literas communicatorias dedit; eſtque ab illo deceptus, ut a Marcello Ancyrano dicitur circumventus Julius Papa: ſed tempora non conveniunt. Et Baſilius demum Orientalis erat: ſed quid de S. Paulino Epiſcopo Nolano, qui in Epiſt. 1. ad Severum Epiſcopum ſcriptum reliquit de Siricio Rom. Pontifice: *quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ ſuperba diſcretio?* quid de S. Hieronymo, qui ſi dicendi libertate, acrimonia, atque acerbitate impune in Ruffinum invehi potuit tanquam Præsbyter in Præsbyterum; licueritne eidem ita adverſus S. Jo: Chryſoſtomum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, dum in Epiſt. ad Theophilum Alexandrinum Antiſtitem, qua illi tranſlationem trium ipſius Epiſtolarum Paſchalium a ſe factam dedicat, inquit de tanto Præſule: *ſed ille, ut cætera ejus flagitia taceam, Origeniſtas in ſuam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos in Sacerdotium provehens, atque ob hoc ſcelus beatæ memoriæ hominem Epiphanium, qui inter Epiſcopos clarum in Orbe Sidus effulſit, non parvo mœrore contriſtans meruit audire: cecidit, cecidit Babylon?* & adverſus Johannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, cujus in Diœceſi ipſe degebat; quum Epiſt. 61. al. 65. ad Pammachium ei inſultat

ſultat his verbis: *quæ hæc eſt tanta arrogantia non reſpondere de fide interrogantibus?.... an tu, qui aut bene credis, & ſuperbe de fide taces; aut male, & vere ſcindis Eccleſiam?... quæ tanta ſtultitia eſt, volentibus occaſionem dare nolle reſpondere?... niſi me honor Sacerdotii, & veneratio nominis refrænaret, & ſcirem illud Apoſtoli: neſciebam fratres, quod Pontifex eſt; ſcriptum eſt enim: Principi populi tui ne maledices: qua vociferatione, & indignatione verborum de tua narratione conquererer?* ſuſpectus, inquiunt, de fide erat Johannes; tamen Anaſtaſius Papa in Epiſtola ad eum anno 401. data ipſum apprime laudat, ejuſque ſucceſſor Zoſimus in Epiſt. 4. ad Afros Epiſcopos de Pelagio, atque Cœleſtio *Sanctum* appellat, *admirabilem* vero Theodoretus lib. 5. Hiſt. cap. 27., *Sanctum* etiam nominat Idatius in Faſtis ad ann. 415., & S. Auguſtinus in lib. de Geſtis Pelagii cap. 14., & 17., qui & cap. 30. ad perpetuam Johannis hujus commendationem ſcribit: *ipſum giganteos montes adverſus ſuperemineutiam gratiæ cœleſtis ſtructos tribus Divinorum teſtimoniorum tanquam fulminum ictibus dejeciſſe:* in Synodo videlicet Hieroſolymitana contra Pelagium celebrata. Poſtea Præsbyteros Epiſcopum ſuum in judicium vocare vetat, increpatque S. Cyprianus Epiſt. 69. ad Florentium Puppienum ita ſcribens: *quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem ſuam Præpoſitos, & Sacerdotes vocare?* Tandem, ut omittam S. Bernardi libertatem, acrimoniam S. Columbani, & licentiam Gallorum, eorumque Epiſcoporum, qui *aſperius objurgarunt Victorem* (Papam) *velut inutiliter Eccleſiæ commodis conſulentem*, quos inter legitur fuiſſe S. Irenæus Lugdunen. Epiſcopus, apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 24., qui cum Paullo Petrum caſtigante, ac commonente, non conviciante, aut comminante cucurrerunt; quid de S. Hilario Arelaten. Epiſcopo, quem Leo Magnus Epiſt. 11. al. 89. ad Epiſcopos Provinciæ Viennen. n. 6. ſcribit, *ipſius quoque beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantibus* minuiſſe? Iſta hæc profecto, quantumcunque quis conetur eluere, & excuſare; non alio prorſus modo abſolvi poſſe videntur, quam iis, quæ protulit S. Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem M. Baſilii: *non viles tantum, & plebejos, ſed etiam præſtantiſſimos quoſque viros Momus interdum attingit; ut ſolius Dei ſit omni*

prorſus peccato, atque animi perturbatione vacare: quod & Card. Baronius adduxit, addiditque ſub ann. 372. num. 25. & 32., Sanctorum quoque virorum animos interdum ex perturbatione inſtar Solis alioquin ſemper effulgentis ad breve temporis ſpatium pati deliquium; interdumque impetu haud omnino in omnibus rationi conſentaneo commoveri, & quod naturæ eſt non ſemel facere.

III. *Argumentum ex Baluzio neminem dubitaſſe, an hæc Epiſtola ſit vera:* & IV. *ex ſumma conſenſione omnium Adnotatorum, atque Illuſtratorum operum S. Cypriani.* =

III., & IV. Argumenta quid aliud volunt, & quid annectunt aliud, quam quod II. proxime convulſum? nam propter quid Lupus dubitavit ad illa verba *Pſeudochriſtum*, *Pſeudoprophetam*, & *doloſum operarium*, an Epiſtola Firmiliani vera ſit; niſi quia non facile in animum induxit, ea a Firmiliano, quem *Sanctum* habebat, de Stephano dici potuiſſe; & a B. Stephano de Cypriano? & cur conſentiant Scriptores fere omnes, ut Firmiliani dicteria uno ore excuſent, & in æſtum diſputationis traducant; niſi quia vellent Firmilianum non peccaſſe? ego vero convicia non excuſo, probra non defendo, contumelias non amo; & tamen Epiſtolam Firmiliani eſſe contendo; ajoque Baluzium recte cenſuiſſe, ob illa verba *Pſeudochriſtum &c.* perperam Lupum hæſitaſſe, an vere Epiſtola ea Firmiliani eſſet; inanemque ſecutum eſſe conjecturam & propter ea, quæ hactenus dicta ſunt; & eo quod extent exempla æque, vel paulo etiam deteriora virorum tam ex Oriente, quam ex Occidente doctrina, & ſanctitate celeberrimorum. Etenim quantumvis gravia ſint Firmiliani verba, probraque in Stephanum; levis tamen conjectura eſt ex iis deducere, nullam, aut falſam eſſe Firmiliani Epiſtolam; ſi quidem hominis eſt errare ejus præſertim, quem nunquam *Sanctum* fuiſſe demonſtratum eſt: Ecquis erit unquam, oro, qui Chriſtianam profiteatur Religionem, & Evangelia aut falſa, aut dubia auſit affirmare, vel conjectare velit; propterea quod iſta tradant, Petrum ter abnegaſſe Chriſtum? ubi factum grave quidem eſt, ſed conjectura levis: & interdum etiam contrarium

rium accidit, ut conjectura gravis ſit; factum vero leve, ac ferme nullum.

V. *Ex Baluzio, non eſſe tenebris damnandum tam illuſtre Antiquitatis monumentum.*

V. Argumentum aut eſt ipſum nullum, aut parum in rem conducens noſtram: quandoquidem aliud eſt, illuſtre hoc antiquitatis monumentum non fuiſſe occultandum; allud vero quod Firmiliani ſit: neque Baluzius injuria ſuccenſuit Latinio, quo probaret hanc Epiſtolam eſſe Firmiliani, ſed ut oſtenderet, monumentum iſtud non fuiſſe occultandum ob rationes, quæ & ſibi, & aliis non improbantur. Certe nonnulla nobis ex hac Epiſtola innoteſcunt, quæ ex aliis fruſtra requires & ad Hiſtoriam, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam, dogmaque quoque pertinentia; & quæ ſi etiam cuncta ab aliis tractata fuiſſent, perpauci tamen cum antiquitatem, tum authoritatem æquare poſſent Firmiliani; quibus, vix credi poteſt, quam ingens rebus noſtris pondus, ac robur acceſſerit. Propter quod quantum ad *Conciliorum* quotannis celebrationem, quæ hac ex Epiſtola pateſcit, non eſt Rigaltii divinatio; neque ejus, & Epiſtolæ aſſertioni repugnat tam modicus Conciliorum numerus; cum id denotet tantummodo, deeſſe nobis vetera multa monumenta, aut latere adhuc; non autem ab antiquis habitas non fuiſſe annuas Synodos: & ſi locus eſſet, & tempus, quod ſpero fore, ut aliquando detur, poſſem ex certis S. Cypriani literis oſtendere, ipſum non quotannis ſolum, ſed etiam interdum bis in anno coegiſſe Concilia; id quod & ſtatuit Apoſtolorum canon 36. al. 38., confirmavitque Nicænus canon 5. Quantum vero ad hæreſim *Cataphrygum*, falſum eſt, Irenæum, & Tertullianum de ea quicquam literis tradidiſſe; quorum alter vel contra ipſam non ſcripſit, vel ſcriptum ad nos non pervenit; in libris certe, quos adverſus hæreſes compoſuit, de ea ſecta ne verbum quidem; alter hæreſi illi patrocinatus eſt; & quamquam Baronius ad ann. 173. num. 36. tradit, eum ſectæ hujus meminiſſe in fine libri de Præſcript. Hæret., eruditi tamen obſervarunt, caput illud poſtremum neutiquam eſſe Tertulliani, ſed additamentum Tertulliano factum. Clemens Alexandrinus nudum Phrygum agnomen ſemel exhibet;

bet; parumque ab eo diſtat ejus ſucceſſor Origenes. Falſum
eſt quoque, ſeculo Eccleſiæ IV. eam hæreſim a Concilio
Nicæno pertractatam fuiſſe, cujus in Actis nullum, quod
quidem eam prodat, verbum occurrit: ejus quidem canon
XIX. Collectionis Iſidori Merc., qua uſus eſt Baronius ad
ann. 260. num. 16., & 325. num. 143., Fraſſen de Sacram.
diſput. Progm. art. 3. q. 3., aliique quidam, perhibet Pau-
lianiſtarum, & *Cataphrygum* baptiſma reprobari; ſed Cata-
phrygum nomen addititium eſſe, evincunt vetuſtiſſimæ Græ-
corum, ac Dionyſii exigui Collectiones Paulianiſtarum tan-
tummodo nomen referentes; nec non S. Hieronymus in Dial.
adverſus Lucifer., S. Auguſtinus l. de Hæreſ. c. 44., & Innocen-
tius Papa I. Epiſt. 22. ad Macedoniæ Epiſcopos, idemque
Hieronymus Epiſt. 65. ad Pammachium de Origene aſſerentes in
Conc. Nicæno ſolum Paulianiſtarum baptiſma fuiſſe repudia-
tum: non igitur in Nicæno, ſed in Laodiceno Concilio Ca-
taphrygum hæreticorum mentio facta reperitur. *Fœminæ* ſimi-
liter præſtigiatricis factum cum Priſca, & Maximilla con-
fundi diſploſum eſt ſupra ad num. XIII. cap. I., & ſane de
Priſca meminerat jam antea Firmilianus velut de Fœmina
notiſſima omnibus ob hæreſim Montani; ſicut & Maximilla
erat omnium in ore ob eandem cauſam: quocirca non erat,
cur nomen Fœminæ reticeret; ſi factum in harum una con-
tigiſſet; quando hæ ipſæ vulgatiſſimæ erant apud omnes Ec-
cleſias. Nec ſolum hujus Fœminæ facinus hac una ex Epi-
ſtola ſit cognitum; verum etiam primum Romanorum Pon-
tificum Stephanum pacem cum Afris fregiſſe; immemorabilis
item conſuetudo Orientis rebaptizandorum Hæreticorum;
variæ circa celebrandos dies Paſchatis, & circa multa alia
Divinæ rei Sacramenta conſuetudines diverſorum locorum,
ac Provinciarum, diverſitateſque pro locorum, hominumque
diverſitate; Serenianum Præſidem fuiſſe Cappadociæ tempore
perſecutionis, ad Iconienſe Concilium conveniſſe Antiſtites ex
Galatia, & Cilicia, cæteriſque proximis Regionibus; Sacramen-
tum Euchariſtiæ non ſolitum tunc confici ſine prædicatione;
& mos ſaltem Romæ ſervatus cum his, qui abſtinebantur, ſeu
Eccleſiaſtica communione privabantur: non erit igitur neceſſaria
ea Epiſtola ad ſervanda antiquitatis, & veteris diſciplinæ Ec-
cleſiaſticæ monumenta? maxime quod ipſa, uti & illæ S. Cy-
priani de hac materia præ cæteris vetuſtum nobis morem

Roma-

Romanæ Eccleſiæ, ſive traditionem de Hæreticis ſine baptiſmo recipiendis manifeſtant; propterquod S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos ad hunc Eccleſiæ morem conſtabiliendum non alio utitur argumento, cum ait: *Quod ſi negandum quiſpiam putaverit; Hæreticos a majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos, legat B. Cypriani Epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem.*

VI. *Origenis, ac Tertulliani ſententia in ſuſpicionem vocat Anabaptiſmi Firmilianum ex Orientalibus, & Cyprianum ex Afris.*

VI. Argumentum mere conjecturale eſt, ac perincertum; quoniam etſi in Oriente Nicænum ante Concilium, & in Africa ante Donatianum Schiſma fuerit agitata iſta hæc de anabaptiſmo controverſia; non inde elici certo poteſt, hanc Epiſtolam tum extaſſe & quidem a Firmiliano conſcriptam; quemadmodum nec ſequitur; Firmilianus Origene præceptore uſus eſt; Cyprianus Tertulliani lectione jugi delectatus eſt; igitur ante Firmiliani, & Cypriani ætatem apud Orientales, & Afros diſſidium rebaptizantium extiterat. Nihilotamenſecius ante Donatum in Africa, & ante Nicænum in Oriente quæſtionem de anabaptiſmo Hæreticorum non fuiſſe agitatam, confutavi ſupra ad num. XV. c. I. ex dilucidis SS. Dionyſii Alexandrini, & Auguſtini teſtimoniis; ſive Firmilianus ab Origene, & Cyprianus abs Tertulliani libris fuerint inſtructi, ſive non; quum opus non eſſet, ut ille a præceptore ſuo, & iſte ab eo, quem Magiſtrum appellare conſueverat, ſententiam de Hæreticis rebaptizandis acciperent; neque id conſtet; quando aliunde compertum eſt, hunc earum Regionum veterem morem fuiſſe. Porro qui anabaptiſmum Origeni affingit ex ejus Operibus, quæ ad nos venerunt, temere id quidem facit; ſed nec etiam ob id ſtatui poteſt, eum anabaptiſmo non ſtuduiſſe; cum multæ ejus elucubrationes exciderint: potueritque eam, quæ totius erat Orientis, ſententiam ſecutus voce docuiſſe, non literis tradidiſſe. Quod autem Dionyſio Alexandrino præcipuo Origenis diſcipulo rebaptizandi error nec ab ipſis Orientalium anabaptiſmi ante Nicænum Conc. aſſerroribus

aſcri-

aſcribatur; non inde habetur, Origenem rebaptizantium opinionem non eſſe ſecutum; primum quia ea de re pauca ſuperſunt monumenta ante Nicænum ab Orientalibus, aliiſque ſcripta, nimirum literæ unius Firmiliani, atque Cypriani, quorum non erat, omnes, qui eam conſectabantur opinionem, recenſere: deinde potuit Dionyſius, quippe qui Præsbyter extiterat Romanæ Eccleſiæ, hujus ſententiam amplecti; ea, quæ præceptoris eſſet, ultro relicta; præſertim quod novimus in more poſitum, diſcipulos nec ſemper, nec in omnibus Præceptorum ſuorum animi ſenſa conſectari: attamen quum poſt Nicænum Conc. S. Hieronymus in Scriptor. Eccleſ. tradiderit, eum extitiſſe opinionis rebaptizantium Hæreticos, non ob hanc cauſam aſſero ipſum ab Origene ita edoctum fuiſſe, ſed ſecutum dico Afrorum, & Orientalium morem, conſuetudinemque; quæ viguit & ante Origenis ætatem, & immemorabilem fuiſſe volunt. Præterea ſi non ex Origene, ac Dionyſio elucet ea ſententia, nonne ex Clemente Alexandrino ipſam quiſque deducere poſſet? quid enim eſt, quod ille Strom. lib. 1. pag. 317. ſcriptum reliquit de Proverb. cap. 8. *deinde acclamat: ita enim trajicies aquam alienam: baptiſma Hæreticorum non convenientem, & germanam aquam reputans?* Sicut nec Cyprianum de Tertulliani puteis hanc opinionem hauſiſſe credendum eſt, cum univerſæ Africæ Concilii ſub Agrippino Antiſtite coacti ſtatutum haberet, quod ſequeretur; ut ipſe ſuis in literis palam profitetur: & non ſolum quis ſuſpicari non poteſt, eum quicquam Montaniſmi ex Tertulliano ſuxiſſe, cum S. Hieronymus Epiſt. 69. ad Pammachium, & Oceanum ſcribat: *& B. Cyprianus Tertulliano Magiſtro utitur, ut ejus ſcripta probant; cumque eruditi, & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo, Maximillamque non ſequitur:* ſed etiam ſcire debet, illius eum quicquid minus pietatem oleret, refugiſſe penitus; & ſi ei, quod ſenſit Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 18., utilius eſſe parvulis non dari baptiſmum niſi tum, cum adoleverint; oppoſitum docuit, ſtatuitque Cyprianus Epiſt. 59. ad Fidum, eos videlicet ante octavum, & intra ſecundum, vel tertium ab ortu diem eſſe baptiſmatis unda expiandos; quis erit, qui credat, ipſum Tertulliani mentem eſſe ſecutum in hac de Hæreticorum baptiſmate quæſtione? & quo pacto dici poteſt, hanc unam Tertulliano oblatam eſſe cauſam,

cur

cur anabaptiſmo conſenſerit, quod in Montani partem abierit; ſi is librum de Baptiſmo Græce primum, poſtea Latine compoſuit adhuc Catholicus, uti conſentiunt Baronius ad ann. 217. num. 5., & 7., ac Pagius ad ann. 255. num. 11.? & ſane S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. Tertulliani libros, quos adverſus Catholicam Eccleſiam conſcripſit, enumerans illum de Baptiſmo non habet: tantum abeſt, eum non alia de cauſa Græce elucubraſſe librum pro *Anabaptiſmo*, niſi ut Cataphrygum ſententiam de iterando Baptiſmo conſtabiliret: maxime cum librum non pro Anabaptiſmo, ſed *de Baptiſmo* generaliter ediderit; in quo & illud inter alia docuit, Hæreticorum baptiſma irritum eſſe, ac nullum: tametſi Baronius referat, ſcripſiſſe Tertullianum librum de Baptiſmo adverſus *Quintillam*; quam ille quidem dicit de Caina hæreſi viperam venenatiſſimam, fœminam monſtroſiſſimam, ad baptiſmum aquam neceſſariam eſſe pernegantem. Etenim *Montaniſtas* in Oriente rebaptizaſſe tempore Philaſtrii, nempe prope finem ſeculi IV., ipſe quidem memoriæ prodidit; ſed antea, ſuæque ſectæ primordiis an hoc ipſum perpetrarint, a nemine legitur literis traditum nec ab iis, qui ſynchroni ſedulam operam dederunt eorum errorum non tam evulgandorum, quam refellendorum; nec a S. Epiphanio, qui fuſe admodum paulo ante Philaſtrium ſcripſit, & ſectam illam exagitavit: non quin illos ab initio quoque id præſtitiſſe dubitem; ſed quod Scriptores Orientales id illis errori non dederint, magno argumento eſſe contendo; rebaptizare eos, quos extra ſectam ſuam baptizatos ſuſcipiebant, tunc morem Orientis fuiſſe, non errorem. Propterea & illud falſum aſſero, exploratum eſſe, Firmilianum, atque Helenum, cæteroſque Græcos Antiſtites uno, & altero Concilio Cataphrygum hæreſes condemnaſſe; & Romanis Pontificibus, Patribuſque Orientalibus, ſi qua illis fuit in Oriente ſuper baptiſmo controverſia, non cum aliis fuiſſe, quam cum Montaniſtis: cum ſupra jam oſtenſum ſit, hæreſim Cataphrygum proſcriptam fuiſſe in Oriente ſub Victore Papa ante Heleni, Firmilianique ætatem; quos pariter exploratum eſt, in Iconienſi, & Synnadenſi Conciliis non hæreſim Cataphrygum jam pridem convulſam, ſed Hæreticorum quoruncunque baptiſmum omnino proſcripſiſſe; cum hiſque Catholicis, non cum Hæreticis Pontifices Romanos diſceptaſſe ſuper collato

Y non

non Cataphrygum tantum, ſed omnium Hæreticorum baptiſmate ex Epiſtolis S. Dionyſii Alexandrini; qui probe cum Tertulliano convenit in hac ipſa quæſtione elucidanda; & cum Magno Baſilio minime diſconvenit.

VII. *Ex XXVI. Codicibus MS.* =

VII. IDemque poſtremum argumentum, quod adducitur, eſt quidem per ſe ipſum quam leviſſimum, totumque inanibus conjecturis innixum; nam ſive in multis, ſive in paucis codicibus ea ſit Epiſtola reperta; non illud inde conſequitur, ipſam aut Firmiliani eſſe, aut itidem veram: leviſſima nihilominus ſunt, & illam non eſſe inventam Græce ſcriptam, ſed Latine tantum; & deeſſe Cypriani Epiſtolam ad Firmilianum, quando extat hujus ad illum Reſcriptum; horumque quædam ſimillima, & tamen in medium proferuntur ſupra cap. I. num. IV. & V. Poſtea Baluzius hanc Epiſtolam inventam eſſe ſcribit in viginti ſex Codicibus Mſs., non ut innueret, eam eſſe aut Firmiliani, aut omnino veram, ſed ut lectores demum intelligerent, eandem longius, diuque deliteſcere non potuiſſe contra judicium Latinii. Quantum autem ad Eraſmum attinet, ſatis arbitror antea dictum eſſe de eo ad num. I. cap. I., ibique oſtenſum, quamquam tot S. Cypriani, nec non aliorum Mſs. Codices verſavit, ipſum tamen latuiſſe plura etiam ad Cyprianum pertinentia. Atque hæc quidem ſunt, quæ in iſta diſſertatione ad Firmiliani Epiſtolam mihi dicenda fuiſſe videntur; poſthac de illa, quæ ad Pompejum data eſt, diſſerendum erit.

AD

AD DISSERTATIONEM II.

In Epiſtolam S. Cypriani ad Pompejum.

POſteaquam ad primam de Firmiliani Epiſtola Diſputationem verba feci; alteram de iis, quas S. Cyprianus in ea cauſſa ſcripſit, potiſſimumque de ea, quam ad Pompejum dedit, excutiendam aggredior; de qua etſi nec mihi multum, nec plus quam in memorata Firmiliani laborandum videri poteſt; quod eadem cauſſa ſit, exaſperatio eadem, idem verborum fere, querelarumque modus: tamen quoniam nec idem eſt, qui ſcripſit; multumque intereſt inter Cypriani, & Firmiliani doctrinam, ſanctitatem, ac in Eccleſia utriuſque merita; & diverſa quoque ſunt plerumque ea, quæ in hac Epiſtola vellicanda, refellendaque a Vindice producuntur: iccirco mea magni referre duxi, huic etiam, ut inſtitui, ſimilem navare operam; & diverſa ea, quæ ad ipſam obterendam afferuntur, momenta ſedulo librare; quo facile ii omnes, qui legerint, intelligant, quanti ſint illa facienda, & quantum denique cogant. Quæ profecto ſi ex ſententia confecero, tum illud quoque me præſtitiſſe arbitror; ut & Cypriani literas conſiſtere; & Cypriano eas detrimenti minimum afferre, (quæ eſt ea ſane, quæ hactenus univerſæ Eccleſiæ, Sanctiſque Patribus ſententia ſtetit,) oſtenderim: Vindicem vero Cypriani, ut eſt homo vere doctus, & prudens, cauſam præclare quidem declamaſſe, ut nonnullis jam perſuaſerit; ſed ita ut quoſdam edoceret, quanta ſit orationis vis, arſque dicendi; quantumque quis uſque declamando perſuadere poſſit; propterquod ipſi etiam dicendum fuit aliquid, quod non ſentiret; non ut totius Orbis Chriſtiani mentem, & conſenſum adeo inveteratum funditus everteret; quemadmodum quidam homines nec imperiti, nec inertes, nec omnis eruditionis expertes, atque ignari exiſtimaſſe videntur: quorum cauſa iſta hæc, quæ nunc ſubjicio, mihi plane ſcribenda fuerunt.

Digitized by Google

Ad Axioma I. pro Syſtemate Donatiſtarum. *Diſputantes ob pertinacem opinionem omnia invertunt.*

DIſputantes ob pertinacem opinionem omnia invertere; utrum axioma ſit, ac propoſitio ex illis, quæ per ſe ipſæ fidem faciunt, demonſtrarique non poſſe dicuntur; & quidam palam dubitant; & non deſunt; qui quoque negent: non omnium id eſſe volunt, & ſemper; ſed quorundam dumtaxat, & interdum; nec ſemper omnes, qui diſceptationem inſtituunt magis partium ſtudio, quam veri inveniendi gratia, omnia continuo miſcere. Si pertinaces exiſtimandi ſunt, qui in Scholis Catholicorum in rancidis, moleſtiſſimiſque quæſtiunculis digladiari putantur; neſcire ſe, cur pertinaces etiam non ſint dicendi, qui ibidem de fidei dogmatibus diſceptant? curque non erunt aliquando futuræ de ipſis vel dogmatibus rancidæ, ac moleſtiſſimæ quæſtiunculæ; ſi ſemper, aut creberrimæ de iis diſputationes inſtituentur? Non ſatis adhuc ſibi conſtare, an magis conducat, tempus terere in iis, quæ fidei non ſunt, quam in his, quæ ad fidem pertinent: illa a ſummo Legislatore recte conſtituta, & a Patribus abunde firmata potius credenda eſſe, quam diſputanda; & ſi in quæſtionem ſubinde vocentur per quoſdam, non vacare periculo; pluſque detrimenti ſubeſſe, quam utilitatis: teſtes ſe habere dicunt quamplures, inter quos Ambroſium Catharinum, qui forſan non ambitionis, ſed veritatis inquirendæ ſtudio ad dogma fidei dilapſus plura partim ſuſpecta, partim proſcripta tradidiſſe fertur; & teſtes etiam hæreſes haud paucas non aliunde quam ex nimia, curioſiorique perveſtigatione dogmatum obortas: quippe cum extent quædam, quæ credi debent, dum ſciri non poſſunt; & ſi quiſpiam ea ſcire voluerit, eadem fortaſſe credere non poterit: eoque ſolum deveniſſe ſe noverit; ut ipſa, quæ credi debent, non credat; & quæ ſcire ſe putat, ignoret. Atqui de his qualitercunque dictis; & an ex pertinacia Ethnicorum, & Catholicorum maxime admoneamur, Hæreticos pertinacius errores ſuos tueri, aliorum ſit judicium: iſtos quidem pertinaces eſſe tam certo conſtat, quam quod Hæreticus non eſſet, ni quoque pertinax eſſet; cum re ſemel arrepta, ipſi malint errare; eamque ſententiam, quam adamaverunt, pugnaciſſime defendere; quam ſine pertinacia iis, qui recta docent, accedere.

Ad

Digitized by Google

Ad Axioma II. *Ob pertinacem opinionem diſputantes unum, eundemque Auctorem in una, eademque re damnant, ac probant* =

OB pertinacem opinionem diſputantes unum, eundemque Auctorem in una, eademque re damnaſſe, & probaſſe; aliquando quidem factum, factitarique poſſe nonnulli non inficiantur; at unum Tertulliani exemplum ſatis, ſuperque fore ad hujus, quod Axioma vocatur, veritatem confirmandam, negare non verentur. Et quidem Baronii opinio fuit ad ann. 173. num. 36., Tertullianum hæreſim Montani primum condemnaſſe, deinde eam ipſam turpiter approbaſſe: verum locus ille, unde Baronius accepit, Tertulliani non eſt, ut ipſe putavit; ſed additamentum ad Tertulliani librum de Præſcript. Hæret. factum, ut etiam monui ad num. V. cap. III., quare Vincentius Lirinenſis in Commonit. cap. 24. Tertullianum tradit ſcripſiſſe contra Marcionem, Apellem, Praxeam, Hermogenem, ac Gnoſticos, Judæos, atque Gentiles, non contra Montanum. Poſtea & ſi quoque id factum eſſet, ut arbitratus eſt Baronius; non ob pertinacem opinionem diſputans Tertullianus egiſſet, ſed *invidia, & contumeliis Clericorum Romanorum*, ut de illo ſcribit S. Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccleſ., vel *agnitio Paracleti*, quemadmodum ipſemet innuit lib. adverſus Praxeam cap. I., deceptus nimirum auſterioris, gravioriſque vitæ, cui pronus erat Tertullianus, quamque præ ſe Montaniſtæ ferebant, ſpecie: ſicut & Romanus Epiſcopus, quiſquis ille fuerit, quem quidam Victorem fuiſſe volunt, ea boni ſpecie primum deluſus fertur recepiſſe Montanum, deinde veritate comperta eundem proſcripſiſſe. Ochamum vero Sorbonica Academia non ob pertinaciam opinionis nunc obſervat, quem olim damnaverat; ſed ob alias cauſas, & rationes, quæ ſæpe numero mutandæ ſententiæ anſam præbere ſolent: quod ipſum cenſendum eſt accidiſſe ipſi ſuper Henrici VIII. Angliæ Regis cum Catharina Auſtriaca divortio; qua quidem in cauſa quid egerit ipſe Romanus Pontifex Clemens VII., legi poſſunt Authores apud Spondanum ad ann. 1528., & ſatis etiam omnibus notum eſt, quid egerint & Vigilius Papa in controverſia de tribus Capitulis, & Joannes VIII. in cauſſa Photii, & alii plures aliis in cauſis non pertinaci opinioni inhæ-

inhærentes, ſed cauſis, rationumque momentis variantibus, in una, eademque re varie ſentire coacti. An autem ex his facilius etiam quis ſibi perſuadere poſſit, quam varie de Cypriano Donatiſtæ dijudicarint; æſtiment, qui legunt, & norunt.

Ad Axiomata pro S. Auguſtini Syſtemate. *Nemo unus Scriptorum eſt, cujus Syſtema ad Hypotheſim non deflectat* =

QUod nemo ſit Author, & nemo Scriptor, cujus ſyſtema ad hypotheſim non deflectat: cenſebunt viri docti, iique, qui plura, ac varia monumentis tradere ſolent; utrum iſtud Axioma ſit; & utrum vera ſint omnia ea, quæ tam ſecure proponuntur, vel pronunciantur: in quibus illud ſano nonnulli contendunt, multa, quæ ad hypotheſim traducuntur, non ſibi probari ad hypotheticum pertinere ſyſtema: Hypotheſes, quæ quidem multæ ſunt, atque diverſæ, hoc loco permiſceri, quo ſecernendæ erant: non omnes, qui ſcribunt, quantumvis abſolutum ſyſtema profiteantur, ſenſim, & imprudentes; ſed conſulto, & volentes ad hypotheſes confugere. Viderint igitur illi ipſi, aut quibus tantum eſt otii, & iſte quid agat; & illius effata, atque rationes quorſum fluant; ſi quidem huic, quæ propoſita eſt, controverſiæ vel nihil iſta, vel parum conducere arbitrantur. Auguſtinum certe, qui tanta ſcripſit, modo abſolute, modo hypothetice locutum; ut res, & argumenta poſtulabant; utque ſolent, quicunque non pauca aut differunt, aut literis conſignant; nemo eſt, qui ignoret; nemo, qui neget: at eum ſemper ex hypotheſi locutum eſſe, dum contra Donatiſtas in hac de Hæreticorum baptiſmo quæſtione ſcripſit; id unum demonſtrandum erat; idque num unquam demonſtratum ſit, ſuis locis infra videbitur. Quod autem poſtremo ponitur, ſacræ antiquitatis veſtigatorem crebro ſibi proponere debere aureum illud monitum: *& quicquid Græcia mendax audet in Hiſtoria:* quo mendacii arguatur Euſebius in Hiſtoria; meminiſſe oportet, dictum illud, monitumque afficere eos, qui natione, Regioneque Græci ſunt, non qui ſermone, ac ſcriptis tales appellantur; itemque qui Hiſtorias condiderunt de tempore mythico; non qui poſtea; inter

ter quos minime recenſendus eſt Euſebius, non Polybius, & Diodorus, Siculus, non Dionyſius Halicarnaſſeus, Joſeph Hebræus, Hegeſippus, Julius Africanus, aliique plurimi Hiſtorici Græci quidem, ſed doctrina, diligentia, prudentia, ac veritate nemini Latinorum cedentes; Pliniumque dixiſſe: *primus apud Græcos deſiit nugari Diodorus*.

Ad Axioma I. pro S. Cypriani ſententia. *Quicquid præcipuæ cujuſpiam Scriptoris virtuti repugnat, ſuppoſitum habendum eſt* =

QUicquid præcipuæ cujuſpiam eximii Scriptoris virtuti repugnat, ſuſpectum quidem illud eſſe poteſt, ſed non ſuppoſititium certo habendum: ſi enim contra eam virtutem ipſe aliquando facere poteſt; cur non & aliquando ſcribere? Nonne Job ſummæ patientiæ culmen pertigiſſe laudatur, qui tamen eam ſemel minus coluiſſe viſus eſt, cum omnium calamitatum vi preſſus *maledixit diei ſuo?* Noe etiam *vir juſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit;* Gen. cap. 6., & Eccleſ. cap. 44., nepoti tamen Chanaan maledixiſſe legitur Gen. cap. 9., ſed quoniam iſta plerique ſecus accipiunt; Moyſes certe vir ſummæ manſuetudinis fuiſſe dicitur, & celebratur Num. cap. 12. *erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morantur ſuper terram:* atque Eccleſ. cap. 45. *in fide, & lenitate ſanctum fecit illum:* & nihilominus Ægyptium hominem peremiſſe ſcimus Exo. cap. 2., ubi & cap. 11. legimus de eo: *& exivit a Pharaone iratus nimis:* cap. vero 16. *iratus eſt contra eos Moyſes;* ſicut & cap. 32. *iratuſque valde projecit de manu Tabulas, & confregit eas:* ſed & David juſtitia præcipue, ac bonitate commendatur ab ipſo Deo Act. cap. 13. *inveni David filium Jeſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas:* nec non Eccleſ. cap. 47. *in omni opere dedit confeſſionem Sancto, & Excelſo in verbo gloriæ &c.* tametſi peccaverit adulterio, homicidio, nimia erga filios indulgentia, atque cenodoxia, dum populum numerari juſſit: nec propterea viri iſti a priſtina laude, & gloria excidiſſe dicuntur: quemadmodum nec Petrus deſtitit eſſe Princeps Apoſtolorum, & petra, columnaque Eccleſiæ, quamquam ſemel verbis caſtigatus a Paullo, & plu-

ries

Digitized by Google

ries a Chriſto; idque eo quod actus unus nunquam, multiplex vero non tam facile habitum corrumpit. Præcipuam autem S. Cypriani virtutem fuiſſe unitatis ſtudium, nondum ſatis omnibus probari potuit; quod enim id in Novatianiſmi oppugnatione perpetuo declaraverit Cyprianus; neſcitur, quid aliud unquam in ea cauſa illi faciundum fuit, niſi ſchiſma deteſtari, & unitatem prædicare: ecquis profecto Catholicorum eſset, qui ita non ageret? quod etiam Auguſtinus nil magis in Cypriano commendet, quam unitatis ſtudium: non id ille agit perinde ac ejus præcipuam virtutem commemoret; ſed cum adverſus Donariſtas, qui pro Anabaptiſmo Cypriani exemplum, & authoritatem adducebant, Schiſmaticos diſceptet in libris præſertim de Baptiſmo; nil magis illis reponit, opponitque, quam Cyprianum Hæreticorum quidem rebaptiſmo conſenſiſse; ſed ſchiſma non creaſſe, unitatem non ſcidiſse, concordiam ſemper tenuiſse. Cæterum aut quæ prima fuerit in Cypriano virtus, haud facile quis dixerit; aut quantum depræhendi poteſt, zelus ea fuit, & vigor quidam, roburque animi in Religione tuendâ, veterique diſciplina retinenda; ob quam ad Cornelium Papam ſcribens Epiſt. 55. de Schiſmaticis Feliciſſimo, ac Fortunato ſubinſenſe ipſum jure redarguiſſe viſus eſt, inquit Baronius ad ann. 255. num. 13., dum ait: *ſatis miratus ſum, cum animadvertiſſem te minis, atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum eſſe commotum &c., quod ſi ita res eſt, frater chariſſime, ut nequiſſimorum timeatur audacia &c. actum eſt de Epiſcopatus vigore, & Eccleſiæ gubernandæ ſublimi, ac divina poteſtate &c.* & ob quam etiam Epiſt. 68. ad Emeritenſem, & Aſturicenſem, Legionenſemque Eccleſias de Baſilide, ac Martiali lapſis Stephanum Pontificem Romanum *negligentiæ* inſimulavit; eidemque ſuccenſuit in Epiſtolis ad Pompejum, & Firmilianum; cum exiſtimaret ſe rectam, & antiquam Eccleſiæ diſciplinam tenere, atque tueri. Poſtea quid ſi quoque donemus præcipuam Cypriani virtutem fuiſse unitatis ſtudium, ejuſque ad Pompejum Epiſtolam periculum diſſenſionis habuiſse? numquid ob hanc cauſam ea illi abjudicanda erit? Si enim aliqui, ut Paulus Apoſtolus, ut Franciſcus Aſſiſias, ut Thomas Valentinus, in ſua quiſque prima virture uſque in finem perſeveraverunt; plures tamen alii extitiſſe ſciuntur, qui tandem in fine ceciderunt. Et ut exempla

pla multa, prætermittam; duo tantum ſatis erit in medium attuliſſe, alterum ex Divina, alterum ex Eccleſiaſtica Hiſtoria depromtum; illo Salomonem Regem, iſto Cordubenſem Epiſcopum Oſium habemus; quorum uterque, cum diu fortiter ſtetiſſet, demum in fine turpiter lapſus eſt; & uterque ſenex admiſit, quod ne juvenis quidem ſibi ferendum putavit.

Ad Axioma II. *SS. Scriptorum ſtilus non tam ex locutionis charactere, quam ex charactere perſonæ ducendus eſt* =

Animadvertitur, iſtud hoc potiſſimum pendere ex iis, quæ proxime dicta ſunt ad Axioma I., & ad Argumentum II. cap. III., ex quibus manifeſtum fit, quod ſi SS. Scriptorum ſtylus non tam ex locutionis charactere, quam ex charactere perſonæ ſemper ducendus eſſet; multa pro nothis haberentur monumenta, quæ tamen legitima eſſe inter omnes convenit. Quandoquidem pluribus exploratum eſt, utrumque characterem aut interdum ſejunctum fuiſſe, aut etiam ſejungi poſſe; & Catonianam locutionem aliquando extitiſſe, cum animus Catonianus multum abeſſet: etenim Appianus de Bellis Romanorum civilibus lib. 2. ſcriptum reliquit; Catonem, cum diu legi, quam Cæſar de agro Campano dividundo ferre volebat, obſtitiſſet, minis adactum tandem ſe ſervaturum legem juraſſe: qua in re manifeſte apparet, quantum ſejunctus eſſet animus a locutione Catonis. Similiter quum M. Antonius Cæſare interfecto auctor eſt factus apud eundem Appianum lib. 3., ut Sex. Pompejus ex Hiſpania revocaretur, & univerſæ Claſſi præficeretur; ob idque & a Senatu, & a Cicerone laudatus eſt; ſermo quidem ejus animo repugnabat, quod ſimularet bono ſe Reipublicæ cupere; ſed ſermo nihilominus Antonii erat: quapropter ſi quis orationem eam nactus eſſet, ex eo quod Antoniani animi characterem in ipſa non deprehendiſſet; recte ne cenſuiſſet illam eſſe ſuppoſititiam? non ſane. At iſti viri ſanctiſſimi non erant, de quibus tantummodo loquitur præſcriptum Axioma: eſt quidem ita; veruntamen homines quantumcunque ſanctiſſimos, homines tamen ſic eſſe meminiſſe debemus, ut eorum quoſdam, etſi fere ſemper in fide, ac vitæ ſanctimonia fortes

 exti-

extiterint, nihiloſecius aliquando collapſos eſſe legamus. Quis enim eſt, qui, quum ſciret David Regem juſtum, ſanctum, & juxta cor Dei virum, ſi legendam accepiſſet ejus ad Joab Epiſtolam, qua nefarie imperabat, Uriam Æthæum virum innocentem eo loci in acie collocari, quo certius caderet, adulterinam non dixiſſet? idque nos quoque aſſereremus, ni ſacræ literæ vetarent; & tamen Epiſtola vere David erat. Ut quid igitur Epiſtola ad Pompejum Cypriani eſſe dubitabitur; etiamſi multum abeſſet a charactere perſonæ Cypriani? in ea enim ſi Cyprianum Sanctum non videmus, tamen Cyprianum hominem habemus: certe S. Auguſtinus Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. ſe ideo Cypriani literas recipere ſcribit, *quod & ſtylus ejus habet quandam propriam faciem, qua poſſit agnoſci:* ubi ſive characterem a charactere disjungat, ſive non, eas aperte recepit. Non itaque tutum undequaque videtur, ſtatuere Scriptorum etiam Sanctiſſimorum Stylum non tam ex locutionis charactere, quam ex charactere perſonæ ſemper eſſe ducendum; quin quod nec ex utroque charactere ſemper deduci poteſt; Hypognoſticon enim adverſus Pelagianos Auguſtino olim attributum plures aſſeverant Auguſtini characteres habere, eoque dignum eſſe contendunt; attamen nunc omnes Auguſtini non eſſe conveniunt; idque de pluribus aliis Operibus aut quidem eſt, aut eſſe ſine dubitatione poteſt.

Ad Axioma III. *Si quidpiam in Scriptoribus occurrat, quod illorum ſententiæ pluries, ac ſerio propoſitæ adverſetur, ſuppoſititium est* =

NOn cognitu ſolummodo, verum etiam demonſtratu facile erit; iſtud, quod dicitur Axioma, ejuſdem furfuris eſſe, atque duo ſuperiora; tantamque veritatem in ſe ipſum continere, quantam oſtendimus illa præſeferre. Cum enim ſæpenumero compertum ſit, Scriptores etiam graviſſimos aut in antilogiæ vitium cecidiſſe; aut ſententiam, quam diu, ſerioque tenuerant, tandem deſeruiſſe: quo pacto conſtitui poteſt, prorſus eſſe ſuppoſititium, quicquid in Scriptoribus occurrat, quod illorum ſententiæ pluries, ac ſerio propoſitæ adverſetur? Annon Auguſtinus uſque ad Epiſcopatum Semipelagianorum opinioni adhæſit, eamque pluries, ac ſerio edo-

edocuit; poſtea vero re accuratius perpenſa ad aliam, quæ totius Eccleſiæ Catholicæ eſt, ſententiam ſe contulit? annon idem ille diu in ea fuit ſententia, cum Hæreticis nulla vi, ſed ſolo Dei verbo agendum eſſe; poſtmodum aliorum dictis, & exemplis ſuperatus opinionem commutavit, ut ipſe ſcribit Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat.? Eſt igitur viro graviſſimo indignum, & turpe quidem ea, quæ ſerio, & vere pronunciaverat, temere, atque injuria revocare; ſed non conſulto, juſtaque ex cauſa retractare, ac emendare: quamquam id nihil ad Cyprianum; qui plane Cornelium Papam, ejuſque cauſſam contra Novatianum conſtanter, graviterque defendit; Stephanum autem ſummo in honore habuiſſe, & a Novatianenſibus oppugnatum enixe vindicaſſe non legi, nec arbitror legi poſſe; quinimmo Epiſt. 68. illius negligentiam carpſiſſe dictum eſt paulo ante ad Axioma I. Quod ſi etiam illud Cyprianus feciſſet; cur mutata cauſſa, animum, & verba ipſe mutare non potuit? Quemadmodum & Orientales, qui quidem in cauſſa Novatianiſmi cum Romano Pontifice probe ſenſerunt, eumque naviter, ut par erat, coluerunt; at in controverſia de Hæreticorum baptiſmate non ab eo ſolum diſſenſerunt, verum etiam ſententiam ejus turpiter lacerarunt.

Ad Axioma I. pro S. Optati Milevitani Syſtemate. *Argumentum ab auctoritate negante in quæſtione facti; niſi obſtet locus affirmans æquæ auctoritatis, plurimum probat* =

SI quum controverſia juris agitur, argumentum, quod vocant negativum, nullius pene momenti habendum eſt; quum autem facti, maximi: argumentum ex ſilentio S. Optati Milevitani adverſus Epiſtolam S. Cypriani ad Pompejum, aliaque ejus pro rebaptiſmo Opuſcula ductum nullius pene momenti ſit, oportet: propterea quod Optatus non facti, ſed juris controverſiam tractavit; libro enim 5. contra Parmen. ex profeſſo diſputat, & docet *non eſſe iterandum Baptiſma*, niſi Hæreticorum ſit, ut & lib. 1., non autem, utrum Afri, vel Orientales; iſti ne, vel illi Hæreticorum baptiſmum iterarint: quippe hæc facti quæſtio eſt, illa vero juris. Vel ſi S. Optatus de baptiſmo facti quæſtionem agitavit;

vit; argumentum vulgo negativum in ea quæſtione aut nihil valere neceſse eſt; aut ei, quod ex Optato ducitur, aliquid deeſse; cum locus ex ejus ſilentio de Cyprianicis Opuſculis in hac cauſsa elucubratis tractus nihil omnino probet; ut oſtendetur infra ad Propoſ. I. Theor. III., ubi quoque legere erit; ut Parmenianus Donariſtarum primus non fuit, qui pro Donari parte Apologiam ediderit; ita incertum eſse, an S. Optatus, qui eum confutavit, omnium princeps facti conrroverſiam adverſus Donatiſtas ſuſceperit: extaſse jam, dum Opratus, & Parmenianus inter ſe de hac re dimicarenr, Epiſtolas S. Cypriani de Hæreticorum baptiſmo; ideoque faiſum eſse, eas a Donatiſtis poſt Optati, & Parmeniani ætatem confictas fuiſse: & qua demum de cauſa uterque tam altum de Cypriani opinione, ac facto ſilentium tenuerit; nec illi duo tantum, ſed & plures alii etiam poſt illos.

Ad Axioma II. *Si duo Scriptores æquæ dignitatis unam, eandemque cauſſam pertractant, alter abſolute, alter vero in hypotheſi, præferendus eſt is, qui abſolute, ei, qui in hypotheſi* =

Quoquo modo ſe habeat, an ex duobus Scriptoribus æquæ dignitatis eandem cauſam tractantibus præferendus ſit is, qui abſolute, ei, qui in hypotheſi pertractat; iſtud eo ſane tendit, ut oſtendat, Optarum Mllevitanum adverſus Donatiſtas ſcribentem, quod Cyprianum non meminit, præferendum eſſe S. Auguſtino contra eoſdem in eadem rebaptiſmi cauſſa diſputanti, Cyprianumque memoranti, atque in hypotheſi defendenti. Verumenimvero, ut proxime monui, ſuo loco videbitur, propter quid Cypriani mentionem non fecerit Optatus in cauſa rebaptiſmi; maxime cum iſte partim cum Cypriano ſentiret, Hæreticorum nempe baptiſmum eſſe nullum, dum lib. 1. contra Parmen. ſcribit: *vides ergo frater Parmeniane, Hæreticos a domo Dei extorres ſolos habere vana, & falſa Baptiſmata.... Bene clauſiſti hortum Hæreticis... Vobis vero Schiſmaticis, quamvis Catholici non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia nobiſcum vera, & communia Sacramenta traxiſtis. Quare cum hæc omnia Hæreticis bene negentur; quid tibi viſum eſt, hæc & vobis negare,*

re, quos Schiſmaticos eſſe manifeſtum eſt: ſic & lib. 4. & 5. improbat baptiſmata Marcionis, Valentini, Praxeæ, Montani, & Sabellii, Hæreticorumque dicit vana, ac nulla eſſe Sacramenta; *ſcimus Hæreticorum Eccleſias ſingulorum proſtitutas nullis legalibus Sacramentis, & ſine jure honeſti Matrimonii eſſe:* & quamquam lib. 5. tradat, *poſt Trinitatem baptiſma* geminandum non eſſe; tamen ibi differit de baptiſmo a Catholicis, & Schiſmaticis Evangelica forma miniſtrato; quippe qui lib. 1. n. 10. perſpicue cenſet irritum baptiſma Hæreticorum, quoniam in S. Trinitatis fide peccant. Qua in re apparet, ſenſiſſe eum cum antiquis illis, qui M. Baſilii teſtimonio Epiſt. Can. ad Amphilochium num. 1. Hæreticorum omnium baptiſma reprobarunt, illud vero Schiſmaticorum admittendum ſanxerunt: & quum nonnulli Donatiſtas quidem Schiſmaticos, plerique vero Hæreticos appellarent; quemadmodum ex Donatiſtis quidam Catholicos pro Schiſmaticis haberent; reliqui vero omnes Paganos eos aſſeverarent; non valde miror, ſi Optatus nunquam Cypriani mentionem fecerit; quando nil erat, cur meminiſſe deberet; qua de cauſa nec ipſum Optatum unquam adduxerunt aut Auguſtinus contra Donatiſtas, aut Donatiſtæ contra Catholicos in rebaptiſmi controverſia. Deinde falſum eſt, S. Auguſtinum Eccleſiam in eo, quod juris erat, ſyſtemate abſoluto; Cyprianum vero in eo, quod facti fuit, ſyſtemate hypothetico defendiſſe; ſumiturque pro certo, quod omnino indiget demonſtratione; quodque ex iis, quæ dicenda reſtant, nunquam demonſtrari poſſe videbitur. Poſtremo Cypriani Epiſtolam ad Pompejum ſive abſolute, ſive in hypotheſi admiſerit Auguſtinus, admiſit igitur; & tamen facillime eum defendit a pervicacia, ab inobedientia, a ſchiſmatis criminatione: ſed & S. Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos, immo univerſa Eccleſia non hypothetice, ſed abſolute, non parvo temporis ſpatio, ſed hucuſque pro vera Cypriani Epiſtola illam agnovit, & nihilominus Cyprianum non pervicacem, non inobedientem, non Schiſmaticum ullo unquam tempore pronunciavit; ſed Catholicum ſemper & Martyrem Sanctum affirmavit, ac venerata eſt. Et erit adhuc poſthac, qui pluſquam Auguſtinum, & Hieronymum ſe ſapere, & pluſquam univerſam Eccleſiam ſe poſſe arbitretur; ac Vindicem Cyprianicum non oratorio more, ſed Theologico

logico diſſerere contendat? & ſi erit, quo nomine tandem appellabitur ipſe?

THEOR. I.

Ad Propoſ. I. *Calumnia Donatianæ ſectæ firmamentum:* & II. *Donatiſtæ calumnias ſuas ad Syſtema redegerunt* =

S. Optatus Milevitanus Epiſcopus tum omnes Schiſmatis Donatiani cauſas complexus eſſe videtur, quum lib. 1. contra Parmen. ſcripſit: *Schiſma igitur illo tempore confuſæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit:* S. vero Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 69. habet: *Donatiani, vel Donatiſtæ ſunt, qui primum propter ordinatum contra ſuam voluntatem Cæcilianum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum ſchiſma fecerunt:* & in magna Collat. Carthagin. 1. diei cap. 18. habetur: *majores iſtorum ipſam Cæciliani cauſam, unde nata eſt iſta diſſenſio, ad Conſtantinum Imp. per Anulinum Procoſ. accuſando miſerunt:* & 3. die cap. 334. legitur: *Proſecutio Donatiſtarum initium referens cauſæ, quod Menſurius Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopus unitatis tempore perſecutionem effecerit, unde extiterit cauſa diſſidii:* quæ quidem calumnia dicitur fuiſſe. Plures igitur Donatiani Schiſmatis cauſæ cum fuerint, cunctas conſtabilire pluribus etiam curarunt Donatiſtæ calumniis, quas Auguſtinus, *factioſas* nuncupare conſuevit; non quod ab illis fuerint ad ſyſtema redactæ, ſed quia factioſorum eſſent, ſummeque eorum factionem, ac ſchiſma foverent. Quamvis tamen Donatiſtæ calumniis inſiſterent, atque illis etiam affluerent; nihilominus falſum eſt, eos Firmiliano, & Cypriano doctrinam non veram affixiſſe, rebaptiſmi ſcilicet ſententiam; quandoquidem Firmilianum aut non agnoverunt, aut de eo ſibi tacendum judicarunt; Cyprianum vero & nunquam criminati ſunt, & ei culpæ, vitiique nihil unquam aſcripſerunt; niſi ſemel quando affirmarunt, eum in præfatione Concilii III. Carthagin. dicentem, *neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes*, mentitum eſſe; *& ſimpliciores Collegas in verbo capere cogitaſſe*, ut apud S. Auguſtinum eſt lib. 3. de Bapt. cap. 3.

Ad

Digitized by Google

Ad Propoſ. III. ***Nihil magis Donatiſtæ affectabant, quam morum ſanctitatem:* & IV. *Nihil tam alienum a Donatiſtis quam morum ſanctitas* =**

DOnatiſtas nihil magis affectaſſe, quam morum *ſanctitatem*, & nullo negotio ſuaderi poteſt, & vix exiſtimandum eſt aliter contigiſſe; cum id fere omnium Hæreticorum eſſet præſertim Cataphrygum, Catharorum, Arianorum, & aliorum; de quibus in hac re legi poteſt Lupus in Schol. ad cap. 4. Tertulliani de Præſcription. Hæreticorum. *Schiſmaticos* vero ſponte ſua ſe Donatiſtas eſſe profeſſos, aut illorum nemo vere id dixit; aut unus tantummodo Creſconius Grammaticus a S. Auguſtino confutatus: nam in magna Collat. Carthagin. tertiæ diei cap. 22. Petilianus Donatiſta vociferatus eſt apud ſuos *eſſe veram Catholicam:* & in literis iidem Donatiſtæ non veriti ſunt inſcribere ſe *Epiſcopos Catholicæ veritatis* ex ipſa Collat. primæ diei cap. 14., cum ſe ſolos Chriſtianos jactarent, reliquos autem omnes etiam vere Catholicos nuncuparent *Paganos*, ut refert Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmen. num. 11., & S. Auguſtinus l. 2. de Baptiſmo cap. 7., Epiſt. 35., atque *169.* ad Euſebium, qua ſcribit, Donatiſtas Catholicis male viventibus ſolitos perſuadere, *ut ad lavacrum alterum venirent;* atque, ut id accipere mererentur, *Paganos ſe eſſe reſponderent:* lib. etiam 2. contra Parmen. cap. 9. eos tradit, præter ſuæ partis homines *in hæreditate Chriſti toto Orbe diffuſa non eſſe Chriſtianos* contendiſſe: & lib. 2. contra Gaudentium cap. 2. ait: *quoniam vos potius eſſe Catholicos teſtimonio B. Cypriani affirmare conatus es; attende paululum, quam Eccleſiam dixerit eſſe Catholicam:* nec non in Pſalm. LVII. de Donatiſtis affirmat: *ad judices venerunt, dixerunt ſe Catholicos, ut poſſent excludere Hæreticos: quare te dicis Catholicum:* ſed & Rogatiani Donatiſtarum Schiſmatici in Mauritania ſe quoque *Catholicos* prædicabant, ſi *non ex catholica communione*, qua ſe videbant alienos, tamen *ex obſervatione omnium præceptorum Divinorum, atque omnium Sacramentorum*, inquit idem Auguſtinus Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. Sic & in Epiſtola Concilii Romani ad Gratianum, & Valentinianum Impp. Epiſcopi Catholicorum a Claudiano quodam Donatiſta *Pagani* nuncupati dicuntur: Tantumque coacti eorum

rum aliqui Schiſmaticos potius ſe dicebant, ne Hæretici vocarentur, & adigerentur ad pœnas contra Hæreticos ex lege 4. Honorii Imp. adverſus eos potiſſimum lata. Sed & illud, nihil tam alienum a Donatiſtis fuiſſe, quam morum ſanctitatem, quis eſt, qui ſecus uſu veniſſe putaverit? quæ enim morum ſanctitas eſſe credenda eſt in iis, qui Schiſmati, vel Hæreſi mordicus adhærent? in quibus ſane ſi quaunquam elucere viſa ſit; quæ eſt iſta ſanctitas, ſpecie quidem laudanda, ſed reipſa multis titulis repudianda? & hanc profecto Donatiſtas habuiſſe teſtatur S. Auguſtinus in *6.* ſuper Joannis Evangelium Tractatu illis verbis: *Donatiſtæ jactant ſe aliquando, quia eleemoſynas multas faciunt:* & cum Martyrium furioſe affectaſſent, ſe *filios Martyrum* ſolitos appellare tradit idem lib. poſt Collat. cap. 1.

Ad Propoſ. V. *Donatiſtarum falſa doctrina, & modica ſcientia* =

E Donatiſtarum grege numerantur & hi Scriptores, in primis *Donatus* Carthaginienſis, quem Optatus Milevitanus lib. 3. n. 3. ſcribit, *mundanarum literarum ſcientiam* habuiſſe, laudatque etiam S. Auguſtinus ſermone 37. num. 3., & S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. multos libros edidiſſe tradit, ut ſuam partem defenderet: poſtea *Vitellius*, & *Macrobius* Romæ ſuæ ſectæ, ut vocabatur, Epiſcopus, atque *Tychonius*, de quibus agit Gennadius in lib. Viror. Illuſtr., tandem *Anonymus* quidam, in quem S. Auguſtinus librum *contra neſcio quem Donatiſtam* exaravit ex lib. 1. Retract. cap. 28., & *Vincentius* Rogatianus Carthenarum Epiſcopus, cujus Epiſtolæ reſpondit idem Auguſtinus Epiſt. 93. al. 48. *Fulgentius* autem an Donatiſta fuerit, vel an ſit Author ſuppoſitus, incertum: liber enim adverſus eum Auguſtino attributus a pleriſque eruditorum aſſeritur Auguſtini non eſſe. Non abhorret tamen a vero, plures etiam inter Donatiſtas floruiſſe doctrina; ſed eos aut parum notos extitiſſe, aut eorum memoriam ad nos uſque non perveniſſe: certe S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. cap. 2. ait: *cum ſciam, quemadmodum prædicare ſoleatis eloquentiam Donati, Parmeniani, aliorumque veſtrorum:* & cap. 3. *cum paulo ſuperius dixeris, hoc me velle finiri poſt tot annos, poſt tot judices, atque arbitros, quod*

apud

apud Principes tot diſceptantibus literatis ab utriuſque partis Epiſcopis finiri non potuit. Catholicis autem Epiſcopis curtam fuiſſe doctrinæ ſuppellectilem, demptis SS. Optato, & Auguſtino, falſum omnino dicunt; ſive generatim, ac de univerſis cujuſcumque Regionis Antiſtitibus ſermo ſit, cum nullo Catholica Eccleſia magis doctrina floruerit ſeculo, quam illo Donatiani Schiſmatis; ſive ſpeciatim, ac de ſolis Afris interpretandum ſit; nam præter Optatum, & Auguſtinum plurimos legimus aut doctrina, aut ſcriptis in Africa ſeculo illo, ac duobus ſequentibus claros fuiſſe, *Cæcilianum* Carthagin. Epiſcopum apud S. Athanaſium Orat. 1. contra Arianos, *Melchiadem* natione Afrum, dignitate Romanum Pontificem, & *Fortunatianum* itidem Afrum Epiſcopum Aquilejenſem apud S. Hieronymum de Scriptor. Eccleſ., tempore vero S. Auguſtini *Aurelius* Carthagin. Epiſcopus, *Proſper* N., *Evodius* Uzalenſis, *Alypius* Tagaſtenſis, & *Poſſidius* Calamenſis Epiſcopi claruerunt; quorum poſtremus in Vita S. Auguſtini cap. 11. inquit: *Proficiente vero doctrina ſub ſancto, & cum ſancto Auguſtino in Monaſterio Deo ſervientes Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari cœperunt .... nam ferme decem, quos ipſe novi, ſanctos, ac venerabiles viros continentes, & doctiſſimos B. Auguſtinus diverſis Eccleſiis quoque eminentioribus rogatus dedit.* Poſt iſtos floruiſſe ſcimus *Gelaſium* Papam, *Voconium* Caſtellenſem, *Victorem* Carthenenſem, *Victorem* Mattaritanum, *Honoratum* Conſtantinenſem, *Cerealem* Caſtelloripenſem, *Vigilium* Tapſenſem, *Victorem* Vitenſem, *Aſclepium* Bajenſem, & *Eugenium* Carthaginienſem Epiſcopos, quorum fere omnium meminit Gennadius de Vir. Illuſtr., qui & de Aſclepio quoque tradit, eum contra Donatiſtas ſcripſiſſe. Hiſque ſucceſſerunt S. *Fulgentius* Ruſpenſis, *Junilius* N., *Primaſius* Uticenſis, al. Adrumetinus, *Facundus* Hermianenſis, *Victor* Tununenſis, & *Creſconius* N. Antiſtites; ut omittam *Pomerium* Maurum Præsbyterum, *Ferrandum*, & *Liberatum* Diaconos, *Eugippium*, & *Petrum* Abbates, Laicoſque *Arnobium*, *Lactantium*, *Marium Victorinum*, & *Corippum* Grammaticum; e quibus Lactantius lib. 4. Inſtitut. Divin. cap. 30. pollicitus eſt ſe ſcripturum etiam adverſus omnes hæreſes, cum ait: *poſtea plenius, & verius contra omnes mendaciorum ſectas proprio, ſeparatoque Opere pugnabimus:* quod tamen an præſtiterit, incertum. Neque enim

magno eſſe poteſt argumento modicæ Afrorum Antiſtitum, doctrinæ iſtorum fere omnium de Donatiano ſchiſmate ſilentium; & ejuſdem Donatiani ſchiſmatis diuturnitas: quoniam quod pauci ſcripſerint; non ex eo ſequitur, & paucos fuiſſe doctos; ac multo minus etiam quod pauci ſcripſerint adverſus Donatiſtarum ſchiſma: præterquamquod non omnes, qui ſcriptis aliquid tradiderunt, nobis innotuerunt, ſed nec Hieronymo, nec Gennadio illorum temporum ſcriptoribus. Diuturnitas vero Donatiani ſchiſmatis eſt magis pertinaciæ Schiſmaticorum aſcribenda, quam modicæ Catholicorum doctrinæ; cum unus Auguſtinus ſatis, ſuperque fuerit ad illud exſcindendum, exterminandumque; & tamen poſt libros ad vigintiquinque ab eo in illud elucubratos duobus adhuc ſeculis duravit: & quæ unquam hæreſis fuit, quæ plures haberet oppugnatores, eoſque ſummos, ac doctiſſimos viros, quam Ariana? & nihilo minus poſt XIV. ſecula apud nonnullos quibuſdam in Regionibus adhuc peſtis illa graſſatur: præſertim quod non magni erat in Donatiſtas ſcribere, quorum hæreſis, ac ſchiſma teſtante S. Epiphanio hær. *69.* vel idem credebatur, vel ſimillimum cum illo Catharorum, ſeu Novatianenſium jamdiu convulſo. Quod demum in magna Collatione Carthagin. ſenior Epiſcoporum ſit refragatus, ne omnes Epiſcopi Catholici cum Donatiſtis diſputarent; non fuit, quod parum eis fideret; ſed ad evitandam confuſionem, tumultum, ac diſſenſionem, quam ſine dubio paritura erat diſceptatio *286.* Epiſcoporum Catholicorum cum fere totidem Donatiſtarum; ut Acta ipſa ſignificant; & cum antea jam Marcellinus Tribunus ſtatuiſſet, ut ſeptem tantummodo utrinque diſputarent.

Ad Propoſ. VI. *Donatianum Syſtema impenetrabile* =

Niſi aliquid modo comminiſcatur, quod intus latuerit, captum omnium fugerit, & rerum naturam exceſſerit; aliud Syſtema Donatiſtarum non video, quod impenetrabile unquam extiterit; quod fuerit Catholicis quidem formidatum, ſed minime comprehenſum: illud certe, quod jam ab Auguſtino cum primis expugnatum, exploſumque ſcimus, hujuſcemodi non erat. Quomodo enim Catholicis formidatum, ſi Catholici Donatiſtas ad certamen provocabant, &

ad

ad collationem, diſputationemque invitabant; iſti vero conferre non ſolum cum Auguſtino Catholicorum athleta fortiſſimo, ſed etiam cum Poſſidio Calamenſi Epiſcopo renuebant; & *conati ſunt*, *quantum potuerunt*, *ut omnino ipſa cauſa non ageretur*... *& vehementer inſtabant*, *ut nihil ageretur*: inquiunt Patres Concilii Cirtenſis in Epiſtola inter Auguſtinianas 152. ad ipſos Donatiſtas de magna illa Carthaginienſi Collatione? & quomodo incomprehenſum, & non perceptum; ſi tam facile confutatum fuit, & expugnatum? nec enim Catholici laboris quicquam tulerunt in eo ſyſtemate denudando, & convellendo; ſed in duritie, pertinaciaque frangenda, nec non calumniis retundendis; quas non reformidavit Optatus Milevitanus, ſed exaggeravit tanquam explicatu difficillima omnia, quæ a Donatiſtis facta fuerant, aut dicta, uti Scriptoribus ſolemne eſt. Et tandem quomodo impenetrabile; ſi inſequenti Propoſitione facillime nedum penetratur, ſed etiam reſeratur a Vindice; in eaque nihil novi promitur, nihil Auguſtino, aliiſque his de rebus edoctis incompertum, niſi quæ mera commenta eſſe dignoſcuntur? Nam ſi qui ſunt, qui eſſe plane non credo, qui non ſemel compertum ſe habere dicant, Auguſtinum ipſum non ita intime, ut res poſtulabat, Donatianum ſyſtema fuiſſe aſſecutum; aut vehementer errant, aut perbelle ludunt: ſiquidem quod modo Donatiſtarum Epiſcopis exprobret ipſe Circumcellionum ſcelera, modo iiſdem Epiſcopis illorum facinora diſplicuiſſe fateatur; non aliter fieri potuiſſe exiſtimo; cum in tanta hominum multitudine parum veriſimile ſit non fuiſſe aliquos, quibus ſcelera non placerent; aliquos vero, quibus eadem probarentur: Auguſtinus enim loquitur quidem de Donatiſtis utrobique Epiſcopis, ſed non de iiſdem, qui mala modo probarent, modo improbarent. Et cum additur, teſtem eſſe idoneum Fulgentium ipſum Donatiſtam, Circumcellionum flagitia Donatiſtarum Epiſc. non improbata, ſed mordicus propugnata fuiſſe: primum jam dictum eſt, opus illud Auguſtini contra Fulgentium eſſe ſuppoſititium; deinde Author ille teſtis eſſe potuit non de quibuſcunque, ſed de quibuſdam ſuæ ſectæ Epiſcopis. Quantum autem ad Cæcilianum attinet; quid eſt, quod omnino percipi non poſſit? annon hoc ipſum, quod de Cæciliano legimus, ab Arianis etiam, & Euſebianis patratum in S. Athanaſium invenimus? uteret

exemplis innumeris; niſi, a quibus hæc legi debeant, adverterem: Schiſmaticorum enim hoc eſt, & inſectantium; quos ſemel perdere ſtatuerint, nec vivis parcere, nec mortuis. Et de Juliano quoque Apoſtata quid mirum, ſi Donatiſtæ eum præconiis cumularunt; cum eundem ſibi propitium, ac indulgentem experti fuerint? commendabant etiam, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 44., Genethlium Carthaginis ante Aurelium Epiſcopum; *quod quandam Conſtitutionem datam contra illos compreſſerit, & effectum habere non ſiverit; laudabant illum omnes, & benigniſſime præferebant.*

Ad Propoſ. VII. *Incomprehenſum Donatiſtarum Syſtema reſeratur.*

QUamquam Auguſtinum omnium nedum unius Optati longe doctiſſimum exiſtimo, atque ita omnes ſentire puto; tamen Optatum nec minus ſanctum, nec minus prudentem cenſeo; proptereaquod abſolutum ſyſtema perſecutus afferitur: eorum enim utrumque in libris, quos contra Donatiſtas conſcripſit, ſibi propoſuiſſe reor, & diutinum ſchiſma dirimere; & Donatiſtas ad unitatem Eccleſiæ revocare; Idcirco autem Optatus dicitur abſolutum tenuiſſe ſyſtema, & Auguſtinus hypotheticum; quod ille nuſquam Cypriani meminerit; iſte vero & meminerit, & ejus de rebaptiſmo Hæreticorum literas admiſerit: verum alias oſtendetur, quare Cyprianum non commemorarit Optatus; & Auguſtinum eas Cypriani literas nequaquam in hypotheſi recepiſſe. Totum itaque Donatiſtarum ſyſtema, quod incomprehenſum dicitur, jam ab Optato, & Auguſtino penitus reſeratum fuerat; ſi demas, quatuor iſta *Concilium* Sinveſſanum, *Epiſtolam* Cypriani ad Pompejum, *Concilium* III. Carthagin. de Hæreticorum baptiſmo, & *Epiſtolam* Firmiliani a Donatiſtis fuiſſe conficta; ſed quomodo id illi comprehendere, ac explicare poterant; ſi id novum commentum eſt, & nunc primum excogitatum, ut ſuo loco videbitur? Primus quidem Donatiſtarum Petilianus fuit, quantum equidem ſciam, qui centum poſt annis a morte Marcellini Papæ eundem Marcellinum, ejuſque Præsbyteros Miltiadem, Marcellum, & Sylveſtrum traditionis ſacrorum Codicum, & thurificationis ſcelere pollutos auſus eſt dicere apud S. Augu-

guſti-

Digitized by Google

guſtinum lib. de unico Baptiſmo cap. 16. Acta vero Synodi Sinveſſanæ etiam poſt annum æræ Chriſtianæ D. Romæ, & in Italia ignorata fuiſſe; & nondum fortaſſe confićta, mihi alias demonſtrandum erit. Quod ſi ita res ſe habet; propter quid igitur tam ſero a Donatiſtis jam profligatis, ac prope exterminatis excogitata dicentur, quibus jam nihil prodeſſe poterant? quemadmodum ut quid Epiſtolam Firmiliani ſunt illi commenti, ſi ea nunquam uſi ſunt; nunquam in controverſiis, ac collationibus cum Catholicis eam exeruerunt? maxime quod ſupra cap. I. num. IX. aſtruitur, hanc ipſis minime innotuiſſe. Epiſtola quoque S. Cypriani ad Pompejum, & Concilium III. Carthagin. quo pacto dici queunt a Donatiſtis afficta; & Cypriano, Afriſque ſuppoſita vix centum elapſis annis ab ejuſdem Cypriani morte; & neminem Afrorum in primis calumniam, & fraudem detexiſſe? Cum eo ſeculo, quo hæc ſuppoſita dicuntur, hæretici Macedoniani librum *Novatiani* de Trinitate, quem S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ. quaſi epitomen Operis Tertulliani vocat, Conſtantinopoli evulgaſſent nomine S. Cypriani; plurimiſque ita Cyprianum ſenſiſſe, eumque librum edidiſſe perſuaſiſſent: Rufinus Aquilejenſis in Apologia pro Origene tradit, tum Catholicorum quoſdam illis ſe oppoſuiſſe, & ſcelus denudaſſe, multoſque ab eo errore abduxiſſe; quem quidem errorem probe vidit, vitavitque S. Hieronymus, dum eo loco ſubjungit: *quod plerique neſcientes Cypriani exiſtimant:* Quocirca ſi pariter Epiſtolæ Cypriani, & ejus Concilium III. de Hæreticorum baptiſmo a Donatiſtis confićta fuiſſent; vix credi poteſt, non extaſſe ex Catholicis aliquem in Africa præſertim, qui fraudem, atque ſcelus non detegeret, Schiſmaticis non ſe opponeret, & calumniam S. Martyri, cunctiſque Afris impactam non depelleret: quando id etiam extra Africam fieri potuerit; uti factum eſt de libro Novatiani, quem dixi, Cypriano fraudulenter attributo: cum viverent adhuc, vel certe vivere potuerint, qui Cyprianum ipſum, aut Collegas ejus, ſocioſque agnoverunt; a quibus veritatem, dum vellent, reſcire facile erat. Et quidem S. Hieronymus lib. de Vir. Illuſtr. in Tertulliano narrat, ſe Concordiæ, quæ Venetæ Provinciæ Civitas extitit, Paulum quendam ſenem agnoviſſe, qui B. Cypriani Notarium Romæ vidiſſe, ac de eo quædam referre ſibi ſolitum diceret.

Obiter

Obiter autem, & in tranſcurſu obſervare eſt, merito Noriſium caſtigare eos, qui rentur apud Afros eandem Urbem extitiſſe tum civilem, tum Eccleſiaſticam Metropolim; & nomine *primæ Sedis* veniſſe ſemper Metropolim civilem; docteque in Pelagiana, & Donatiana Hiſtoria Baronio, Capello, atque Salmaſio demonſtrare, diverſo plane regimine ac in cæteris Chriſtiani Orbis partibus Africanas Provincias fuiſſe adminiſtratas, peculiarique politia rectas: in aliis Regionibus, Provinciiſque *Primas Sedes* Epiſcoporum fuiſſe Metropoles civiles, & ubi Præfectus Provinciæ reſideret; in Africa vero, ubi *ſenior* Epiſcopus moraretur, non quæ Metropoles quoque civiles eſſent; id quod præ cæteris Africani Codicis caput 76. dilucide declarat; quum ibi præcipitur, *ut Matricula, & Archivius Numidiæ & apud primam Sedem ſit, & in Metropoli ideſt Conſtantinâ*. Quo proinde & illud manifeſtum fit, Sinveſſanum Concilium a quibuſcunque fingi potuiſſe, ſed non ab Afris; cum in eo *prima Sedes* a quoquam non judicari dicatur; quod de primis Sedibus Africanis falſum eſſe conſtat, ut plura Conciliorum illius Regionis acta demonſtrant; & in primis canon Synodi Hipponen. in Conc. Carthagin. anno 525. relatus Act. 1., qui ſanxit; *ut in quocunque uſus exegerit, reſpondeatur Eccleſiæ Carthaginenſi a primæ Sedis Epiſcopis*. Similiter Donatiſtas confinxiſſe tertium Cypriani Concilium de baptizandis Hæreticis, ut ex illius verbis: *quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium tanquam ab alio judicari non poſſit*: cujuſcunque Concilii authoritatem eluderent; nequaquam veriſimile videtur, quinimmo perſpicue falſum; ſi quidem ipſi poſtulaverunt a M. Conſtantino judices Epiſcopos in cauſſa Cæciliani Epiſcopi; Conciliorumque authoritati nunquam ſunt refragati, ſed judicum quorundam ſententiis; alioquin propter quid ipſi Concilia celebraſſent? verum allata Cypriani in eo Concilio verba minuunt, coercentque tantum Epiſcopi in Epiſcopum, non Concilii in Epiſcopos authoritatem; quare ait: *tanquam judicari ab alio non poſſit; cum nec ipſe poſſit alterum judicare*: non autem inquit; *tanquam judicari ab aliis in Concilio non poſſit*: de qua re tamen alias paulo diffuſius dicetur. Præterea ſi omnium maxime Donatiſtis oberat Catholicorum Afrorum cum Oriente, & Occidente communio; num iſta ab illis, auferri, vel elevari

vari

vari poterat ſuppoſitis Cypriani ad Pompejum, & Firmiliani ad Cyprianum Epiſtolis? nullo modo: nam ipſi Donatiſtæ fatebantur Cyprianum in communione Eccleſiæ ex hac vita migraſſe; & Stephanum Eccleſiæ Romanæ verum Antiſtitem fuiſſe, ipſumque pariter omnium in unitate, atque concordia vivere deſiiſſe; diverſam tamen de baptiſmo Hæreticorum opinionem docuiſſe. Atque id quidem eſt, quo perpetuo Auguſtinus percellit Donatiſtas, obturatque ora eorum, nihil inquiens tam eis obeſſe, quam Cypriani literas; proptereaquod quamvis iſte cum Afris, & Orientalibus ſentiebat Hæreticos ad Eccleſiam accedentes eſſe rebaptizandos; ſchiſma tamen in Eccleſia non conflavit, & unitatem fidelium non diſcidit: illi vero non item, dum tam diu in ſchiſmate obdurati, & a cæteris omnibus Orientis, & Occidentis Chriſtianis disjuncti perſtarent. Non igitur Euſebii Cæſarienſis calumniam de Concilio Iconienſi adverſus Hæreticorum baptiſmum celebrato Donatiſtæ perfecerunt; quod fortaſſe nunquam legerunt, quodque non minus ab Euſebii Hiſtoria, quam ab Epiſtolis Dionyſii Alexandrini accipere poterant; niſi & hic calumniam quoque ſtruxiſſe dicatur; neque Firmiliani literas excogitarunt; uti jam ſupra oſtenſum eſt: ſed veras S. Cypriani de baptiſmo Hæreticorum Epiſtolas imperite, & importune tractantes, dum & ſe tegere, & alios ferire volebant, illis ipſis ſe ſe graviter vulnerabant. Cum vero ſubditur, Donatiſtas Auguſtini temporibus mentiri non potuiſſe, Occidentalem non modo Eccleſiam, verum etiam Orientalem anabaptiſmo perpetuo repugnaſſe; quandoquidem anabaptiſmus per Concilium Conſtantinopolitanum I. toto Oriente eliminatus fuerat: primum quod Concilium CP. anabaptiſmum proſcripſerit, id non probat Orientalem Eccleſiam anabaptiſmo ſemper repugnaſſe; & ſi anabaptiſmo etiam ſemper repugnaſſe probaret; tamen non probat Occidentali Eccleſiæ ſemper non communicaſſe: deinde non omnem anabaptiſmum improbavit Concilium illud CP., ſed paucorum dumtaxat Hæreticorum, ut infra magis declarabitur: poſtea & illud quoque jam oſtenſum eſt, canonem VII., quo diverſorum Hæreticorum baptiſma ventilatur, non eſſe Concilii Conſtantinopolitani I., ſed multopoſt conditum, atque in Concilio Quiniſexto can. 95. relatum; & Concilium I. CP. in Africa tota, ac Occidente

dente aut notum non fuiſſe, aut minime receptum Auguſtini temporibus. Tandem ſi Donatiſtæ unico traditionis ſacrorum codicum crimine, ſeu calumnia ſatis, ſuperque ſuæ cauſſæ, ſchiſmatique conſuluerant; quid illis opus erat, & unam Firmiliani ex toto Oriente, non vero plures; & unius Cypriani ex tota Africa plures, non vero unam Epiſtolam confingere?

Ad Propoſ. VIII. *Donatiani Syſtematis ordo admirabilis* =

DOnatiſtæ nec ſyſtema calumniarum perfecerunt; nec propter illud tempus, locum, res, ac perſonas ordinarunt; ſed ea contigiſſe cenſendum eſt, quæ in quibuſcunque diſſenſionibus, atque ſchiſmatibus uſu venire ſolent: magis videlicet fortuito, quam electione; ut conditio, & natura diſſidiorum fert. Et ſane quomodo unquam locum ordinarunt; ſi ibi ſchiſma ſuſcitandum erat, ubi perſonæ, ob quas ſchiſma factum eſt, manebant? in Africa autem hæ commorabantur. Quid ſi in Oriente, vel Occidente, aut in oppoſita Septentrionis plaga manſiſſent iſtæ; propterea ne ſchiſma non erupiſſet? & tempus, quo pacto ordinarunt; perſonas; & cætera? Sed tædet me tempus in his terere; tædebitque eos etiam, quicunque legent iſta; quæ quidem ordine quodam, ſed nulla ratione dicuntur.

Ad Propoſ. IX. *Loci ratio explicatur* =

NOn minus in Africa, quam in Oriente poterant auſpicato Donatiſtæ anabaptiſmi mercimonium venditare; cum jampridem non fama, rumorque falſus, ſed monumenta certa referrent; Africanos, & Orientales Patres pluribus Conciliis coactis Hæreticorum baptiſma nullum, irritumque declaraſſe: nec monumenta tantum, ſed facta etiam, mos, & conſuetudo in tota præſertim Africa can. 8. Concilii Arelaten. I. commemorata perſtarent: tantum abeſt a vero, temporum longinquitate rumorem illum hominum vel prudentiſſimorum mentes turbaſſe; quæ enim longinquitas temporum eſt, quæ a Concilio III. Cypriani hac de re celebrato uſque ad initium Schiſmatis Donatiani pauloamplius quinqua-

quaginta annos numerabat? quam multi, ac prope innumeri adhuc in vivis erant, furente Donato, qui S. Cyprianum, ejuſque Collegas cognorant; teſtarique poterant; utrum vera, vel falſa eſſent, quæ jactabantur in vulgus de baptiſmo Hæreticorum ab Afris olim eliminato? Turbati ſunt quidem homines, & ii plane prudentiſſimi, vereque Catholici de novitate Donati; & ipſe Donatus in Romano Epiſcoporum judicio caſtigatus aſſeritur, eo quod inter alia facinora *confeſſus ſit, ſe rebaptizaſſe;* ſed non ideo quod ille Hæreticos; verum quia Catholicos, & a Catholicis miniſtris unda baptiſmatis ablutos rebaptizaſſet. Illud porro minus verum etiam exiſtimo, Donatiſtas numero præſtaſſe Catholicos; nam in magna Carthagin. Collatione, quo tempore Donatiſtæ vehementer, ſummeque creverant; omnemque operam dederant, ne numero inferiores Catholicis viderentur; tamen longe minori, quam Catholici, numero fuiſſe leguntur eorum Epiſcopi, quamquam in horum enumeratione *falſitas deprehenſa eſt* ex S. Auguſtino lib. poſt Collat. cap. 24., & ex Epiſtola Concilii Cirten. inter Auguſtin. 141. al. 152. Quantum autem ad LXX. Epiſcopos, qui ante Agrippinum rebaptizaſſe dicuntur; rem ita deſcribit S. Auguſtinus lib. de unico Baptiſmo cap. 13. *nam illud, quod adjungit de Epiſcopo Carthaginenſi Agrippino, de inclyto martyre Cypriano, de ſeptuaginta prædeceſſoribus Cypriani, qui hoc fecerunt, & fieri præceperunt; ob quam deteſtandus eſt error hominum, qui clarorum virorum quædam non recte facta laudabiliter ſe imitari putant, a quorum virtutibus alieni ſunt!* & paulo poſt: *Hoc de Agrippino, aliiſque Epiſcopis, qui illa Concilia feciſſe perhibentur, reſponderim &c.* quare non Agrippinum, ſed S. Cyprianum præceſſerunt LXX. illi Epiſcopi; dicunturque infra Theorem. IV. Propoſ. III., & Theorem. V. Propoſ. I. Africanum Concilium una cum Agrippino conſtituiſſe. Non itaque neceſſe eſt exiſtimare, ſingulos illos Epiſcopos, ſive Agrippinum etiam præceſſiſſent, ſive non; Epiſcopatum non amplius triennio adminiſtraſſe; ſi diverſarum Eccleſiarum Antiſtites fuerunt, & una in Concilio Agrippini Carthagin. Epiſcopi baptiſmum Hæreticorum edixerunt improbandum, præſertim cum ibi non ejuſdem Eccleſiæ Carthaginienſis Epiſcopi nuncupentur, qui omnes unus poſt alium ſederint; ſed tantum *ſeptuaginta præceſſores Cypriani;* quos Vaſquez in 3. partem

Bb S. Tho-

S. Thomæ tom. 2. q. 64. diſp. 137. cap. 1. ſentit fuiſſe non Carthaginienſes, ſed aliarum per Africam Eccleſiarum Epiſcopos.

Ad Propoſ. X. *Temporum ordo recluditur* =

QUæcunque ætas, quæ fertur, æque idonea creditur ad hæreſes, & ſchiſmata; & Cyprianica quidem ætas, quæ ſchiſmata Novatiani, & Feliciſſimi tulit; cur pariter ferre non potuit & ſchiſma Donatianum? cum illa viderit perſecutionem Decii, & Valeriani, ut iſta Diocletiani, & Maximiani; & ſchiſma Donatianum alteri Novatianenſium ſimile multum extiterit ex S. Epiphanio? Concilium namque Cittenſe anno 305. celebratum, & ſacrorum Codicum in perſecutione Diocletiani traditio Donatianum ſchiſma ſecundum quoſdam nequaquam crearunt; ſed aliquot poſt annis perſecutione finita ordinatio Cæciliani cauſa fuiſſe fertur hujuſcemodi ſchiſmatis ex S. Auguſtino lib. de Hæreſ. cap. 69., ſicut & ordinatio Cornelii Papæ origo fuit ſchiſmatis Novatiani: etſi lib. 5. de Baptiſmo cap. 1. legatur: *divinorum Codicum exuſtionem, unde iſti calumniarum ſuarum fumos jactantes occaſionem faciendi Schiſmatis invenerunt:* certe idem Auguſtinus lib. 3. contra lit. Petiliani cap. 25. ait: *cum, ſicut audio, Menſurius in communionis unitate defunctus ſit, antequam ſe ſcinderet pars Donati:* illius autem mors incidit in annum 311. ceſſata apud Afros perſecutione: ita & cap. 18. Collat. 1. diei legitur: *majores iſtorum ipſam Cæciliani cauſſam, unde nata eſt iſta diſſenſio, ad Conſtantinum Imp. per Anulinum Proconſulem accuſando miſerunt:* & quemadmodum Novatianenſes calumniis oppugnare aggreſſi ſunt ordinationem Cornelii: *quod autem quædam de illo inhoneſta, & maligna jactantur,* inquit S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum, *nolo mireris; cum ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret; & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet... Exploraſſe autem Collegas noſtros ſcias, & veriſſime comperiſſe nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum eſſe; ſed neque cum Epiſcopis, qui ſacrificaverunt, communicationem ſacrilegam miſcuiſſe:* ita quoque Donatiſtæ cauſati ſunt ordinationem Cæciliani fuiſſe vitioſam; & eo quod Epiſcopi Numidiæ eam non peregerunt,

nec

Digitized by Google

nec expectaverit Cæcilianus, ut Princeps a Principe ordinaretur ex Epiſt. 43. al. 162. S. Auguſtini, ideſt Primas Carthaginis a Primate Numidiæ; & quia a traditoribus ordinatus fuerat; quando Catholici ex Actis Concilil Cirtenſis demonſtrarunt, ipſos Donatiſtas fuiſſe traditores. Et ſane traditio nulla fuit, & nulla perſecutio imperante Conſtantino M. ſolo; & tamen notum eſt, quale ſchiſma ſub eo ſuſcitaverint Ariani, & Euſebiani ob S. Athanaſii ordinationem.

Ad Propoſ. XI. *Rerum ſeries expenditur:* & XII. *Perſonarum diſpoſitio proponitur* =

CUm Schiſma Donatianum plura involveret, agitaretque; inter quæ & potiſſimam Schiſmatis, ſeu Cæciliani cauſſam; & anabaptiſmum antiquum; in cauſſa quidem anabaptiſmi uſi ſunt interdum Donatiſtæ authoritate S. Cypriani; & in Cæciliani, ſchiſmatiſque cauſſa irritam aliquando Miltiadis Papæ ordinationem objecerunt, & traditorem extitiſſe, vel traditoribus communicaſſe vulgarunt; ſed Arelatenſi Concilio Carthaginienſe III. Cypriani ideo non oppoſuerunt, quod iſtud pro anabaptiſmo ſolo coactum fuerit; illud vero pro Cæciliani facto; alteraque ejuſdem cœtus ſeſſio, in qua de rebaptiſmo, aliiſque ad diſciplinam Eccleſiaſticam attinentibus actum eſt, ignota fuerit non Donatiſtis modo, qui ei non interfuerunt, ſed ipſis etiam Catholicis, qui eam effecerunt, ut elucet ex SS. Optato, & Auguſtino, aliiſque jam ſupra relatis: tum quod ſi quoque noviſſent, probe intelligebant Donatiſtæ, Concilium III. Carthaginienſe non æquare authoritate Concilium Arelatenſe; cum illud ex ſolis Afris compoſitum fuerit; iſtud vero ex Afris, & Europæis; illud Regionale quidem, ſed iſtud Patriarchale, cuique Romani Pontificis Legati non defuerint. At enim ipſi Donatiſtæ generatim Romano, & Arelatenſi contra ſe ſe judiciis repoſuerunt, *tranſmarinos judices a Cæciliano fuiſſe corruptos* apud S. Auguſtinum lib. 3. contra Creſcon. cap. 61., & *Cæcilianum in Africa, ubi damnatus fuerat, debuiſſe purgari* ex Collat. tertiæ diei cap. 472. Oſio autem, mirum eſt, crimini tantum eos dediſſe, *adjutorem præſtitum Cæciliano, ut ad eorum communionem Sanctorum, & illibatorum numerus cogeretur;* eoque *ſuggerente* Donatiſtarum quoſdam

 ad

ad Comitatum Conſtantini Imp. ſub cuſtodia miſſos, ac capitali ſententia mulctatos; ut apud S. Auguſtinum eſt lib. 1. contra Parmen. cap. 5. & 8., non lapſum Sirmienſem, & ſubdolam fidei formulam ſubſcriptam; ſed nec Catholicis fere univerſis Ariminenſem errorem, & turpem in rebus fidei levitatem, atque inconſtantiam; cum tamen in cauſſa Cæciliani *magna temeritate Italos*, *Gallos*, *& Hiſpanos* accuſarent, teſtante eodem Auguſtino cap. 5.

Ad Propoſ. XIII. *Donatiani Syſtematis faſtus*, *progreſſus*, *ac pernicies recenſetur*: & XIV. *Donatiſtarum pertinacia incredibilis* =

Faſtus, & arrogantia Donatiſtis acceſſit non potiſſimum ex eorum cauſſa undique præjudicata, ſed ex præpoſtera Magni Conſtantini erga eos indulgentia; qua an. 321. 3. nonas Majas exilii lege abrogata, juſſit Donatiſtarum Epiſcopos ſuis ſedibus reſtitui, data etiam optione, ut ſinguli quique pro arbitrio Cæciliani, vel Donati partes amplexarentur: ex qua ingentes illæ calamitates, quæ integro fere ſeculo Africam irreparabili exitio perfundederunt, effluxere; in quo ſane quam graviter ab Imperatore erratum, rerum poſtea ſecutarum eventus declaravit, ut adnotat Card. Noriſius in Hiſt. Donat., qui & addit, Donatiſtas ſuis Sedibus reſtitutos victoriam, ac triumphum canere, feſtos conventus tota Africa celebrare, Catholicis irridere, eorum Baſilicas invadere, nihil contra ipſos intentatum relinquere; & Conſtantinam, ſeu Cirtam Numidiæ Metropolim in partes Donati reverſo Silvano Epiſcopo jam pene totam tranſiiſſe. Crevit quoque ipſis faſtus ex eloquentia, ac doctrina Donati Carthaginienſis, aliorumque ſuorum, quod autumat S. Auguſtinus lib. 1. in Creſcon. cap. 2. illis verbis: *cum ſciam*, *quemadmodum prædicare ſoleatis eloquentiam Donati*, *Parmeniani*, *aliorumque veſtrorum*: & ex eo quod Creſconius apud memoratum Auguſtinum cap. 3. ait, voluiſſe Auguſtinum *finiri poſt tot annos*, *poſt tot judices*, *atque arbitros*, *quod apud Principes tot diſceptantibus literatis ab utriuſque partis Epiſcopis finiri non potuit*. Pertinacia vero, quæ Hæreticorum omnium, atque Schiſmaticorum propria eſt, ac præcipua nota, Donatiſtis tum aucta eſt, cum Macarius in Afri-

Africam a Conſtante Auguſto ad conciliandam unitatem miſſus eſt; & reſiſtentes Circumcelliones apud Bagajam Numidiæ Civitatem per milites disjecit, necavitque multos: *venerunt tunc cum pharetris armigeri*, inquit Optatus Milevit. lib. 3. num. 1., *repleta eſt unaquæque Civitas vociferantium clamoribus; nunciata unitate fugiſtis omnes... Fugerunt igitur omnes Epiſcopi cum clericis ſuis; aliqui ſunt mortui; qui fortiores fuerunt, capti, & longe relegati ſunt:* nam exinde ſe *filios Martyrum* jactare cœperunt Donatiſtæ; Catholicos vero per invidiam, & contemptum *Macariſtas* interdum nuncupare ex Auguſtino lib. 3. contra lit. Petiliani cap. 39., Orientalium omnium, atque tranſmarinarum Eccleſiarum communionem fugere, quam eatenus tenuiſſe, *donec conſenſiſſent in eorum ſanguinem, quos Macarianam perſecutionem pertuliſſe, dicebat* Fortunius Epiſcopus Donatiſta apud eundem Auguſtinum Epiſt. 44. al. 163., & Catholicos quoſcunque ad eos transfugientes rebaptizare, quibus quidem Donatum *uſque ad perſecutionem per Macarium factam ſine baptiſmo communicaſſe* teſtatur Tychonius Donatiſta in Auguſtini Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat.

Ad Propoſ. XV. *Terribilis Donatiſtarum aſtutia, & fallaciloquentia* =

Qui fieri potuerit, ut Donatiſtarum aſtutia, & fallaciloquentia terribilis fuerit, ſi ſæpenumero abſurda, ſecumque pugnantia loquebantur; vix ſatis intelligo, niſi cum irriſione dicatur. Adeamus Auguſtinum Schiſmaticorum omnium, & in primis Donatiſtarum aptiſſimum æſtimatorem, ac judicem, quidnam de illorum aſtutia ſentiat: lib. ipſe 2. contra Gaudentium cap. 29. ait: *miror, quod tam inſenſati eſtis; ut ipſi vobis talia non dicatis:* nam non ſolum ſecum pugnantia illi plerunque effutiebant; verum etiam quæ eos penitus oppugnabant; quare idem Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 18. *contra Donatiſtas*, inquit, *authoritate B. Epiſcopi, & Martyris Cypriani ſe defendere molientes ſeptem libros ſcripſi, in quibus docui, nihil ſic valere ad refellendos Donatiſtas, & ad eorum prorſus ora claudenda, quomodo literas factumque Cypriani:* & lib. 4. contra Creſcon. cap. 17. *miror autem, quomodo etiam tibi perſuaderi potuit; ut in tua diſpu-*

Digitized by Google

diſputatione mentionem faceres Cypriani; cujus literis etiam ipſis, quas ejus dicis, de baptiſmo deſtruendo, qui apud Hæreticos, vel Schiſmaticos datur, tota cauſſa veſtra ſubvertitur: quod & habet lib. 1. de Baptiſmo cap. 1., & Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. Optatus quoque Milevit. lib. 1. num. 5. notavit, Parmenianum, quem ſui tanti faciebant, ea dixiſſe, quæ manifeſte Catholicis favebant; & Donatiſtas, pro quibus ille ſcribebat, recta feriebant. Certe in magna illa Collatione Carthagin. quum Donatiſtæ ſe probaturos ex Optato Milevitano minarentur, Cæcilianum fuiſſe a Conſtantino Imp. damnatum, eam Scriptoris lectionem adduxerunt, quæ nonnullis riſum moviſſe legatur; *quum audiſſent, quam apertam contra ſeipſos paginam protuliſſent;* ut extat apud S. Auguſtinum in Brevic. Collat. 3. diei cap. 19., & lib. poſt Collat. cap. 31. Quinquod ſuis etiam documentis ſe ipſi jam jugulare, & Catholicis adjumento eſſe cœperunt ita, ut Epiſcopi Concilii Cirtenſis in Epiſt. inter Auguſtinianas 141. al. 152. ſcripſerint de illis: *melius egerunt cauſſam Cæciliani, quam nos; nos enim duas lectiones pro illo ſufficere putaveramus; illi autem quatuor protulerunt:* & idem Auguſtinus in Brevic. collat. cap. 23. habet: *tanta contra ſe legerunt; ut omnino mirum ſit, quibus illa oculis adſpicere, vel quo ore pronunciare potuerint:* lib. vero poſt collat. cap. 34. *nec ipſis, nec nobis jurantibus forſitan crederetur; illa, quæ pro nobis contra ſe & tam multa dixerunt, & tam multa legerunt, gratis eos nobis omnia præſtitiſſe.* Cum item Cæciliani damnationem a Concilio Donatiſtarum peractam Catholici exſufflarent ex Primiani damnatione a Maximinianiſtis eadem plane ratione facta, nihil aliud reſponderunt Donatiſtæ, *quam nec cauſſam cauſſæ, nec perſonam præjudicare perſonæ* ex memorata Concilii Cirtenſis Epiſtola; quo nihil ipſis perniciofius, nihil Catholicis utilius dici poterat; ut S. Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 19. in hanc rem addiderit: *tam denſum, & arctum eſt, ubi eis adhæſerunt pedes; ut eos evellere conantes fruſtra & manus, & caput figant; & in eodem luto hæſitantes arctius involvantur:* & lib. 3. contra literas Petiliani cap. 50. *videte; quemadmodum ego illa, quæ ipſe poſuit, oſtendi non nobis, ſed potius vobis eſſe contraria.* Quæ ſane multa congerere, ac referre volui; non quo hoc quidem ad quæſtionem iſtam magnopere pertineat;

ſed

ſed tamen ut omnes videant, quam fuerit genus hoc eorum, qui *terribiliter aſtuti* dicuntur, hebes, & imperitum; cum nihil ſit tam futile, nihil temeritati conjunctius, quam id velle defendere, quod probari nullo modo poteſt; & nihil etiam tam ſtupidum, tamque inſcitia plenum, quam iis armis conari pugnare, quæ ſibi ipſi noceant, & adverſario proſint. Quod enim Opratus Milevitanus illos ſemel *ſubtiles ſeductores* appellaverit; aut ironice id dixit; aut de aliquo Scriptore, nonnulliſque eorum minus hebetibus locutus eſt, qui dixerint aliquando nonnihil ad ſuadendum, ſeducendumque aptum.

Ad Propoſ. XVI. *Donatiſtæ antiqua depravant monumenta* =

FUerunt Donatiſtæ quidem Schiſmatici, calumniatores pertinaciſſimi, ac procaciſſimi; ſed veterum monumentorum depravatores eos extitiſſe nuſquam adhuc legi. Quoniam quod eorum unus, vel alter Epiſtolam confinxerit; quid mirum, cum id legere ſit ab aliis multo pluribus etiam Catholicis factitatum? Et plane quo unquam pacto antiqua eos monumenta ad ſuam cauſam promovendam depravaſſe dicemus; ſi certis, & genuinis, quæ extabant, eiſque quoque favebant, non ſunt ullo tempore uſi, ut Epiſtolis S. Dionyſii Alexandrini, ac Magni Baſilii, Hiſtoria Euſebii, ſcriptiſque SS. Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, aliorumque, quos alias memoravi, quantum quidem ad baptiſmum Hæreticorum attinet? Qua in re non ego Schiſmaticos defendo; non mores, actaque eorum probo; ſed vera, & falſa demonſtro. Sanctorum vero Optati, & Auguſtini dicta ad hanc rem adducta non oſtendunt, Donatiſtas antiqua monumenta vel corrupiſſe, vel commentos eſſe, ſed nec falſas chartas eos unquam in medium produxiſſe; ſi unam demas veram Alſii Cæciliani Epiſtolam cum doloſo *Ingentii* Donatiſtæ additamento. Nam quod in Colloquio Auguſtini cum Fortunio habito Donatiſtæ Philippopolitanum Conciliabulum pro Sardicenſi Concilio obtruderint; incertum, idne ab ipſis ſit fraudulenter, an inſcienter factum; cum illud etiam ipſe met Auguſtinus ignorarit; & inter Sardicenſe Concilium, & Conciliabulum Philippopolitanum diſcrimen non ſatis compertum,

Digitized by Google

tum, & exploratum in Africa fuiſſe videtur. Poſtea cum præter Donatiſtas plures alii ſtuderent anabaptiſmo, ut ſupra viſum eſt; ut quid fingi, vel dici non poſſet, monumenta vetera pro ea ſententia excogitata fuiſſe ab aliquo eorum, qui in Catholicos ſcriberent; ut de Hilario Diacono Romano ſectæ Luciferianæ tradit S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos inquiens: *legat & ipſius Hilarii libellos, quos adverſus nos de rebaptizandis Hæreticis edidit?*

COROLLARIUM THEOR. I.

Ad Propoſ. I. *Calumnia Donatianæ ſectæ firmamentum* =

DOnatianæ ſectæ firmamentum utique calumnia fuit, ſed non proinde ſequitur; quidquid hæreſi Donatianæ aſtipulatur, pro calumnia habendum eſſe. Ac primum quidem ſumitur pro vero, quod falſum eſt, rebaptizare ſcilicet Hæreticos id temporis hæreſim fuiſſe: Donatus enim Caſenſis illius teterrimi ſchiſmatis author in Romano Conventu etiam convictus fuit *rebaptizaſſe; & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe; quod ab Eccleſia alienum eſt*, inquit Optatus Milevit. lib. 1., non *impium* dixit, quod hæreſim appellat; ſed *alienum*, quod diſciplinam, & conſuetudinem indigitat: inde factum eſt, ut neque Donatus ille, neque ſectarii ejus hæretici ſint dicti; tantumque poſtea ſchiſmate jam obdurato Donatiſtæ ſequiores ita audierunt; quare S. Auguſtinus Epiſt. 87. al. 164. de his ipſis ait: *ſchiſmatis crimen male perſeverando etiam hæreſim feciſtis*: ante eum vero Optatus Milevit. lib. 1. *Schiſmaticos* eos fuiſſe pronunciat, non autem Hæreticos. Deinde cur aliquid verum eſſe non potuit, ac minime calumnia; & tamen hæreſi, ſeu diſciplinæ Donatianæ congruere? Certe SS. Dionyſii Alexandrini, ac Magni Baſilii Epiſtolæ nequaquam calumniæ erant, nequaquam falſæ; ſed veræ, & genuinæ; & nihilominus eas anabaptiſmum indicare, atque docere ſcimus: & Euſebiani Schiſmatis firmamentum ſumma, ac perpetua in S. Athanaſium calumnia erat; quædam tamen, quæ eorum Semiarianiſmo aut concordabant, aut concordare volebant, ut Origenis, Dionyſii Alexandrini, & Gregorii Neocæſarienſis Opuſcula, etiam vera erant. Quocirca etſi falſum erat, nec non calumnia, ordinationem Cæcilia-

cilia-

Digitized by Google

cilani irritam fuiſſe; non tamen falſa erat Cypriani ad Pompejum Epiſtola. Illud quidem falſum aſſevero, Donatiſtas quæſtionem facti in Cæciliano, in Cypriano quæſtionem juris collocaſſe: in utroque enim facti quæſtionem eſſe voluerunt; & utriuſque facti quæſtioni juris quæſtionem reſpondiſſe ſat notum: quæſtioni facti an Cæcilianus a traditoribus ordinatus eſſet; annon reſpondet altera juris quæſtio, an ordinatio a Traditoribus facta eſſet vera, vel irrita? ſicut & quæſtioni facti, an Cyprianus docuerit, tenueritque Hæreticos eſſe rebaptizandos, illa juris quæſtio conveniebat, an Hæretici forent novo lavacro tingendi.

Ad Propoſ. II. *Calumniæ ad ſyſtema redactæ:* III. *Donatiſtarum ſanctitatem affectant &c.* =

QUantum quidem ad Schiſmatis, Cæcilianique cauſſam principium, medium, & finis Donatiſtarum calumniæ plures, ac variæ fuerunt; ſed quantum ad rebaptiſmi, Cyprianique controverſiam calumnia nulla fuit; ut alias dictum eſt, & magis etiam dicetur. De fucata vero Donatiſtarum *ſanctitate*, quod in cauſa fuerit, cur plerique omnes Africani ſibi perſuaſerint, S. Cyprianum idipſum ſenſiſſe, quod Donatiſtæ; rogo, quinam eſſent Africani illi ita perſuaſi, Donatiſtæ ne, an Catholici? ſi primi; quis dubitare poteſt, illos non eo modo a ſuis edoctos fuiſſe? ſin autem Catholici; ut perſpicue ſermo declarat; quis ex Catholicis erat, qui neſciret fucatam eſſe Schiſmaticorum ſanctitatem? quis, qui ei fidem adhiberet, aut ex ea ſibi perſuaderi ſineret? nemo ſane niſi indoctus, ignavus, levis, ac prope ſtolidus: numquid Hieronymo fucum fecit Donatiſtarum ſanctitas? numquid Magno Baſilio, Auguſtino, Lirinenſi Vincentio, tot Romanis Pontificibus? minime gentium: quos enim noverant egregios, perpetuoſque calumniarum ſtructores; eos quoque illud lucratos eſſe ſciebant, ut cum vera etiam dicerent, non illis crederetur. Reliqua, quæ ad plures alias hujus Corollarii Propoſitiones dici quiſpiam exiſtimaret, omitto; quod ipſæ Propoſitiones aut ea contineant, quæ jam antea dicta ſunt, & explicata; aut quæ poſtmodum in ſubſequentibus tractantur, ibique fuſius, & appoſitius exponentur.

Ad Propoſ. VIII. *Donatiani ſyſtematis ordo admirabilis* =

SI *ordine* plane admirando rem ſuam agentibus ab optimis quibuſve exordiendum eſt; aut ordinem minime admirabilem Donatiſtæ ſervarunt; aut Epiſtolas S. Cypriani de baptiſmo Hæreticorum iterando non excogitarunt: nam iſtæ non a Cypriano omnium Afrorum doctrina, ac ſanctitate longe præſtantiſſimo initium rebaptizandi Hæreticos deſumunt, ſed ab *Agrippino* Cypriani prædeceſſore ob id dumtaxat noto; quemadmodum habet 71. Cypriani ad Quintum Epiſtola, & S. Auguſtinus pluribus in locis lib. de Baptiſmo; nec non ejuſdem Cypriani ad Jubajanum 79. Epiſtola.

Ad Propoſ. IX. *Loci ratio explicatur* =

UTrum *Tertullianus* Afrorum primus tradiderit Hæreticos eſſe rebaptizandos, an autem eum præceſſerit Concilii Africani ſub Agrippino Epiſcopo celebrati decretum, non eſt facile dijudicare; cum haud ſatis exploratum ſit, quo tempore vixerit Agrippinus: nonnulli tamen arbitrantur, ante Tertullianum in Africa extitiſſe morem, & ſtatutum rebaptizandorum Hæreticorum; idque ex ipſo Tertulliano ſe ſe elicere putant, quum lib. de Baptiſmo num. 17. ait: *circa Hæreticos ſane quid cuſtodiendum ſit, digne quis retractet? ad nos enim editum eſt:* & poſtea: *Hæretici nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ... quia non idem Deus eſt nobis, & illis; nec unus Chriſtus eſt idem, ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem; quem cum rite non habeant, ſine dubio non habent.* Sane quoniam videri poteſt, ac veriſimile cenſeri, tum in Africa Concilium contra Hæreticorum baptiſmum fuiſſe ab Agrippino coactum, quum in quæſtionem venit ille baptiſmus, & in Oriente ob eam cauſam plurima Concilia facta ſunt ſub initium ſeculi III., ceſſata anno 211. Severi Aug. in Chriſtianos perſecutione; uti jam ſcripſi ad not. XIII. cap. II., & quoniam etiam conſtat, Tertullianum libros de Baptiſmo adhuc Catholicum, ideſt ante annum æræ Chriſtianæ 200., compoſuiſſe, ut alias oſtenſum eſt; veriſimile quoque videri poſſet, ante Agrippini in Africa Concilium Tertullianum docuiſſe Hæreticorum baptiſma nullum

eſſe;

Digitized by Google

eſſe; idque juxta morem, traditionemque in Africa receptam, cum lib. de Corona Militis cap. 3. dixerit: *quomodo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt?* Utcunque autem res hæc ſe habuerit; ſi incertum eſt, Tertullianum ante, vel poſt Agrippinum extitiſſe; ac eam de Baptiſmo Hæreticorum opinionem tenuiſſe; multo magis incertum dico, eum omnium primum in Africa Anabaptiſmo ſtuduiſſe: Cyprianus certe ſe profitetur ſecutum Agrippini, ejuſque Concilii ſtatutum, non Tertulliani doctrinam in memorata ad Quintum Epiſtola. Quantum autem ad id, quod S. *Hieronymus* in Dial. adverſus Luciferianos ſcribit; cum neminem antiquorum videam palinodiam Epiſcoporum Afrorum, qui cum Cypriano fuerunt, de baptiſmo Hæreticorum iterando commemorare; & SS. Optatum, & Auguſtinum, qui tot libros in ea quæſtione ſcripſerunt, ne verbum quidem facere; Conciliumque Arelatenſe I. can. 8. habere, Afros adhuc poſt LIX. a Cypriani tertio hac de re Concilio annos propria lege rebaptizaſſe; facile adducor, ut credam, Hieronymum aut deceptum fuiſſe ab aliquo, qui forſan ei Afrorum palinodiam obtruſerit; aut eſſe locutum de Concilio Carthaginienſi anno 349. ſub Grato Epiſcopo coacto; in quo *Rebaptizationes* omnino ſublatæ ſunt, atque prohibitæ; de *illiſque ipſis Epiſcopis* quantum ad Provincias, & Epiſcopatus eoſdem, non quantum ad eaſdem perſonas; quarum aliquæ quidem vivere potuerunt adhuc tempore Concilii Arelatenſis I., ſed non tam facile tempore Concilii Carthagin. ſub Antiſtite Grato. Nam etiam S. Tharaſius Patriarcha CP. in VII. Synodo Act. IV., poſteaquam de *Synodo VI.* ſub Conſtantino Imp. congregata verba fecit, habet: *iidem ipſi Patres convenientes ſub Juſtiniano filio Conſtantini præſignatos Canones expoſuerunt; & nemo dubitat de illis: illi enim, qui ſubſcripſerunt ſub Conſtantino, ipſi & ſub Juſtiniano præſenti chartæ ſubſcripſerunt:* loquiturque de Canonibus in Synodo Trullana, vel Quiniſexta ſub Juſtiniano Aug. conditis; & tamen alii Synodo Sextæ ſubſcripſerunt, alii vero Synodo Quiniſextæ; illi Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Macarius, & Theophanes Antiocheni Antiſtites, ac Legati Sedium Alexandrinæ, atque Hieroſolymitanæ vacantium; iſti vero Paulus Conſtantinopolitanus, Petrus Alexandrinus, Georgius Antiochenus, & Anaſtaſius Hieroſoly-

Digitized by Google

mitanus Patriarchæ; ut alios prætermittam, qui in Actis legi poſſunt: aut igitur ibi Tharaſius locutus eſt de nonnullis tantum, qui utrique Synodo interfuerunt, ſubſcripſeruntque; non vero de omnibus Synodi Patribus, quod eſſet manifeſtus error; aut de *iiſdem ipſis Patribus* quantum ad Epiſcopatus eoſdem, non quantum ad eaſdem perſonas: vel ſi erravit iſte de re ante ſuum tempus XCV. annis acta; quanto magis errare potuit Hieronymus CXXV. annis ſcribens, poſtquam ea contigiſſe putant: præſertim cum ille Epiſcopus eſſet loci, ac in loco, ubi ea facta fuerant, quum illa narrabat; iſte vero nihil horum haberet.

Ad Propoſ. X. *Temporum ordo recluditur* =

AFros Epiſcopos non ejuraſſe rebaptiſmum ante factorum Codicum tradirionem in perſecutione Diocletiani perpetratam liquet ex canone VIII. Concilii Arelatenſis I. poſtea celebrati *de Afris, qui propria lege utuntur, ut rebaptizent;* & ex libris Optati Milevitani contra Parmen., quod ſi etiam ejuraſſent, non erat propterea, quod quis quæreret; qua tandem ſpe Donatiſtæ eundem exſuſcitarent: nam nulla quidem ſpe, ſed ea plane ratione, qua multo antea Novatianenſes, aliique plures Hæretici; nec non Catholici Orientis rebaptizabanr. Cum autem dicitur; ſi non illum ejurarunt; cur tantopere Catholici Donatiſtis ſuccenſerent? nimirum quia Afri ſub Cypriano, & poſt ejus obitum rebaptizabant Hæreticos, atque Schiſmaticos; Donatiſtæ vero etiam Catholicos more Novatianenſium, aliorumque Hæreticorum; quapropter S. Auguſtinus lib. de unico Baptiſmo cap. 13. ait: *ego autem, ut quod de hac re ſentio, breviter dicam; rebaptizare Hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt Diabolicæ præſumptionis.* Et cum iterum quæritur; ſi ejurarunt, quis illos ad id agendum adduxerit; ajo, non ſane decretum Stephani Papæ; non quidem quo hoc commentitium ſit idcirco, quod apud Anaſtaſium Bibliothecarium non habeatur, anachroniſmoque laboret; quæ infra nullo negotio diluentur; ſed quia & decretum non fuit, & quod adducere non valuit Cyprianum docilem, ſapientem, quodque caput eſt, ſanctum; eo minus arbitrandum

dum eſt valuiſſe cæteros perducere: verum Afros ab Hæreticis, & Schiſmaticis rebaptizandis retraxiſſe dico plura ſeculo Eccleſiæ IV., quæ non repente, ſed pedetentim ab antiqua eos lege, ac conſuetudine revocarunt. Et primum Arelatenſis Concilii I. canon VIII., quo ſuadetur ipſis, jubeturque, ne impoſterum Hæreticos quoſcunque rebaptizent: mox Concilii Nicæni canon XIX., quo unum Paulianorum baptiſma iterari præcipitur; &, ut Latini ſunt interpretati, cæterorum Hæreticorum baptiſma comprobatur: tum decretum Concilii Carthagin. totius Africæ ſub Grato Epiſcopo congregati, quo *Rebaptizationes* prohibitæ ſunt omnino; ubi tametſi, ut & in plenario Concilio Capuano, & in Conſtitutionibus Impppp. Conſtantis, Valentiniani, Gratiani, & Honorii Cod. Theodoſ. tit. *ne ſanctum Baptiſma iteretur*, videri poſſint prohibitæ Catholicorum rebaptizationes, quippe quod leges illæ ſunt potiſſimum in Donatiſtas latæ; tamen quia decreta Conciliorum, & leges Imperatorum generatim loquuntur, ac inſuper hæ contra Hæreticos latæ dicuntur; de quibuſcunque rebaptizationibus interpretari quoque cæptum eſſe crediderim: deinde cum Oriens totus, cujus Antiſtites vel omnes, vel majore ex parte rebaptiſmo ſtudebant, hæreſibus, in primiſque Ariana undique quateretur, aliaſque ob cauſas ab Occidente maxime diſſentiret; Africani Patres, qui utpote Latini cum Occidentalibus facile conveniebant, morem enm Romanæ, atque Occidentalis Eccleſiæ de Schiſmaticis, Hæreticiſve non rebaptizandis admittere cœperunt; & in Concilio Carthagin. ſub Aurelio anno 401. *Capuenſis* Synodi plenariæ *ſtatutum, ut non liceat fieri rebaptizationes*, confirmarunt. Ad hæc acceſſit S. Auguſtinus doctrina, ac morum ſanctitate celeberrimus, qui quoniam Mediolani renatus, ac baptizatus fuit; Romæ etiam, atque in Italia diu commoratus, poſtea in Africam reverſus legem, conſuetudinemque Romanæ, atque Occidentalis Eccleſiæ omni ſtudio, totiſque viribus cum verbis, tum ſcriptis promovere conatus eſt; quo potiſſimum etiam Afri Catholici a Schiſmaticis Donatiſtis, aliiſque Hæreticis diſcriminarentur; illoſque ab eo Catholicorum rebaptizandorum errore removerent ſuo, ſi poſſent, exemplo; quando ipſi non Catholicos modo, ſed ne Schiſmaticos quidem, aut Hæreticos rebaptizarent; itaque primo Schiſmaticorum lavacrum appro-

approbarunt, ut S. Optatus Milevit., deinde etiam illud Hæreticorum, ut S. Auguſtinus.

Ad Propoſ. XI. *Rerum ſeries expenditur* =

S. Cypriani Epiſtola ad Pompejum ſive *ſacrarum Scripturarum* authoritatem ad anabaptiſmum torquere poſſet, ſive non; parum intereſt; cum argumentum ab authoritate ductum parum, vel nihil cogat; non quod Sacrarum Scripturarum authoritas non ſumme probet, ſed quia hæc quoquo libet trahi, & quoquo modo interpretari poteſt. Ipſa quoque Epiſtola nequaquam valuit *Romani Pontificis* certiſſimum in cauſſis fidei judicium graviter infirmare ob repugnantiam ejuſdem Cypriani, qui Epiſcopus erat Eccleſiæ poſt Romanam eminentiſſimæ; quia Stephani judicium in ea Epiſtola relatum nec conſtat fuiſſe certiſſimum; nec fuit in cauſſa fidei, ſed diſciplinæ: & quidem nullo modo infirmavit, alioquin illam proſcripſiſſet Eccleſia Romana. Deinde ſi Donatiſtæ judicium Romani Pontificis labefactare voluiſſent in ſimili cauſſa, licet Cypriani Epiſtolam non ſuppoſuiſſent, annon proferre poterant Epiſtolam Polycratis Epheſinæ Eccleſiæ eminentiſſimæ Antiſtitis, qui una cum Concilio Diœceſis Aſiaticæ X. Provinciarum refragatus eſt Victori Papæ, ejuſque decreto Romano in Concilio condito de die celebrandi Paſchatis? quamquam ſi protuliſſent, neutiquam infirmaſſent. Similiter Donatiſtæ eam Cypriani Epiſtolam minime comminiſci potuerunt animo derogandi doctrinæ *Auguſtini;* cum Epiſtola jam extaret, antequam Auguſtinus Orbi notus eſſet; ejus enim meminit S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos inter ann. 370. & 380., ut volunt, elucubrato, dum inquit: *quod ſi negandum quiſpiam putaverit, Hæreticos a majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos; legat B. Cypriani Epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem:* nullibi autem Cyprianus Stephanum, ejuſque morem lacerat, quam in hac ipſa ad Pompejum Epiſtola; Auguſtinus vero tantum anno 387. baptizatus aſſeritur. Multoque minus iſta *Concilii* authoritatem in ſpeciem imminuere poterat; cum, falſum ſit, tam in præfatione, quam in Concluſione ipſam innuere Concilia Carthaginienſia Cypriani pro anabaptiſmo

ſan-

ſanciendo celebrata: ſed nec ullo modo aut *Imperatorum* pro Catholicis ſtudium, & in Donatiſtas odium temperare; aut *totius Eccleſiæ* vel authoritatem, vel invidiam declinare quiverat; eo quod Cypriani Epiſtola iterandum Hæreticorum, & Schiſmaticorum baptiſma docet, & ſuadet; Donatiſtæ vero illud etiam Catholicorum dictitabant: poſtmodum exitum acta probarunt, quandoquidem jam tum Epiſtola tam pernicioſa prodiit, credita quoque eſt, atque recepta tanquam Cypriani labor, & opus; & nihil tamen horum malorum effecit.

Ad Propoſ. XIV., & XV. *Pertinacia incredibilis. Terribilis aſtutia, & fallaciloquentia* =

NUnquam Donatiſtas puto eſſe arbitratos, ſuæ *pertinaciæ* excuſationem comparare ſe poſſe exemplo S. Cypriani, qui Stephano Papæ repugnavit; perinde atque ipſi quoque Romani Pontificis, Conciliorumque Romani, & Arelatenſis decretis ſe impune refragari poſſe cenſerent: nam qui impune Romano Pontifici ſe refragari poſſe dixiſſent, quem nullum eſſe dictabant? ut enim Eccleſiam toto Orbe periiſſe, & penes ſe tantum reperiri putabant, aut volebant; ita & Romæ nullum extare Pontificem, niſi quem ipſi ex Africa mitterent, edocebant. Quomodo autem Romani, & Arelatenſis Conventuum eluderent ſententiam, & authoritatem, notius eſt, quam ut exponi neceſſe ſit: certe Donatiſtas nuſquam legi aut repugnantiam repugnantiæ, aut Concilium Concilio ex his, quæ hoc loco proponuntur, comparaſſe. Quantumcunque porro unam hanc ad Pompejum Epiſtolam animadvertam, inſignis obſtinationis notas in ejus authore deprehendere non poſſum; at quid me deprehenſurum arbitror, quod nec ipſe Hieronymus ſuapte natura acutus, nec Auguſtinus omnium perſpicaciſſimus, nec univerſa Eccleſia hactenus animadvertit? Illud quoque, unam hanc Epiſtolam ſatis, ſuperque declarare reformidandam eſſe Donatiſtarum *verſutiam*, quomodo verum eſt; ſi illi nunquam hanc ſpeciatim contra Catholicos exercerunt; & iſti eorum artes, verſutiaſque, ſi tamen ullæ fuerunt, nihili fecerunt? Et quomodo *Sophiſmatum* acervus verius videri poteſt, quam Epiſtola apologetica, ac Donatiſtis adjudicari;

ſi iſti ipſi Dialecticam prorſus neſcire ſe fatebantur; collationeſque cum Auguſtino declinabant id unum præferentes, ſe ſe cum homine Dialecticæ artis perito nolle de Religione contendere?

THEOR. II.

Ad Propoſ. I. *Auguſtinus refugit facti quæſtionem; perſtat in quæſtione juris* =

A *Quæſtione facti* non refugit Auguſtinus contra Donatiſtas dimicans, propterea quod valde cautus eſſet, reſque ita poſtularet; cum Donatiſtæ ſolerent facta factis conglomerare, quo ipſum a quæſtione juris diſtraherent: nam etſi illi facta factis incerta, & implexa adjicere ſolerent in cauſa quidem Schiſmatis, tamen in cauſa rebaptiſmi nonniſi Concilium, & literas Cypriani, & quorundam Orientalium protulerunt. Cum igitur Auguſtinus duo potiſſimum expugnare ſatageret *ſchiſma*, & *rebaptiſmum*; Schiſmatis in cauſa tantum abeſt, eum facti quæſtionem detrectaſſe, ut ad eam adverſarios etiam provocaverit: negavit enim Cæcilianum prave ordinatum fuiſſe; negavit traditores, ſacrilegos, ac ſceleratos extitiſſe Marcellinum, Melchiadem, Menſurium, alioſque a Donatiſtis traductos; negavit vera eſſe, quæ Oſio imponebantur; & cæteras Schiſmaticorum criminationes ipſe pernegavit: negare autem facta, quid aliud eſt, quam adverſarium ad quæſtionem facti provocare, ut probet id, quod negatur? Quod ſi factorum quæſtionem ultra Auguſtinus non agitavit; ideo factum eſt, & quia adverſarii nunquam eo ſe contulerunt, ut calumnias, quas aliis intentarant, demonſtrarent: *quid*, ait ipſe, *laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter conatus ſit probare calumniam ſuam?* & poſtea: *quæcunque in nos, ſive in noſtros... dixiſti ſine nominibus, ſine teſtibus, ſine ullis omnino argumentis... non probando, ſupervacaneum eſt velle purgare:* & quia opus non fuit aliquando; quare in Epiſt. 87. al. 164. ad Emeritum ſcribit: *ſed hæc alia quæſtio eſt tunc aggredienda, & diſcutienda; cum opus fuerit:* an ſcilicet vera eſſent crimina, quæ jam negaverat. In cauſa vero rebaptiſmi cur quæſtionem facti declinavit Auguſtinus, & Cypria-

num

Digitized by Google

num defendere neglexit quantum quidem ad iſtam opinionem; niſi quia credidit vera eſſe, quæ de eo ferebantur? quamquam quum dubitavit, vel potius dubitaſſe putatur; nimirum cum retulit non deeſſe, qui negarent ita ſenſiſſe Cyprianum, ſed cuncta *conficta fuiſſe ſub ejus nomine a præſumptoribus, atque mendacibus:* annon videtur etiam in hac cauſa Donatiſtas ad quæſtionem facti quodammodo laceſſiſſe? Quoquo modo autem ſe res habeat; in Collatione ſane Carthagin. non Auguſtinus, non Catholici, ſed Donatiſtæ a quæſtione facti refugerunt, & verba aliorſum detorſerunt; quando Auguſtinus, & Catholici eos ad ſermonem de S. Cypriano toties provocare tentarunt; ut ſupra oſtenſum eſt ad num. IX. cap. I. In memorata porro ad Emeritum Epiſtola, qua dicitur: *alia enim quæſtio eſt, utrum vera illa dicatis &c.* non loquitur Auguſtinus de rebaptiſmo, ſed de ſchiſmatis materia; & an crimina traditionis a Donatiſtis objecta Catholicis vera eſſent, nec ne: quocirca non traditionem a rebaptiſmo ſecernit, ſed facti quæſtionem a quæſtione juris in cauſa ſchiſmatis, & traditionis. Dictum eſt etiam ad alium Auguſtini locum lib. de unico Baptiſmo cap. 16., quod ad Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, aliosque a Petiliano criminum inſimulatos attinet, ipſum non detrectaſſe facti quæſtionem, ſeu factorum diſcuſſionem; ſed perſpicue prodidiſſe, quam ob cauſam in ea non perſtaret: *quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter conatus ſit probare calumniam ſuam?* ſatis enim ab eo illi reſponſum fuerat; cum ait: *ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit; ego innocentes fuiſſe reſpondeo... quibus objiciunt pro ſua diſſenſione, quod volunt:* ita & lib. 3. contra Creſcon. cap. 71. habet: *cur enim fuerit Brixiæ Cæcilianus, quod vos calumnioſiſſime appellatis exilium; cum ſuam præſentiam maluit Eccleſiæ deeſſe, quam pacem; quid a me opus eſt dici; cum tu interim damnantis Imperatoris ſententiam nullam recitas?* Etenim Auguſtinum in cauſa non tam rebaptiſmi, quam ſchiſmatis factorum quæſtionem nunquam declinaſſe, manifeſtum facit id, quod Epiſt. 44. al. 163. ſcripto tradidit illis verbis: *cum tam multa ab eis objecta crimina refellerentur, & redarguerentur a noſtris; atque in eos plura, & majora jacerentur.... dicebam ergo, prius utrum verum eſſet, eſſe quærendum; non enim temere credi oportere, quæcunque dicuntur:* itemque ſcribit ibi, ſe

ex Fortunio Donatiſta quæſiiſſe; *utrum ſaltem probaretur, uſque ad illa tempora Donatiſtas cum Orientalibus Eccleſiis, cæteriſque Orbis partium in unitate manſiſſe:* lib. vero 4. contra Creſcon. cap. 17. ait: *ſi hoc ab aliquibus pauci Orientalibus factum eſt: quod quidem intereſt, utrum poſſit oſtendi:* & lib. 1. contra Parmen. cap. 4. *Quod enim de Hoſio dicunt... flagitandum eſt, ut probent &c.:* ergo factorum quæſtiones non ipſe refugiebat, ſed ventilandas eſſe dicebat.

Ad Propoſ. II. *Auguſtini ſyſtema in facti quæſtionibus contra Donatiſtas hypotheticum eſt, non abſolutum* =

QUum S. Auguſtinus in hypotheſi loquitur, aperte, ac manifeſte id facit; ſicut & quum abſolute; atque eo plane modo, ut taliter ſe ſe demonſtret agere: de re namque falſa contra aſſerentes eam veram, primum abſolute plerunque inficiatur eſſe veram; deinde in hypotheſi procedit, aitque; quod etſi vera eſſet, non propterea ſecuturum, quod illi arbitrantur. Sic in Marcellini Papæ, aliorumque a Donatiſtis crimine traditionis aſperſorum facto negat primum abſolute traditores, atque thurificatores fuiſſe lib. de unico Baptiſmo contra Petilian. cap. 16. *ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit; ego innocentes fuiſſe reſpondeo:* deinde hypothetice procedens inquit, quod *qualeſcunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylveſter &c., nihil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ:* & ſerm. 24. de verbis Apoſtoli: *liquidiſſime purgatus eſt Cæcilianus; ſed fac eum non purgatum; fac criminoſum inventum &c.:* lib. 1. contra Parmen. cap. 4. negat, damnatos in Africa *traditores* in conſortium damnationis receptos fuiſſe a Tranſmarinis Provinciis; poſtea ſubjungit: *quod ſi etiam per eos Chriſtianus Orbis falleretur, nullo modo ſuam innocentiam perdidiſſet:* Epiſt. 48. al. 93 ad Vincentium Rogat. *Cum majores veſtri ipſum Cæcilianum tunc Eccleſiæ Carthagin. Epiſcopum... apud Principem Conſtantinum per Anulinum Proconſ. accuſaverunt; non res ſuas amiſſas reſtituerunt, ſed innocentem.... appetiverunt; quo quid ſceleratius ab eis fieri potuit? Si autem, ſicut falſo arbitrantur, vere criminoſum judicandum terrenis Poteſtatibus tradiderunt; quid nobis objicitis?* ita & Epiſt. 50. ad Bonifacium, Epiſt. vero 43. al. 162. ad Glorium &c. de Concilio totius Orbis in cauſa Cæciliani nun-

nunquam facto; *nos enim*, inquit, *non factum eſſe facile probamus... aut ſi factum eſt, etiam ibi victi ſunt:* lib. 1. de Baptiſmo c. 18. ſcribit de S. Cypriano: *non ſe ille tamen a cæteris diverſa ſentientibus ſeparata communione diſjunxit.... & ſi ſe ille ſeparaſſet, quam multi ſequerentur &c.:* lib. 3. contra Creſcon. cap. 3. *duo mala vobis objicimus; unum, quod erratis in baptiſmi quæſtione; alterum, quod vos ab eis, qui de hac re verum ſentiunt, ſeparatis: Si autem, ut ſecundum vos loquar, hoc eſt in ea quæſtione verum, quod ipſi ſentitis; illo certe crimine maculamini, quod ab Eccleſia receſſiſtis:* & lib. 1. contra Parmen. cap. 4. *quod enim de Oſio dicunt Cordubenſi quondam Catholico Epiſcopo flagitandum eſt, ut probent non ſolum talem fuiſſe, qualem dicunt... ſi tamen Oſius ab Hiſpanis damnatus eſt, a Gallis eſt abſolutus:* & alia bene multa, quæ apud eum legi poſſunt, exempla. Verum de facto, ſcriptiſque S. Cypriani prorſus, & abſolute concedit ita fuiſſe, ut ferebatur: idque quidem ſemper; niſi quod ter, vel quater tantum dubitaſſe videtur; refertque nonnullos etiam extitiſſe, qui inficiarentur; libro enim 1. contra Creſcon. cap. 32. inquit: *nam & vos profertis Concilium Cypriani, quod aut non eſt factum; aut a cæteris unitatis membris, a quibus ille non diviſus, eſt merito ſuperatum:* quo loco loquitur Auguſtinus de Cypriani Concilio, non de Cypriani ſententia; cum antea dixerit: *neque enim parvi momenti, quod inter Epiſcopos anterioris ætatis, quam eſſe inciperet pars Donati, iſta quæſtio fluctuaret, & varias haberet inter ſe Collegarum ſalva unitate ſententias: hoc per univerſam Catholicam, quæ toto Orbe diffunditur, obſervari placuit, quod tenemus. Nam & vos profertis Concilium Cypriani &c.* poſtmodum adjungit: *neque enim propterea ſumus Epiſcopo Cypriano meliores, (ſi tamen cenſuit Hæreticos denuo baptizari):* & lib. 2. contra eundem cap. 31. habet: *quamdiu aliter ſapuit Cyprianus, ſi ſcripta ejus eſſe conſtat, quæ pro vobis proferenda arbitramini:* cap. vero 33. *vel S. Cyprianus, vel quicunque illam ſcripſit Epiſtolam*, ſcilicet ad Jubajanum; ubi pariter de ſcriptis, ac Epiſtola Cypriani dumtaxat creditur hæſitari; quoniam hæc dictio *ſi* non ſemper conditionem, & hypotheſim ſignificat; quare idem Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 17. ait: *& per ejus* (Cypriani) *ſermonis affectum viſceribus humilitatis indutus, ſi quid verius cum Or-*

be terrarum ſentio (de Hæreticorum baptiſmo non iterando), *non ei præponam cor meum*. Poſtremo Epiſt. 48. al. 93. ad Vincentium Rogat. refert aliquos negaſſe, ita, ut fertur, Cyprianum ſenſiſſe: *quamquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant; ſed ſub ejus nomine a præſumptoribus, atque mendacibus fuiſſe confictum:* & paulopoſt addit: *porro autem Cyprianus aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis; aut poſtea correxit &c.*: Authores vero hujus opinionis quinam, aut quot fuerint, minime prodit Auguſtinus, paucos autem illos, & ignotos, modicæque authoritatis extitiſſe, argumento eſſe poteſt, quod antiquorum nemo, ne ipſe quidem Auguſtinus illis adhærere voluit, ſed profitetur ſe nihiloſecius ea Cypriani ſcripta recipere, eo *quod & ſtylus ejus habet quandam propriam faciem, qua poſſit agnoſci*. Si igitur ipſe nonnunquam de iis addubitaſſe viſus eſt; id fecit, ut Donatiſtis oſtenderet, multimodis clypeis eorum tela poſſe retundi; nec eos in medium pro ſua cauſa monumenta proferre, quæ, ſi qui vellent, aut in dubium vocare, aut negare non poſſent; uti nonnulli negaſſe dicuntur; quibus non defuit fortaſſe, quo id probarent; uti defuiſſe videtur Donatiſtis, quo idem refellerent: nam ſi ſub nominibus *Apoſtolorum*, inquit Auguſtinus, ea, quæ canonica eſſe debent, plura conficta fuiſſe inveniuntur; quanto magis ſub unius quantumlibet illuſtris *Epiſcopi* nomine aliqua confingi potuerunt? quo verius vix quicquam dici poſſe videtur.

Cæterum ſi nihil aliud habebant Donatiſtæ, quo ſe tuerentur in cauſſa anabaptiſmi, quam factum, & ſcripta S. Cypriani, ad quem *tanquam ad aliquem Portum* confugiebant, & ſine quo *naufragare* eos neceſſe erat, inquit Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. cap. 32., cur non in principio is negavit factum illud Stephanum inter, & Cyprianum? cur non ſcripta ejus ea de re pronunciavit apocrypha; itaque continuo Donatiſtas ad naufragium faciendum adegiſſet? cum Epiſt. 48. ad Vincentium Rogat., & lib. 5. de Baptiſmo c. 1. referens Cyprianicæ ad Jubajanum Epiſtolæ verba dixerit: *Hic tota cauſa Donatiſtarum, cum quibus nobis de hac quæſtione conflictus eſt, naufragavit*. Auguſtinus, ais, caute ſe gerebat; ne Donatiſtæ facta factis incerta, & implexa adjicerent, & eum a quæſtione juris diſtraherent: Eſt id quidem forſitan verum in quæſtione ſchiſmatis, de traditoribus,

bus, de Eccleſia, uno verbo in cauſa Cæciliani, in qua plurima facta factis adjiciebantur; non autem in quæſtione rebaptiſmi, in qua, ut dictum eſt, nonniſi factum Agrippini, & Cypriani in Africa, ac quorundam Orientalium literas protuliſſe compertum eſt. Deinde annon Auguſtinus abſolute negavit Cæcilianum fuiſſe damnatum, fuiſſe a traditoribus ordinatum, Marcellinum, alioſque a Donatiſtis calumniatos fuiſſe ſceleratos, & ſacrilegos; eoque ad quæſtionem facti hoſtem provocavit, nec extimuit a juris quæſtione diſtrahi in cauſa, in qua Donatiſtæ *quæſtiones infinitas, atque ſuperfluas de factis hominum* intermiſcebant ex eodem Auguſt. Epiſt. 87. ad Emer.? In magna illa Collat. Carthag. quoties ipſe cum Catholicis Donatiſtas in cauſa rebaptiſmi laceſſivit ad factum, & ſcripta Cypriani; iſti vero refugerunt maximopere *ſcientes*, inquit idem lib. poſt Collat. cap. 29., *ſe naufragium facturos?* Et in ea ipſa Collatione cur Catholici potius in quæſtionibus facti, quam juris perſtiterunt; niſi quia probe intellexerant, ita facilius, citiuſque ſe cauſam obtenturos, eo quod facta Donatiſtæ nunquam probaverant, neque probare poterant; jus vero facillime tuebantur Sacris Scripturis ad libitum, cauſamque ſuam detortis? adeo falſum eſt, Auguſtinum aſſumptum neglexiſſe, & in theſi perſtaſſe. Poſtremo nonne idem ipſe eo demum ſe contulit, ut vel dubitaſſe, vel pene negaſſe dicatur factum, & illa Cypriani ſcripta; ut aſſereret Epiſt. 43. al. 162. *ſi proferunt chartas, proferimus chartas; ſi falſas noſtras eſſe dicunt, hoc nos de ſuis dicere non indignentur:* ut lib. 3. contra Creſcon. cap. 70. Epiſtolam Æliani Proconſulis pro Felice Aptungitano ab Ingentio Donatiſta falſatam affirmaret; idemque verbo repeteret lib. poſt Collat. cap. 32., nec tum extimuit propter hæc abſtrahi a quæſtione juris?

Ad Propoſ. III. *Auguſtini ſententia de mente Cypriani hypothetica eſt, non abſoluta* =

Auguſtini ſententiam de mente Cypriani *hypotheticam* eſſe, non abſolutam; aut plane non probatur, aut non hoc quidem loco: ea enim, quæ hoc loco adducuntur, non ſolum id non probant, ſed ne ſuadent quidem. Utique Auguſtinus Cypriani literas expendens, dum contra Donati-

ſtas diſputat, Cyprianum Cypriano opponit; aitque, quia Cyprianus improborum hominum baptiſma admittebat, debuiſſe eum etiam illud Hæreticorum, & Schiſmaticorum approbare; & quia in ea ſententia contra diſſentientes unitatem Eccleſiæ ipſe non ſcidit, neque Donatiſtas illam ſcindere debuiſſe: ſed ipſum ex hypotheſi Donatiſtarum loqui, adhuc non probatur. Eſto autem Auguſtinum loqui in hypotheſi de S. Cypriani rebaptiſmo, dum dimicat cum Donatiſtis: ſed quid, quando cum aliis, iiſque Catholicis verba facit? Epiſt. enim 182. al. 19. ad S. Hieronymum, qua reſpondet illius literis ſuper interpretatione loci Epiſtolæ Pauli ad Galatas de ſimulatione Petri, ob quam a Paulo reprehenſus eſt, ait: *Porro ſi quæras, vel recolas, quid hic ſenſerit noſter Ambroſius, quid noſter itidem Cyprianus, invenies fortaſſe, nec nobis defuiſſe, quos in eo, quod aſſerimus, ſequeremur:* & Epiſt. 180. al. 260. ad Oceanum de eadem re ſcribit, quod Hieronymus *eandem de re iſta geſta, dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuit, quam beatiſſimi Cypriani etiam nos ſecuti ſumus:* at S. Cyprianus de ea Pauli correptione facta Petro agit tantummodo in Epiſtola *ad Quintum* de Hæreticis rebaptizandis: hanc igitur recepit Auguſtinus abſolute: ſimili quidem modo Epiſt. 48. al. 93. ad Vincentium Rogat. dicit: *prorſus non noſti literas Dei: lege enim quid de Petro ſcripſerit Paulus, & quid inde etiam Cyprianus: & non tibi diſpliceat Eccleſiæ manſuetudo:* lib. autem 7. de Baptiſmo cap. 20. hæc etiam habet: *bene tamen quod toties meminerunt, etiam primum Apoſtolorum Petrum potuiſſe aliter ſapere, quam veritas poſtulabat; quod accidiſſe etiam Cypriano ſine ulla ejus contumelia credimus, quicunque diligimus Cyprianum; quia non eum fas eſt diligi majori charitate, quam Petrum:* in Tract. etiam 5. ſuper Evang. Jo: ſcribit: *antequam enim bene iſta quæſtio tractaretur in Eccleſia Catholica, multi in ea erraverunt & magni, & boni; ſed quia de membris Columbæ erant, non ſe præciderunt:* ubi non cum Donatiſtis, ſed cum fratribus, ac plebe ſua in Eccleſia verba facit. Quapropter ſi credidit Auguſtinus Cyprianum ita de Hæreticorum Baptiſmo ſenſiſſe, uti referunt ejus literæ; nequaquam ſtatui poteſt, eum cum Donatiſtis in hypotheſi locutum eſſe. Et ſane ſi Auguſtini ſententia de mente Cypriani hypothetica fuiſſet; non dixiſſet de eo lib. 6. de Baptiſmo

cap.

cap. 1. *ille enim dum zelo Dei graviter deteſtatur eos, qui ſe ab unitate ſeparaverunt, etiam ab ipſo baptiſmate ſeparatos eſſe arbitratus eſt:* rationes ejus, & Agrippini pluribus in locis non dixiſſet *veriſimiles*, ut lib. 2. cap. 7. & 8., lib. 3. cap. 2., & lib. 4. cap. 8., nec dixiſſet lib. 3. cap. 3. *noverat enim quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia varia diſputatione verſabat*: & plura alia, quæ nec ipſi vel Donatiſtæ dixiſſent; aut non dixiſſe comperimus.

Ad Propoſ. IV. *Epiſtola ad Pompejum utrique ſyſtemati repugnat* =

Mirum videri poteſt, quomodo Cypriani Epiſtola ad Pompejum repugnet ſyſtemati etiam hypotherico; & tamen ab Auguſtino ſaltem in hypotheſi ſuſcepta aſſeritur: omnino ille ejus Epiſtolæ tractationem reformidavit; & tamen, cum etiam opus non eſſet, tractavit. Renuiſſe dicitur Auguſtinus hanc Epiſtolam pertractare, quippe quæ habuerit *pernicioſæ diſſenſionis* periculum, quoniam cum ei mens eſſet in libris de Baptiſmo ſchiſma Donatiſtarum diſſipare, diligentiſſime cavendum fuit, ne ea pertractaret, quæ ſchiſma excitabant: at primum falſum eſt, Auguſtinum diſceptationem de Baptiſmo ea mente ſuſcepiſſe, ut Donatianum ſchiſma jugularet; cum illud luculenter confutaverit in libris adverſus Parmenianum, Petilianum, Gaudentium, & alios; libros vero de Baptiſmo data opera, potiſſimeque compoſuit ad extirpandum anabaptiſmi errorem: non enim Donatiſtæ ſchiſma fecerant propter anabaptiſmum, ſed anabaptiſmo inhæſerunt poſt ſuſcitatum ſchiſma; ut ſi etiam anabaptiſmum rejeciſſent, adhuc tamen ſchiſma retinuiſſent, ut aliquando feciſſe eis objecit S. Auguſtinus Epiſt. 48. al. 93., vel certe retinere potuiſſent. Deinde qui renuit eam Epiſtolam pertractare, ſi nemine impellente lib. 5. de Baptiſmo cap. 23., præmiſſis quibuſdam de ea, ac de Hæreticorum baptiſmo, dicit: *quapropter ipſius etiam Epiſtolæ, quæ ad Pompejum ſcripta eſt, cæteras ſententias ex eiſdem regulis breviter percurrere non morabor?* atque ſex integris capitibus totam Epiſtolam, vel ejus præcipuas ſententias diſcutit, ac exponit; tantumque cap. 25. monet: *jam illa, quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo*: quo loco loquitur de paucis illis verbis

bis a Cypriano in Stephanum non ſine acrimonia dictis; quæ quidem renuit tractare non præſertim, quia *periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt*; ſed quia *non opus erat: eadem quippe*, inquit, *ipſa dicuntur, quæ jam ſatis diſcuſſa ſunt:* Equidem Epiſtolam eam, ſeu quædam Epiſtolæ verba diſſenſionem excitare potuiſſe inter Stephanum, & Cyprianum, ſatis intelligo; ſed inter Catholicos, & Donatiſtas, non facile video; quamobrem Auguſtinus ait, *periculum diſſenſionis habuerunt*, non autem *habent;* cum ea, quæ periculum illud habuerunt, in unum Stephanum jactata eſſent: hinc factum eſt, ut aliæ Cypriani de baptiſmo Hæreticorum Epiſtolæ, quia Stephanum non carpunt, nec etiam tale periculum habuerint, & nihilominus ab Auguſtino non tractantur, nec excutiuntur; verum illæ ad *Quintum*, & ad *Numidas* Epiſcopos ab ipſo dumtaxat memorantur lib. 5. cap. 22., dicunturque nullo modo eſſe præferendæ adverſus totius Eccleſiæ conſenſionem; Epiſtolæ vero ad *Magnum* unum tantummodo locum attingit, ac diſcutit lib. 7. cap. 49. Hanc porro ad Pompejum nullum diſſenſionis periculum inter Catholicos, & Donatiſtas habuiſſe autumat ipſe lib. 5. cap. 25., cum ait: *non autem hinc uberius excreverunt hæreſes, & ſchiſmata; quia quod in eis Chriſti eſt, approbatur; quod autem ipſorum eſt, improbatur*. Sed quid quod S. Hieronymus non contra Donatiſtas, ſed contra Luciferianos ſcribens dialogum non provocatus, ſed ſponte ſua protulit hanc ad Pompejum Epiſtolam, ut oſtenderet, Hæreticorum baptiſmum Romanis Pontificibus ſemper probatum fuiſſe, quemadmodum dixi ad Propoſ. XI. Corollarii Theor. I., nec vir doctiſſimus, &, ſi quiſquam alius, acutus eam ſyſtemati abſoluto, hypotheticoque repugnare animadvertit?

Ad Propoſ. V. *Auguſtinus de mente Cypriani agens hypotheticum ſyſtema profitetur* =

SI ea, quæ tam apte, & concinne proponuntur; tam facile quoque, atque perite demonſtrarentur: eſſet profecto nihil, quo potius æſtimari, aut deſiderari poſſet. Auguſtinus ſine dubio in libris de Baptiſmo, quos contra Donatiſtas elaboravit, fere totus, ſemperque eſt, ut oſtendat, nihil magis Donatiano ſchiſmati adverſari quam authoritatem

tem B. Cypriani: at id eum agere in hypotheſi Donatiſtarum; quaſi quæ ex Cypriano adducuntur, vere Cypriani eſſe non crederet; hucuſque probandum reſtat. Auguſtino ſimiliter agendum fuiſſe tam ſerio, tamque moderate perinde, ac ſi ea crederet; ne Schiſmaticis terga vertere videretur, neceſſum minime puto. Cur enim ita non ſe geſſit in cauſſa Cæciliani, Schiſmatiſque; ſed Cæcilianum pronunciavit liquidiſſime purgatum; negavit apertiſſime eum, & Marcellinum, alioſque a Donatiſtis criminatos fuiſſe ſacrilegos, ac traditores; de Oſio Cordubenſi flagitavit, ut probarent eſſe talem, qualem inſimulabant; & cum Donatiſtæ multa Catholicis crimina objicerent, dixit, *prius, utrum verum eſſet, eſſe quærendum; non enim temere credi oportere quæcunque dicuntur;* & alia, quæ ſupra retuli ad Propoſ. I. & II.? quibus addi poteſt, quod lib. 1. contra Parmen. c. 4. habet: *fruſtra itaque dicit Parmenianus damnatos in Africa traditores in conſortium damnationis acceptos a Provinciis tranſmarinis: hoc enim eſt, quod credere non debemus; ne temeritate ſacrilega totum Orbem terrarum in Chriſti unitate fundatum ex iſtorum falſa criminatione damnemus potius, quam ex vera Dei promiſſione diligamus*: nec non lib. 1. contra Julianum cap. 4. *& tamen ejus ſucceſſorem* (Zoſimum Papam) *crimine prævaricationis accuſas; quia doctrinæ Apoſtolicæ, & ſui deceſſoris* (Innocentii) *noluit refragari. Sed de hoc iterum taceo, ne animum tuum, quem ſanare potius cupio, quam irritare, laudibus tui damnatoris exulcerem*: cumque Julianus pro ſua opinione Magni Baſilii, ac Joannis Chryſoſtomi authoritatem afferret; Auguſtinus abſolute negavit eos ita ſenſiſſe, ut volebat Julianus: nec tum pertimuit videri Schiſmaticis, ac Hæreticis terga vertiſſe. Cur primum aperte, & abſolute non negavit Cyprianum ita ſenſiſſe, atque ſcripſiſſe de Hæreticorum baptiſmo; poſtea in hypotheſi non dixit, & ſcripſit ea, quæ ad refellendos Donatiſtas conducebant? Et ſi non timuit hæſitare, cur timuit negare? quare pro Cæciliano, & Menſurio, pro Marcellino, & Melchiade, aliiſque pluribus ſcutum ſumpſit intrepidus; in campum deſcendit, & arenam; ac hoſtes quoſcunque provocavit paratus illorum defenſionem ſuſcipere; ſi adverſarii falſas criminationes probare tentaſſent; & pro Cypriano, pro tanto Doctore, ac tanto Martyre vix aliquando dubitare, utrum defendi poſſet?

Ad Propoſ. VI. *Auguſtinus dubitat de literis, & facto Cypriani* =

QUomodo Auguſtinus de Scriptis, ac Epiſtolis S. Cypriani dubitaverit, & qua de cauſa, dictum eſt ſupra ad Propoſ. II., quamquam nec dubitatio mihi palam illa videtur, ſed quodammodo fuga quæſtionis facti: cum enim ſciret Auguſtinus extare quoſdam, qui ſcripta illa, ac Epiſtolas pro rebaptiſmo Cypriani non eſſe contendebant, ait: *cum enim perſuadere conaretur vel S. Cyprianus, vel quicunque illam ſcripſit Epiſtolam*: perinde atque diceret; quoniam ſunt & qui Epiſtolas, ac Scripta illa Cypriani eſſe ajunt; & qui id quoque negant, nolo modo quæſtionem hanc expendere, ſed ſive S. *Cyprianus*, ſive *quicunque illam ſcripſit Epiſtolam*; aliud nunc nobis agendum eſt. Quod & ſi etiam Auguſtini dubitatio illa dicatur, & eſſet; unam hanc diſſolvere centum ejuſdem Auguſtini affirmationes, quod iſtæ ad ſyſtema hypotheticum, illa vero ad abſolutum reſpiciant; tunc facile aſſentiar, quum mihi probabitur, Auguſtini centum affirmationes ad hypotheticum ſyſtema ſpectare: nam ſi S. Auguſtinus affirmavit in hypotheſi Donatiſtarum, Cyprianum illa ſcripta condidiſſe pro rebaptiſmo; id egit idcirco, quod abſolute non credebat Cyprianum in ea fuiſſe opinione; ſi igitur non credebat, & quidem centies; cur poſtea ter, vel quater dubitaſſe dicitur? & ſi affirmare factum reſpicit jus; quomodo dubitare de illo reſpicit factum? Similiter Auguſtinum non modo de Epiſtolis, verum etiam & de facto Cypriani dubitaſſe, cum ait: *quamquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant*: palam inficiari non vereor; id enim non eſt dubitare, ſed aliquorum ſententiam referre; quos & dicit ea ſentire, quæ non omnino improbabilia eſſent: cum ſi ſub nominibus Apoſtolorum multa conficta ſunt, eo magis ſub unius Epiſcopi nomine aliqua comminiſci potuerint; ſe tamen non propterea in illorum ſententiam ire, ſed literas Cypriani recipere potiſſimum, *quod ſtylus ejus habet quandam propriam faciem, qua poſſit agnoſci*: id autem non eſt negare, non eſt dubitare, non eſt clare deſignare ſui ſyſtematis hypotheſim; ſed aperte recipere, & manifeſte declarare literas, & factum Cypriani eſſe. Quum vero ait: *vos profertis Concilium Cypriani, quod aut*

non eſt factum; aut a ceteris unitatis membris merito ſuperatum: & alias: *porro autem Cyprianus aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis; aut poſtea correxit in regula veritatis; aut hunc &c.* id etiam dubitare non eſt, ſed demonſtrare, quod duorum, vel plurium, quæ proponuntur, unum eſſe verum neceſſe eſt; quoniam & de re certiſſima idipſum ſæpe contingit affirmari; ut cum dicitur: aut non eſt Sol; aut profecto lucet, & ut ipſe Auguſtinus lib 5. de Baptiſmo cap. 4. ait: *quodlibet illorum duorum verum ſit; ſive quod Cyprianus tunc ſenſit; ſive quod Catholica univerſitas, unde ille non receſſit, obtinuit.* Et qua de cauſa diceretur Auguſtinus dubitaſſe de his Cypriani literis, ejuſque facto; ſi ipſe lib. 7. de Baptiſmo cap. 20. non diffitetur ſe credere, id *accidiſſe Cypriano ſine ulla ejus contumelia;* itidemque eos, qui Cyprianum diligunt, agere? Liquet igitur, an, & quomodo dubitaverit Auguſtinus de Epiſtola ad Jubajanum, & de Concilio III. Carthaginienſi Cypriani; quod & dicendum erit de cæteris ejus Epiſtolis ea de cauſſa ſcriptis, ideoque & de illa ad Pompejum; non quo Catholicis ipſa multum obeſſet; nam oſtentum eſt, *periculum perniciosæ diſſenſionis*, quod habuiſſe dicit Auguſtinus, fuiſſe inter Stephanum, & Cyprianum, non inter Catholicos, & Donatiſtas; ſed quia hujus, & aliarum Epiſtolarum una eademque ratio eſt.

Illud itaque, quod adjicitur, præſtaſſe Auguſtino eas Literas a Donatiſtis Cyprianicas judicari; *cum appareat*, inquit ipſe, *in literis Cypriani communicata eſſe cum peccatoribus ſacramenta, cum admiſſi ſunt in Eccleſiam;* error eſt; quando ſermo inſtitutus eſt de literis Cypriani, quæ de baptiſmo Hæreticorum tractant, & S. Auguſtinus ibi de literis prorſus diverſis agit: ac firmamentum quidem erroris Donatiani erat, *communione malorum bonos pollui*, & ſacramenta non eſſe cum peccatoribus communicanda; ſed iſtud non evertebatur Cypriani literis adverſus Hæreticorum baptiſma conſcriptis, ſed Epiſtolis ad Maximum, aliosque olim Schiſmaticos, & de lapſis, Tractatu de Unitate, & ſimilibus Cypriani Opuſculis, quæ crebro producuntur ab Auguſtino contra Donatiſtas, ut probet bonos, & malos Catholicos una in Eccleſia perſtitiſſe, iiſque omnibus æque communicata fuiſſe ſacramenta; aliis vero Cypriani Epiſtolis, quæ rebaptiſmum docent, uſus eſt Auguſtinus ad evertendum *ſchi-*

ſima; cum Cyprianus tenuerit unitatem cum iis, qui diverſa ſentiebant. Quod autem ad illud attinet, Auguſtinum nec ſerio, nec dogmatice, ſed ad ſcandalum vitandum, & ad morem Donatiſtis gerendum pronunciaſſe: *ſi quid in Cypriano fuerat emendandum purgavit falce paſſionis:* ſentio, quod ſi nec ſerio, nec dogmatice illud dixiſſet Auguſtinus, ſe ſe ludibrio cujuſcunque expoſuiſſet; quin immo & ea in pugna ſine dubitatione ſuccubuiſſet; quod ſumme abhorret a maxima ejus ingenuitate, atque ſapientia: etenim adverſarii ita in eum argumentari, eumque premere potuiſſent: hæreſim ais Hæreticos, & Schiſmaticos rebaptizare; concedis, Cyprianum ſenſiſſe eoſdem eſſe rebaptizandos, idque mordicus tenuiſſe uſque ad mortem; concedas igitur oportet, Cyprianum in hæreſi mortuum eſſe: at Auguſtinus vim hujus argumenti facile præverterat; cum pluries tradiderit, Cypriani temporibus obſcuriſſimam fuiſſe eam quæſtionem, & veritatem nondum eliquatam, definitamque in generali totius Orbis Concilio: propterea illius *errorem humanum* fuiſſe dixit; poſt obitum vero Cypriani, re jam in Oecumenico Concilio declarata, ac definita, *immane ſcelus* vocat Donatiſtarum morem; præſertim quod iſti etiam Catholicos; Cyprianus vero Hæreticos tantum, & Schiſmaticos docuerit eſſe rebaptizandos. Habet enim lib. de unico Baptiſmo cap. 13. *Hoc de Agrippino, aliiſque Epiſcopis, qui illa Concilia feciſſe perhibentur, reſponderim... nova enim tunc quæſtio fuit, quemadmodum ſuſcipiendi eſſent Hæretici... Ego autem, ut quod de hac re ſentio, breviter dicam: rebaptizare Hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ præſumptionis:* & lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. *Reſtat, ut hoc de Baptiſmo pie credamus, quod univerſa Eccleſia a ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit: In qua tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalva pace ſentiret, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum, ſyncerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis... Extant B. Martyris Cypriani in ejus literis magna documenta, ut ad illum jam veniam... Nam illis temporibus, antequam plenarii Concilii ſententia, quid in hac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet, viſum eſt cum ferme octoginta Coepiſcopis ſuis Africanarum Eccleſia-*

rum

rum omnem hominem, qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuo baptizari. Cæterum ei, quod Auguſtinus dixit de purgatione Cyprianici erroris per martyrium, annon reſpondet id, quod S. Hieronymus Epiſt. 69. ad Pammachium, & Oceanum ſcripſit de Pamphilo Martyre Apologiæ Origenianæ authore: *ſed concedamus ex ſuperfluo, ut Pamphili ſit, ſed necdum Martyris; ante enim ſcripſit, quam martyrium perpeteretur. Et quomodo, inquies, martyrio dignus fuit? ſcilicet ut martyrio deleret errorem; ut unam culpam ſanguinis ſui effuſione purgaret: quanti in toto Orbe Martyres, antequam cæderentur, prius peccatores fuerunt?* Itaque ſi Auguſtinus opinionem Cypriani *humanum errorem* appellavit, eamque non modo non hæreſim, ſed ne vix culpam quidem exiſtimavit; ut, propterea ſcripſerit: *ſi quid in Cypriano fuerat emendandum:* quis eſt, qui non videat, Stephani reſcriptum minime dogmaticum decretum fuiſſe, & univerſitatem fidelium nequaquam obſtrinxiſſe; ſed Stephanum ita contra ſcripſiſſe, ac præcepiſſe, ut id voluerit, vehementerque curaverit, quod Leo Magnus Epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum de rebus ad diſciplinam Eccleſiaſticam attinentibus ſcripſit: *non enim patimur, ut cum unius nos eſſe corporis, & fidei fateamur, in aliquo diſcrepemus?* Et ſane errorem Cyprianicum aperte veritati Catholicæ repugnaſſe; primo contrarium aſtruitur a Vindice ſupra cap. I. num. V., ubi docetur, anabaptiſmum Cyprianicum ad diſciplinam pertinuiſſe, non ad fidem, & ob id Auguſtinum dixiſſe: *ſi quid in eo fuerat emendandum, tanquam ſarmentum fructuoſiſſimum purgavit pater falce paſſionis*: quod item affirmatur cap. II. not. XXXIV., & Theor. V. Propoſ. IV. num. V. Deinde falſum eſt omnino; cum error veritati Catholicæ repugnans hæreſis ſit: hæreſim autem S. Cyprianum propugnaſſe nemo unquam antiquorum præſertim aſſeveravit; & tamen antiquorum plures, iique doctrina, ac ſanctitate clariſſimi tradiderunt, Cyprianum, & Afros ſub Stephano Papa propugnaſſe etiam adverſus eum Hæreticorum baptiſmum nullum fuiſſe. Quod ſi hæreſis erat; cur quæ diu in Africa, ac Oriente viguit, & in quæſtionem quoque venit, a nemine damnata eſt? & quomodo S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, dum quæſtio ea inter Stephanum, & Orientales, Afroſque agi-

tare-

Digitized by Google

taretur, in Epiſtola ad ipſum Stephanum ſcribere potuit apud Euſebium lib. 7. cap. 4. *cunctas per Orientem, & ulterius poſitas Eccleſias, quæ prius erant diſciſſæ, Novati turbulentam novitatem deteſtantes inter ſe pacem iniiſſe; & omnes Eccleſiarum ubicunque Antiſtites unum, idemque ſentire; & ob redditam inſperato pacem incredibili gaudio exultare &c.?* ſi hæreſis fuiſſet rebaptizare hæreticos, tunc Epiſcopi Catholici pacem habuiſſent cum illis, qui hæreſim ſentirent, ac defenderent, quod etiam dicendum eſſet de Papa Stephano, ſi illam non damnaſſet: conceditur enim, aſſertores opinionis Cyprianicæ etiam poſt obitum Stephani, ac ſub ejus ſucceſſore Sixto extitiſſe; & ſi non Stephanum, de quo ambigitur, Sixtum certe neque Orientales, neque Afros illius opinionis aſſertores abſtentos pronunciaſſe, quod quidem cohærere nequit cum eo, quod error, & opinio Cyprianica veritati Catholicæ aperte repugnaret. Id plane Clerus Romanus non ſenſit, alioquin in Epiſtola 30. inter Cyprianicas ad S. Cyprianum ſcripta non dixiſset: *novimus Carthaginienſis Eccleſiæ fidem, novimus inſtitutionem*: etſi noverat Afros jam uſque ab Agrippino Epiſcopo morem rebaptizandi Hæreticos vel tenuiſse, vel confirmaſse, legeratque Cypriani librum de Unitate, in quo perſpicue docetur ea ſententia. Non id Euſebius, ſeu Rufinus in verſione Hiſtoriæ Euſebii lib. 7. cap. 2., quo loco tradit, Cornelium Papam contra Cyprianum, & Afros decreviſse, *manente Sacerdotali concordia*, Hæreticos non eſse rebaptizandos: quare Vaſquez in 3. par. S. Thomæ to. 2. q. 64. diſp. 137. cap. 1. inquit, Cypriani ſententiam; licet a Cornelio Papa, & poſtea a Stephano ſucceſsore coactis etiam ad id Epiſcoporum, & Sacerdotum Italiæ Conciliis confutata fuerit; ipſeque Cyprianus in ſententia perſtiterit, tamen quia nondum id ab Eccleſia in Generali Concilio fuerat definitum, nec oppoſitum aſserentes tanquam Hæretici damnati, hæreſim apertam non fuiſse; citatque pro ea re Card. Bellarminum. Non denique Magnus Baſilius, qui etiam hanc Afrorum ſententiam eſt conſectatus, non Hieronymus, non Eccleſia ipſa hæreſim exiſtimavit Cypriani ſententiam; cum Cyprianum inter Sanctos habeat, & colat: de qua re paulo fuſius agam ad Propoſ. IV. Theor. V. num. V.

Ad

Ad Propoſ. VII. *Antilogia Cyprianica per Auguſtinum demonſtrata Auguſtini ſyſtema in hypotheſi affirmans transfert ad abſolutum negans* =

Satis quidem compertum eſt, Auguſtinum Cypriani pro rebaptiſmo Hæreticorum rationes vellicare, & Cyprianum Cypriano confutare; vel, ut id agat, laborare; compluribuſque Cypriani ſententiis ex receptis ejuſdem Opuſculis collectis demonſtrare Baptiſmum rite ab Hæreticis conferri: ſed an Auguſtinus Cyprianum vincat, nec ne, non ſatis exploratum eſt mihi, ſive non ſatis reſpondere queo; quæſtionem enim hanc inimotam eſſe cenſeo oportere, niſi per quædam liceat; cum S. Hieronymus moneat: *periculoſum eſſe de Magiſtrorum Eccleſiarum judicare ſententiis, & alterum præferre alteri*. Illud autem profecto mihi ſcire videor, ac modo reſpondere poſſum, etiamſi vincat Auguſtinus, non propterea Cyprianum ſecum pugnare; & ſi non vincit, nec etiam Donatiſtis imponere: non quidem primum, quia Cyprianus *has rationes arripuit*, inquit idem Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 8., *quas modo nos... diligentius conſiderantes veri potius ſimiles, quam veras eſſe invenimus, quæ illi veræ viſæ ſunt;* lib. quoque 2. cap. 7. & cap. 8. Cypriani hac de re *rationes veriſimiles* dicit; & lib. 3. cap. 2. habet: *Video tamen quid adhuc a me poſſit inquiri, videlicet ut reſpondeam veroſimilibus illis rationibus, quibus vel ante Agrippinus, vel ipſe Cyprianus, vel illi, qui eis in Africa conſenſerunt &c.:* atqui veriſimilia dicere non eſt ſecum pugnantia referre; & ſentire malos Catholicos rite baptiſmum miniſtrare poſſe, non autem Hæreticos, & Schiſmaticos, quod eſt id, quo jugiter, ac perpetuo Cyprianus carpitur ab Auguſtino; non eſt in antilogiæ vitium impingere. Nec etiam ſecundum; nam cur non potuit Auguſtinus errare, quemadmodum ejus Retractationum libri teſtificantur; & tamen Donatiſtis non imponere? Poſtea ſive Cyprianum evincat Auguſtinus, ſive non; Donatiſtas ſine dubio refellit, ac confutat; cum haud parum diverſa eſſet ratio de Cypriano, atque illa de Donatiſtis: ille, ut non ſemel enunciatum eſt, Hæreticos, ac Schiſmaticos dicebat eſſe rebaptizandos, iſti vero inſuper & Catholicos: ille tum, cum nova quæſtio eſſet, & obſcura, ac nondum definita; iſti, ut ait Auguſtinus, poſt Concilium

totius

totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ conſenſionem contrarium ſentire voluerunt: præterea Donatiſtæ, inquit paulo ante commemoratus Vaſquez, non tantum Hæreticos, ſed & quoſcunque Miniſtros malos baptizare non poſſe defendebant; & tandem alterius opinionis aſſertores damnabant; quæ quidem nunquam Cyprianus admiſit. Et quum additur, ſi ſerio Cyprianum convicit Auguſtinus; ſerio igitur is exiſtimavit, illum videntem, prudentemque in ſententiarum repugnantiam multoties lapſum eſſe; quo nihil gravius, nihil acerbius dici, aut excogitari poteſt & contra Cypriani doctrinam, & in ſummum Auguſtini erga S. Cyprianum obſequium: primùm jam dictum eſt, Cyprianum erroris quidem convictum ab Auguſtino, ſed non ſententiarum repugnantiæ: deinde ſi repugnantiam quoque ſententiarum in eo depræhendiſſet Auguſtinus; non multum id obeſſet Cypriani doctrinæ, qui plurima alia præclare cogitata, & maximi uſus edidiſſe cognoſcitur; & cum fere neminem virorum doctorum lateat; quam difficile ſit, in multa, variaque ſcriptione non aliquando aliquid ita dicere, ut ſibi ipſe non conveniat: nec id imminueret ſummum erga illum Auguſtini obſequium, qui ſciret, ſe quoque non unum, ſed plures ſuorum erratorum Retractationum libros edere coactum; & qui proinde lib. 4. ad Vincentium Victorem de origine Animæ poſt annum 420. elucubrato c. 1. ſcripſit: *negare non poſſum, nec debeo; ſicut in ipſis moribus, ita multa eſſe in tam multis Opuſculis meis, quæ poſſint juſto judicio, & nulla temeritate damnari:* nec non lib. 2. de dono Perſeverantiæ cap. 21. *quamvis neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, quibus me non errare perſpexerit... Quandoquidem arrogantius loquor, quam verius; ſi vel nunc dico me ad perfectionem ſine ullo errore ſcribendi in iſta ætate veniſſe:* ſcripſit autem hoc Opus paulo ante mortem: nec diverſa multum habet in Epiſtolis 7. ad Marcellinum, & 111. ad Fortunatianum. Summum enim erga illum obſequium ſervaſſe Auguſtinum etiam, dum contra eundem ſentit, manifeſtum fit ex ejus lib. 6. de Baptiſmo cap. 2., ubi extat: *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, perſolvens pacifico Epiſcopo, & glorioſo Martyri Cypriano audeo tamen dicere eum aliter ſenſiſſe de Schiſmaticis, vel Hæreticis baptizandis, quam poſtea veritas prodidit non ex mea, ſed ex*

uni-

univerſæ Eccleſiæ ſententia plenarii Concilii authoritate roborata, atque firmata: ſicut venerans pro ſui merito Petrum primum Apoſtolorum, & eminentiſſimum Martyrem audeo tamen dicere, non eum recte feciſſe, ut Gentes judaizare cogeret; etiam hoc enim dico non ex mea, ſed ex Pauli Apoſtoli ſalutari doctrina per Eccleſiam univerſam retenta, atque ſervata: & lib. 2. contra Creſcon. cap. 31. *Nos enim nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet literas a canonica Divinarum Scripturarum authoritate diſtinguimus... Ego hujus Epiſtolæ non teneor; quia literas Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero; & quod in eis Divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo... Nunc vero quoniam canonicum non eſt, quod recitas, ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri, cujus laudem conſequi non valeo, cujus multis literis mea ſcripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc, quod aliter ſapuit, non accipio: non accipio, inquam, quod de baptizandis Hæreticis, & Schiſmaticis B. Cyprianus ſenſit; quia hoc Eccleſia non accipit.* Sicut nec Cypriani doctrinæ, nec ejus magnæ venerationi quicquam officit, quod Lactantius Firmianus lib. 5. Inſtit. Divin. cap. 4. profiteatur id ſe impleturum, quod Cyprianus non executus eſt in Oratione contra Demetrianum; *qua materia*, inquit, *non eſt uſus, ut debuit; non enim Scripturæ teſtimoniis, quam ille utique vanam, fictam, commentitiam putabat; ſed argumentis, & ratione fuerat refellendus;* cum tamen eundem paulopoſt, & antea cap. I. eximie commendet ipſe Lactantius, dicatque etiam, eum admodum multa conſcripſiſſe *in ſuo genere miranda*.

THEOR. III.

Ad Propoſ. I. *Summum, atque perpetuum S. Optati de Cypriano ſilentium in quæſtione de Rebaptizatione* =

MIror, ſi Vindici Cyprianico non innotuit id, quod eruditi omnes probe norunt, vel certe ſcire deberent; *Parmenianum*, quem confutare aggreſſus eſt Optatus Milevitanus, non fuiſſe unum, eundemque primum Donatiſta-

rum,

rum, qui pro parte Donati Apologiam evulgaverit, ſed *Vitellium Afrum*, qui ſub Conſtante filio Conſtantini anno 350. defuncto, claruit, eum præiviſſe, ac pro Donatiano Schiſmate ſcripſiſſe, ut apud Gennadium eſt de Viris Illuſtribus: quin quod & ante omnes *Donatus* Carthaginienſis ediderat *multa ad ſuam hæreſim pertinentia* teſtante S. Hieronymo lib. de Scriptor. Eccleſ. cap. 92., ejuſque *Epiſtolam*, in qua ille agebat, *ut nonniſi in ejus communione baptiſma Chriſti eſſe credatur*, commemorat S. Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 21., contra quos veriſimile eſt, aliquem ex Catholicis ſcripſiſſe, quamquam ignoratum eſt. At fuerint primi & Parmenianus pro Donatiſtis, & S. Optatus pro Catholicis in hoc bello congreſſi, primi de hujus facti controverſia Scriptores; numquid utriuſque de Cypriano ſilentium ſuſpicionem augere poteſt, Epiſtolam Cypriani ad Pompejum, & alia, quæ pro anabaptiſmo nomine Cypriani circumferuntur, a Donatiſtis poſt Optatum, & Parmenianum fuiſſe conficta? non plane; ſi quidem opus Parmeniani non extat; ei vero, quod Optatus oppoſuit, non pauca deeſſe a multis adnotatum eſt: Sed etſi quoque nihil horum deeſſet; quia in eis nulla fieret mentio Epiſtolæ Cypriani ad Pompejum; eſſetne ea ob id conficta dicenda? non arbitror. Certe Hiſtoria Euſebii non dicitur ſuppoſititia, nec Epiſtolæ S. Dionyſii Alexandrini confictæ; & tamen nec a Parmeniano, nec ab Optato unquam commemoratæ leguntur; tametſi argumentum hoc, & controverſia de Hæreticorum baptiſmo dilucide docetur in illis. S. Hieronymus eo tempore, quo Parmenianus, & Optatus inter ſe diſceptabant, Dialogum compoſuit adverſus Luciferianos, in quo Epiſtolas Cypriani ad Stephanum, ad Jubajanum, & ad Pompejum non ſolum meminit, ſed etiam fragmenta duarum adducit: extabant igitur illæ jam tum, quum Optatus, & Parmenianus ſcribebant; quare autem iſti illis non ſunt ullo modo uſi; ob eam nimirum rationem, ob quam nec Petilianus in literis, ac libro de Unitate, nec Gaudentius, nec Emeritus, nec Fulgentius Donatiſtæ in ſuis contra Catholicos elucubrationibus illas unquam adhibuerunt; quamquam ſcripſerunt, poſtquam & Hieronymus, & Auguſtinus eas ipſas meminerant. Etenim Donatiſtarum illi, qui prorſus bardi, tardique non erant, nullo negotio intelligebant, eas ſibi nihil prodeſſe; propterea quod Cyprianus

a mi-

a miniſterio baptiſmi eos tantum arcebat, qui extra Eccleſiam eſſent; Donatiſtæ vero etiam Miniſtros quoſcunque malos: ille Schiſmaticos, & Hæreticos ſolos iterum baptizandos dictabat; iſti amplius & Catholicos; quod ſi Catholicos pro traditoribus, & Paganis, aut etiam Schiſmaticis habebant; id antea probandum erat: denique pertimeſcebant id, quod ſemper in eos retorſit Auguſtinus: Cyprianus Hæreticos, & Schiſmaticos edixit rebaptizandos; ſed ſchiſma non fecit, Eccleſiam non ſcidit; vos autem & ſchiſma creaſtis, & in illo obdurati perſiſtitis: urgebatque potiſſimum eos & ex Concilii Oecumenici, totiuſque Eccleſiæ conſenſu; & quod nunquam probare potuerint, Catholicos fuiſſe traditores; unde tota de Donatiſtarum anabaptiſmo controverſia pendebat. Quapropter nemini mirum eſſe debet, ſi Parmenianus omnino ſiluerit de ea ad Pompejum, aliiſque ad alios Cypriani Epiſtolis; & ſi nihil de eiſdem legamus apud Optatum Milevitanum; qui quoque non memorat leges Imperatorum contra baptiſmum iterantes latas, illam nimirum Conſtantis, al. Conſtantii ad annum 348., aliam Valentiniani I. anno 373., & tertiam Gratiani anno 377. editam ex Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 6. lib. 2. *ne ſacrum baptiſma iteretur:* non ſtatutum Concilii univerſalis totius Orbis, univerſæque Eccleſiæ ante natum Auguſtinum celebrati, quod toties idem Auguſtinus Donatiſtis oppoſuit: non illud univerſalis totius Africæ ſub Grato Epiſcopo anno 349. habiti Carthagine. Qui ſimiliter ſi lib. 4. illud Pſalmi 140. *oleum autem peccatoris non impinguet caput tuum:* adducit ſine Cypriani mentione; quid mirum, ſi etiam Petilianus in literis apud S. Auguſtinum lib. 3. cap. 33. illud ipſum refert; & tamen Cyprianum nullo modo nominat; etſi multo ante Petiliani ætatem extabat, & legebatur Cypriani Epiſtola, quæ dictum illud continet? De Parmeniano quoque haud valde mirari ſubit & ob eas, quæ dictæ ſunt de Optato, ac Petiliano, cauſas, & quod in Africa peregrinus eſſet, uti eum vocat Optatus lib. 1. num. 5., ubi & notat, propter id eum quædam dixiſſe, atque ſcripſiſſe, quæ Catholicis favebant, & ipſos Donatiſtas, pro quibus dimicabat, oppugnabant; additque: *nihil contra nos a te dictum eſt, niſi quod ignoranter dixiſti... tolle hanc calumniam, & noſter es.* Et ſi lib. 1. in hoc potiſſimum incumbit Optatus, ut Donatiſtarum ſchi-

ſma funditus evertat; ad id conſequendum & concluſio Epiſtolæ Cypriani ad Jubajanum, & præfatio Concilii III. Carthagin. opportunæ quidem erant, & idoneæ, ſed multo magis & liber ejuſdem Cypriani de Unitate, & nonnullæ aliæ ejus receptæ ab omnibus Epiſtolæ; quibus tamen non Optatus utitur, utitur autem Auguſtinus. Porro quum ipſe idem Optatus air non Cæcilianum, ſed Majorinum, ac Parmenianum *a cathedra Petri, vel Cypriani* receſſiſſe; Parmenianus nequaquam reſpondere poterat; non ſe, nec Majorinum a Cathedra Petri, vel Cypriani deſciviſſe, ſed Cæcilianum, qui a Cypriani ſententia de rebaptizandis Hæreticis diſceſſerat, in qua ipſi perſtiterant: quoniam recedere ab opinione Cypriani cum univerſa Eccleſia, cui per plenarium totius Orbis Concilium *patefacta veritate* ipſe Cyprianus *cum Concilio Provinciæ ſuæ ceſſiſſet*, teſtimonio S. Auguſtini lib. 2. de Baptiſmo cap. 4., non eſt recedere a Cathedra Petri, vel Cypriani; ſed recedere ab unitate Eccleſiæ, & ſchiſma creare, atque fovere; ut Majorinus, & Parmenianus feciſſe noſcuntur. Non itaque, quia neuter Cyprianum oppoſuit, utrumque latuiſſe integram de Cypriano rebaptizante hiſtoriam ſtatuendum eſt; neque pronunciandum, non temere affirmari poſt S. Optati Milevitani, ac Parmeniani Donatiſtæ tempora eam hiſtoriam a Donatiſtis fuiſſe confictam.

Ad Propoſ. II. *S. Optati Hiſtoria de rebus Donatianis in magna apud ipſos Donatiſtas exiſtimatione*

S. Optati Hiſtoriam de rebus Donatiſtarum in magna apud ipſos Donatiſtas exiſtimatione fuiſſe, ſi eſt qui ſentiat; ego non puto; cum neque extet, quo id probetur, neque veriſimile ſit, eum, qui Donatiſtas ſcriptis inſectatus eſt, eorum vitia modo denudando, modo crimina referando, & ſchiſma, erroreſque refellendo, a Donatiſtis in magna habitum eſſe exiſtimatione. Quod enim S. Auguſtinus habet in Brevic. Collat. 3. diei cap. 19. Donatiſtas *velut aliquid validiſſimum* prolaturos petiiſſe, *Optatum legi; unde ſe probaturos dicebant, Cæcilianum ab Imperatore damnatum: Optatumque legi multo inſtantius flagitaſſe:* non probat, Hiſtoriam S. Optati a Donatiſtis habitam fuiſſe in pretio; ſed tantummodo Donatiſtas voluiſſe Catholicos per Catholicum

Scri-

Scriptorem convincere; eoſque propriis, ut ajunt, armis jugulare; quamquam longe ſecus rem accidiſſe ſatis compertum eſt: Et quidem ſi Optati Hiſtoria in magna apud Donatiſtas erat exiſtimatione, cur S. Auguſtinus contra illos de Hæreticorum baptiſmo diſputans nunquam ejus nititur authoritati, nunquam adduxit, laudavit nunquam? Illud quoque minus conſequitur; ſi a Donatiſtis *Optatum extenuaſſe Cæciliani damnationem, & exprimere noluiſſe* aſſerentibus flagitatum eſt, ut aliunde id demonſtrarent; etiam flagitari poſſe, ut Cypriani ſententia pro rebaptizantibus ab Optato, & Parmeniano prætermiſſa aliunde ante eos oſtendatur: nam Cæciliani damnatio a Donatiſtis nullo modo demonſtrari potuit; de Cypriani ſententia pro Hæreticorum rebaptiſmo etiam ante Optatum, & Parmenianum nullo negotio demonſtratur, non quidem Euſebii Hiſtoria, non quod iſta ſummopere non probet, ſed quia video modo non placere, nec oportere; verum literis S. Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, quas ſe legiſſe teſtatur S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ., & ipſius Cypriani monumentis ab omnibus receptis; ut infra ſuo loco dicetur, & exponetur, præter ejuſdem Hieronymi Dialogum adverſus Luciferianos ſi non ante Optatum, & Parmenianum, temporibus certe eiſdem conſcriptum, & ante Tyconium, qui a Gennadio dicitur floruiſse poſt annum 384., & ad quem Parmenianus ſcribens Epiſtolam ab Auguſtino confutatam nullam de Cypriano mentionem feciſse legitur: tantum a vero diſtat, ut & rumor de Cyprianico rebaptiſmo poſterior ſit Optato, ac Parmeniano; & illi illius non meminerint, quia nullus erat.

Ad Propoſ. III. *Optatus ipſe in facti, & juris quæſtione ſuas habet hypotheſes* =

Utique tametſi Cypriani de rebaptizandis Hæreticis Hiſtoria in *hypotheſi* Donatiana ab Optato recenſeretur, nullum tamen ſententiæ Catholicæ negotium crearetur; quum ea ipſa ab Auguſtino, & aliis etiam abſolute relata detrimenti nihil Catholicis attulerit; & quum ea tunc dici poſsent de Optato, quæ de Auguſtino dicuntur ab his, qui ſibi blandiuntur, Auguſtinum de rebaptiſmo Cypriani in hypotheſi Donatiana loqui: quemadmodum ſi Auguſtinus, & anti-

antiquorum alii de ea Cypriani ſententia nullo modo verba fecisſent; de ipſis ſine dubio diceretur id, quod jam de Optati, aliorumque ſilentio dictum eſt. At Optatum ne in hypotheſi quidem Cypriani factum, ac ſententiam commemoraſſe; quæ poteſt eſſe admiratio, poſteaquam ille omnino, & abſolute ea de re ſilentium tenuiſſe ſcitur? non quod & ipſe interdum hypotheſes non habeat, ac nonnunquam ſupponendo non loquatur; & quis unquam eſt, qui ſive loquatur, ſive literis aliquid committat; ut argumenti, ſermoniſque ratio poſtulat, modo abſolute, modo in hypotheſi non loquatur, & non ſcribat? Sed abſtinuit Optatus de facto, atque ſententia Cypriani ne in hypotheſi quidem verba facere ob eam plane rationem, qua proxime dictum eſt, eum omnino, & abſolute de ea conticuiſſe; & ob eam etiam cauſam, quæ ſupra allata eſt ad Axioma II. pro ſuo Syſtemate. Igitur quod neque ſupponendo Optatus Cyprianum meminerit, apertiſſimo non eſt argumento, eam Cypriani ſententiam a Donatiſtis poſt Parmeniani tempora prodiiſſe; nulloque Africano monumento fulciri, quod falſitatis poſtulari non poſſit; ut hactenus oſtenſum eſt.

THEOR. IV.

Ad Propoſ. I. *Profundum Pontii de Cypriani Rebaptiſmo ſilentium* =

Pontius S. Cypriani Diaconus, ejuſque vitæ magis encomiaſtes, & laudator, quam ſcriptor, & hiſtoricus nullam de Hæreticorum baptiſmate iterando mentionem fecit; non quo id Cyprianicæ gloriæ repugnaret; aut quo Cyprianicam palinodiam ſatis compertam haberet; nam hæc profecto nulla fuit; liberque *de Pœnitentia S. Cypriani* apocryphus dicitur in decreto Gelaſii Papæ de Libris recipiendis, & rejiciendis; & illud nihil Cyprianicæ gloriæ detrahebat; cum ſciret, *quod illi propterea non obfuit; quia in ea pace, unde iſti aberraverunt, qui viam pacis non cognoverunt, perſeverantiſſimis uſque in finem greſſibus ambulavit*, ut ait S. Auguſtinus lib. I. de Baptiſmo cap. 19., ſed quia ille neque ad laudem ullam, neque ad vituperationem, atque infamiam id vergere cognorat. Quid enim laudis demum, quidve vituperii

perii unquam præſetulit ſentire cum quibuſdam contra nonnullos de re ad variam diſciplinam attinente ſecus opinantes; & de ſua unicuique Regioni conſuetudine ſervanda diſceptantes? Poſtea nonne Pontius ipſe fatetur ſe multa, & magni momenti præteriiſſe de S. Martyre; & quam ob cauſam id fecerit, ſignificat, cum ait: *multa alia, & quidem magna prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur*? Propterquod nihil de Novati, Novatianique turbulento ſchiſmate; atque alio illi e diametro oppoſito Feliciſſimi, Fortunatique diſſidio; nihil de Martiali, ac Baſilide lapſis Epiſcopis; de baptiſmo Clinicorum, & Infantium; nihil de magna illa, longaque circa lapſos controverſia, ac frequenti per eum de ea re celebrato Concilio; & uno verbo pauca admodum de Vita S. Cypriani habemus ex Pontio; qui potius, ut dixi, ſermonem texuit, & encomium, quam Vitam, factorumque ejus hiſtoriam. Non eſt igitur ab eo petenda neque de Hæreticorum baptiſmate iterando ſententia, neque Concilium III., aliaque a Cypriano ea in controverſia Carthagine coacta; neque iſta hæc exiſtimanda nulla, ac commentitia, propterea quod apud Pontium non legantur; nam neque apud S. Lucam Pauli comitem in Actis Apoſtolorum, in quibus præſertim is Acta Pauli deſcribit, legimus contentionem inter Petrum, & Paulum Antiochiæ actam de convictu cum Gentibus coram iis, qui ex circumciſione erant; quam Paulus ipſe ad Galatas 2. commemorat: & tamen impius erit, quicunque Epiſtolam Pauli ad Galatas auſus eſſet commentitiam aſſerere.

Ad Propoſ. II. *Anonymi Tractatus adverſus Rebaptizantes ſententiam de Cyprianico Rebaptiſmo commentitiam demonſtrat* =

Complures quidem viri, iique plane docti; & eruditi de *Anonymi Tractatu adverſus rebaptizantes* edito, & a Rigaltio primum evulgato verba fecerunt; ſed eos omnes de ipſo differentes minus attentos fuiſſe video; ſive tempus, & authorem; ſive argumentum ipſum conſiderem. Nec enim Cypriani ætate ſcribere ille quivit, ut probe dixerunt Baluzius, & alii quidam; neque etiam ſeculo ſequenti, ut multi arbitrantur; qui quod in codice Vaticano teſtimonio Labbei Tra-

Tractatus ille dicatur *Urſini*, exiſtimant quoque eſſe opus illius Urſini, de quo Gennadius agit in libro de Viris Illuſtr. cap. 27., verum Urſinus Gennadii *Monachus* erat, ut ibi nuncupatur, Monachi autem illis temporibus nedum baptizare non poterant, ſed neque in ordine Clericorum erant; ut advertit Card. Noriſius lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 3., liquetque, cur Timotheus Præsbyter CP., qui claruit anno 500., in Tractatu de differentia Hæreticorum ad Orthodoxam Eccleſiam revertentium Pelagium Hæreticum neque in laicali, neque in Clericorum ordine fuiſſe dicit, nimirum quia Monachus erat: Authorem porro *Tractatus adverſus rebaptizantes* in ordine Clericorum extitiſſe, perſpicuum faciunt illa ejus verba: *aut ſi a minore Clero per neceſſitatem traditum fuerit* (baptiſma), *eventum expectemus; ut aut ſuppleatur a nobis; aut a Domino ſupplendum reſervetur:* ergo Author hujus Tractatus Urſinus Gennadii neutiquam eſſe poteſt; ſi quidem erat in ordine Clericorum majorum. Deinde argumentum Urſini Monachi diverſum fuiſſe videtur ab argumento hujus Anonymi: *Urſinus Monachus*, inquit Gennadius, *ſcripſit adverſus eos, qui rebaptizandos Hæreticos decernunt, docens nec legitimum, nec Deo dignum rebaptizari illos; qui in nomine ſimpliciter Chriſti, vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti quamvis pravo ſenſu baptizentur; ſed poſt ſanctæ Trinitatis, & Chriſti ſimplicem confeſſionem ſufficere ad ſalutem manus impoſitionem Catholici Sacerdotis:* Anonymus vero iſte reſpondet quæſtioni motæ, an aliquis ab Hæreticis baptizatus tantum *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti* vere eſſet baptizatus; quapropter Tractatui ſuo titulum indidit: *Non debere denuo baptizari, qui ſemel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint tincti:* quæſtionemque eam inter fratres excitatam indigitat, cum ait: *Animadverto quæſitum apud Fratres, quid potius obſervari oportet in perſonam eorum, qui in hæreſi quidem, ſed in nomine Dei noſtri Jeſu Chriſti ſint tincti; poſtmodum inde digreſſi, & ſuppliciter ad Eccleſiam Dei advolantes... utrum vetuſtiſſima conſuetudine, ac traditione Eccleſiaſtica poſt illum, qui foris quidem, ſed in nomine Jeſu Chriſti Dominicum acceperunt baptiſma, tantummodo imponi eis manum ab Epiſcopo... perinde ac ſi nunquam baptizati in nomine Jeſu Chriſti forent:* monenſque ſe quoque poſt aliquos de hac quæſtione ſcribere, totus eſt; ut probet, validum

lidum eſſe, ac verum baptiſma miniſtratum *in nomine Domini Jeſu Chriſti : & circa eos, qui tantummodo in nomine Chriſti Jeſu baptizati fuerint :* idque magis apparet, quum ſibi ipſi objicit, aut per anteoccupationem ait: *nec æſtimes huic Tractatui contrarium eſſe, quod dixit Dominus : ite, docete Gentes, tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti : quia cum hoc verum, & rectum, & omnibus modis in Eccleſia obſervandum ſit ; & obſervari quoque ſolitum ſit : tamen conſiderare oportet, quod invocatio nominis Jeſu non debet a nobis futilis videri propter venerationem, & virtutem ipſius nominis.* Et hac de cauſa *quæſtionem novam* appellat; nam de Baptiſmo Hæreticorum dumtaxat, & abſolute quæſitum ſemel fuerat, ac diſputatum jam pridem ſeculo Eccleſiæ III. ab Orientalibus; iterumque inter illos, Afroſque, & Stephanum Papam, an verum eſſet, diſceptatum: de baptiſmo etiam Hæreticorum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* collato Synodus I. Arelatenſis paulopoſt ſanxerat, ratum eſſe baptiſma: reſtabat igitur adhuc inquirendum, an baptiſmus ab Hæreticis *in nomine Jeſu Chriſti* adminiſtratus verus eſſet, an vero iterandus. Quandoquidem etſi Stephanus, aliique apud Cyprianum aſſererent, baptiſmum extra Eccleſiam datum ſive in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſive in nomine Jeſu Chriſti verum, ac ratum eſſe Sacramentum; tamen Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum ſcripſit: *Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Eccleſiam modo in nomine Jeſu Chriſti ubicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, cum ipſe Chriſtus gentes baptizare jubeat in plena, & adunata Trinitate?* Quæ poſtea locum dedere quæſtioni, utrum baptiſmus ab Hæreticis præſertim datus tantum *in nomine Jeſu Chriſti* verus baptiſmus eſſet: quemadmodum de illo *ſolummodo in nomine Domini* adminiſtrato quæſitum fuit, ut Pelagius Papa Gaudentio Epiſcopo reſponſum dederit cap. *Si revera* de Conſecrat. diſt. 4. *Si revera hi de Hæreticis, qui de locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, ſolummodo ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe forſitan confitentur; ſine cujuſquam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in S. Trinitatis nomine baptizabis : ſin vero &c.* Et ſatis notum eſt, tametſi baptiſmus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti collatus ſemper omnibus vel Ca-

tholicis eſt probatus; tamen de eodem etiam a Catholicis dato tantum *in nomine Jeſu Chriſti* plures varie ſenſiſſe. Verum baptiſmum eſſe ſcripſerunt S. Hilarius Pictavienſis libro de Synodis, Ambroſius lib. de Spiritu Sancto cap. 3., Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium Rothomagen. Epiſc. cap. 8., Beda in Epiſt. Pauli, Synodus magna Francofordien. anno 791., & Nicolaus I. Conſ. 104. ad Bulgaros: ſed Vigilius Papa Epiſt. Profuturo al. Eutherio Braccaren. Epiſcopo ſcripta anno 538. cap. *6.* eos damnat, qui *non baptizaverint in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed in una perſona Trinitatis;* quamquam caput illud additum videri poteſt, eo quod quibuſdam in codicibus non extet: certe Pelagius Papa cap. *Multi ſunt* de Conſecrat. diſt. 4. ita Gaudentio Epiſcopo reſcripſit: *Multi ſunt, qui in nomine ſolummodo Chriſti una etiam merſione ſe aſſerunt baptizare: Evangelicum vero præceptum ipſo Deo, & Domino Salvatore noſtro Jeſu Chriſto tradente nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam merſione ſanctum baptiſma unicuique tribuere; dicente Domino diſcipulis ſuis: ite, baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De hoc autem Anonymi Tractatu iterum verba faciam ad num. III. Theorem. VII.

Quoniam igitur Authorem hujus Tractatus dictum eſt neutiquam eſſe poſſe illum Gennadii Urſinum, quem Trithemius tradit lib. de Scriptor. Eccleſ. ſeculo V. floruiſſe ſub Theodoſio juniore anno 440., etſi Gennadius, qui ordine temporum incedit, paulo antiquiorem facit, dum ante S. Auguſtinum, Joannem Hieroſolymitanum, & Theophilum Alexandrinum Antiſtites eum collocat: non deerit fortaſſe, qui putet extitiſſe *Urſinum* illum Monachum Gallum, qui in fine ſeculi VII. vixit, ſcripſitque vitam S. Laodegarii Epiſcopi: mihi tamen veriſimilius videtur, fuiſſe *Urſicinum* illum Epiſcopum, qui a Gelaſio I. ad Dardanos Epiſcopos legatus eſt, ut ejuſdem Gelaſii Epiſtola 3. prodit; & ad quem Anaſtaſius II. Papa literas dedit in noviſſima Conciliorum Collectione vulgatas; quando quidem & Sirmondus legi tradit Urſicinum, non Urſinum; & ſi Tractatus verba illa: *aut ſi a minore Clero per neceſſitatem traditum fuerit* (baptiſma), *eventum exſpectemus; ut aut ſuppleatur a nobis &c.* attente perpendantur; & cum illis, quæ alias de duobus aquæ, & Spiritus baptiſmatibus habet; quorum ille a quocunque dari poſſit; iſte

vero

vero a ſolis Epiſcopis; illeque ab iſto ſuppleri debeat, conferantur; aut ego fallor, aut ſonant Authorem illum dignitate Epiſcopum fuiſſe. Quiſquis autem fuerit ille; id quidem mihi conſtitit, Tractatum iſtum neque contra S. Cyprianum exaratum eſſe, ut argumentum Operis per ſe ipſum palam facit, neque contra Donatum, ac Donatiſtas & ob eandem rationem; & quod non contra Hæreticos, aut Schiſmaticos ſcriptus ſit; ſed occaſione quæſtionis inter nonnullos aliqua ſocietate, aut officio, ac dignitate conjunctos motæ: *animadverto*, inquit, *quæſitum apud Fratres, quid potius obſervari oportet &c.*, quapropter verba illa: *ſed non tam ornate, ut tu, & compoſite:* ſi non dicta ſunt ad Cyprianum; multo minus etiam credendum eſt dicta fuiſſe ad Donatum ſchiſmatis anteſignanum; cum legamus ibi & iſta quoque: *ut tu, & compoſite iſti quoque ſimpliciores homines myſterium fidei tradant. Dicturus es enim utique pro tua ſingulari diligentia hos quoque denuo baptizandos eſſe ... ſed enim virorum optime reddamus &c*: quæ ſane a viro Catholicæ Eccleſiæ alumno de tanti ſchiſmatis Authore, vel aſſertore dici, ac ſcribi potuiſſe non credo. Omnium vero ſumma hæc eſt, Anonymi *Tractatum adverſus rebaptizantes &c.* ſententiam de Cyprianico rebaptiſmo minime commentitiam demonſtrare.

Ad Propoſ. III. *Euſebii narratio de Cyprianico Rebaptiſmo repugnat cum Afrorum traditione* =

NOn Euſebius Cæſarienſis Antiſtes fabellam de Orientalium Anabaptiſmo Arianorum cauſa omnium primus excogitavit; neque alteram de Afrorum rebaptiſmo, quo Donatiſtis obſequeretur, illi adjunxit; ſed S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, a quo & Euſebius, & Hieronymus hauſerunt, nos certos facit, tam Orientales, quam Afros anabaptiſmo mordicus incubuiſſe, & contra Stephanum Papam, ut ſupra oſtenſum eſt, acriter diſceptaſſe. Quod enim Euſebius ſcripſerit Cyprianum fuiſſe *primum*, qui Hæreticos cenſuerit, cum ad Eccleſiam Catholicam accederent, eſſe rebaptizandos; minime repugnat cum Afrorum traditione, aſſerentium multis ante Cyprianum annis Agrippinum Epiſcopum hoc ipſum in Concilio ſtatuiſſe: propterea quod ſive Valeſii interpretatio arrideat, ſive Chriſtophorſoni, aut Pearſonii

Digitized by Google

ſonii tralationes recipiantur; Euſebius Cyprianum dixit *primum* comparate ad Stephanum, & ad alios, qui tum de ea re diſputabant, quæſtionemque moviſſe dicebantur: idque quidem mihi facile videtur elicere ex ipſius Euſebii textu lib. 7. cap. 3., qui habet: *Cum per id tempus non mediocris controverſia exorta eſſet; utrum eos, qui ex qualibet hæreſi convertuntur, baptiſmo purgari oporteret; quippe antiqua conſuetudo invaluerat, ut in ejuſmodi hominibus ſola manuum impoſitio cum precationibus adhiberetur. Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginienſem regebat Eccleſiam, nonniſi per baptiſmum ab errore prius emundatos admittendos eſſe cenſuit. Verum Stephanus nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus graviſſime id tulit:* juxta Valeſii interpretationem. at Chriſtophorſonus verterat: *Cyprianus Carthaginenſis Eccleſiæ Paſtor primus inter homines ejus ætatis non aliter quam per lavacrum baptiſmatis hæreticos erroris maculis ante ablutos in Eccleſiam admittendos exiſtimavit &c.*, Pearſonio vero ita placuit reddere: *Primus omnium ea tempeſtate Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus &c.*, at enim verborum Euſebii πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς ὁ κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν οὐδ' ἄλλως &c. quamquam ſervilis, & ſimplex, purior tamen interpretatio eſt: *Primus horum tunc Cyprianus Carthaginienſis Parœciæ Paſtor nonniſi per lavacrum prius ab errore expurgatos &c.* Et ſi Valeſius judice Pearſonio non vidit, quo illud τῶν τότε referre deberet; nec Pearſonius etiam, nec Chriſtophorſonus aut hoc ipſum viderunt, aut ſatis explicuerunt: nam Cyprianum Euſebius non dixit *primum omnium*, qui antea extiterant, ut perperam putavit Valeſius; nec *primum hominum ejus ætatis*, ſeu *omnium ea tempeſtate* abſolute, & indiſcriminatim, ut Chriſtophorſonus, & Pearſonius volunt; ſed *primum* eorum ſcilicet, de quibus ante ſermonem inſtituerat; dixerat enim: *cum per id tempus non mediocris controverſia exorta eſſet:* controverſia autem oritur, vertiturque inter aliquos; & nonniſi inter plures diſceptatur; fuit igitur Cyprianus tunc primus eorum, qui controvertebant, utrum hæretici ad Eccleſiam venientes eſſent rebaptizandi, primus quidem non qui quæſtionem excitarit; ſed qui editis pluribus Conciliis cenſuerit Hæreticos ad Eccleſiam accedentes denuo baptizandos eſſe: Stephanus quippe Papa nonniſi poſt ſecundum Cy-

priani

priani de ea re Concilium reſcriptum edidit; nihil innovandum eſſe, niſi quod traditum eſſet. Vel ſi quibus non probatur, illud τῶν ibi non pronominis *horum* locum tenere; ut apud Heſiodum τῶν eſſe loco relativi *quorum* adnotatum legitur in Græcorum Lexicis; ſed articuli vim retinere; illud tum ſuſpicari licebit, textum Euſebii mutilum eſſe, aut depravatum; ut vel ſuperflua, ac ſuperaddita ſit vocula illa τῶν: & quidem Valeſius in Annotat. ad hunc locum advertit, eam in Codice Regio non haberi; vel deſit nomen ἐπιςατῶν, quod Latine *diſceptantium* eſt. Neque enim aliter loqui exiſtimo potuiſſe Euſebium; ſi non erat ignavus, hebes, atque ſtupidus, qualis certe non erat: quoniam cum ex literis Dionyſii Alexandrini retulerit; longe ante Cyprianum habita fuiſſe in Oriente Concilia Iconienſe, Synnadenſe, & quamplura alia pro Hæreticorum rebaptiſmo; & cum, quod valde veriſimile eſt, ut erat homo eruditiſſimus, & omnigena lectione verſatus; legerit Tertullianum in Africa ante Cyprianum eam de Hæreticorum baptiſmo ſententiam docuiſſe, quam Cyprianus tenuit, quo pacto Cyprianum potuit aſſerere primum omnium illius ſententiæ autorem, ut explicat Valeſius? qui in hac re ſine dubio vincitur a Pearſonio, & Chriſtophorſono, iique duo interpretes propius veritati acceſſerunt hoc loco. Et ſi quis eſſe poteſt primus etiam paucorum, etiam duorum; cur dicere Cyprianum *primum omnium* ex Euſebio, ſi is *primum* dumtaxat, ac indefinite dixit? præſertim cum ex ejus lectione pateat, eum in primis de duobus loqui, atque de Cypriano comparate ad Stephanum; dum ait: *Primus tunc Cyprianus cenſuit .... Stephanus vero nihil novi &c.:* quod habet & Nicephorus Callixti, qui & ipſe non dixit Cyprianum *primum omnium* hanc de baptiſmo Hæreticorum iterando ſententiam in Africam invexiſſe; ſed ut Euſebius facta comparatione ad Stephanum ita de Cypriano ſcripſit lib. 6. cap. 7. *Cyprianus quippe Apher primus opinatus eſt oportere eos, qui ab hæreſi converterentur, lavacro expiari, & recipi: Stephanus contra nihil ea in re præter receptam conſuetudinem novandum eſſe.* Eadem quippe licentia Valeſius ibi vertit: *non ab Afris ſolis hunc morem nunc primum invectum fuiſſe &c.*, cum exemplaria Græca *nunc primum* non habeant; veriuſque tranſtulit Chriſtophorſonus: *jam invexerunt*. Sed

&

& S. Auguſtinus, antequam Euſebii Hiſtoriam evolverit, quid aliud habet niſi id, quod Euſebius ſcripſit? lib. enim 2. de Baptiſmo, poſtquam cap. 7. dixit, S. Cyprianum affirmaſſe *ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum quaſi cœpiſſe corrigi*, cap. 8. perhibet: *nec arbitror, B. Cyprianum propter aliud contra conſuetudinem, quid ſentiret, liberius expromſiſſe, prioremque dixiſſe; niſi ut alium, ſi forte exiſteret, cui eſſet melius revelatum, gratiſſime acciperet*: & paulo poſt addit: *quam tamen conſuetudinem niſi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam coepiſcopi ejus etiam per Concilii ſententias diſſerere tentaviſſent; non auderet iſte ſaltem ratiocinari adverſus eam*: cum Auguſtinus Agrippinum dicat *priorem*, cur Cyprianum quoque *priorem* dicit? niſi quia Agrippinum comparat, referique ad Cyprianum; hunc vero ad Stephanum, alioſque, qui tunc ea de re controvertebant, & inquirebant; utra conſuetudo potior eſſet. Euſebianæ porro lectioni ſimilis eſt alia Sozomeni, dum is lib. 6. cap. 25. de Apollinari hæretico verba texens ait: *Primus Damaſus Epiſcopus urbis Romæ, & una cum illo Petrus Alexandrinus Antiſtes, cum hanc hæreſim latius ſerpere intellexiſſent, Concilio Romæ congregato, eam ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decreverunt*: vel ut alia verſio habet: *Damaſus Epiſcopus Romæ, & Petrus Epiſcopus Alexandrinus certiores facti primi omnium Concilio Romæ convocato &c.* quod factum eſt anno 373. al. 375., & tamen hæc hæreſis antea damnata fuerat in Alexandrino S. Athanaſii Concilio anno 362. ſub Liberio Papa. Qua in re ſi Sozomenus interpretari poteſt, eum loqui de tempore eo, quo plurimi, vel omnes hæreſim Apollinaris eliminarunt, quorum primi fuerint Damaſus Romanus, & Petrus Alexandrinus Epiſcopi; non autem de quocunque tempore; cur non etiam Euſebius explicari poterit de eo tempore, quo quæſtio ea inter Stephanum, & Cyprianum agitabatur? aut ſi erravit Sozomenus, & tamen verum erat de Apollinaris hæreſi; cur errare non potuit & Euſebius; & nihilominus veram eſſe Hiſtoriam de Cypriani rebaptiſmo?

Quibus ex rebus corruunt ea, quæ objiciuntur; quaſi percipi non queat, quomodo Cyprianus eo tempore primus ſtatuerit, Hæreticos nonniſi per baptiſmum expurgatos admit-

mittendos eſſe; quando id non egerit neque innovando, neque inſtaurando, neque opinando: Sed cur id agere non potuit ipſe confirmando? Cyprianus itaque inter eos, qui ſuo tempore hanc quæſtionem moverant, coacta Synodo primus cenſuit, ſanxit, ac confirmavit illud ipſum, quod antea Agrippinus Concilio omnium firmaverat. Quod itidem opponitur de Numidis Epiſcopis, qui & ipſi ſentiebant id, quod S. Cyprianus, quodque Provinciæ Proconſularis Antiſtites de rebaptiſmo: & quidni; ſi multo ante id jam ab Agrippino Epiſcopo in Concilio Antiſtitum Africæ Proconſularis, & Numidiæ ſancitum fuerat? quamquam igitur omnes Africæ, & Numidiæ Epiſcopi idem ea in controverſia ſentiebant; & Cyprianus, ac Epiſcopi Proconſularis Africæ Epiſtola 70. ad Epiſcopos Numidas ſcripſerunt *conſentes*; tamen Cyprianus utpote Primas, & Metropolitanus Africæ ab Euſebio, Auguſtino, aliiſque dicitur ipſe tantummodo cenſuiſſe; iccirco quod decreta Conciliorum plerumque aſcribi ſolent Primaribus, & Metropolitanis Epiſcopis, iiſque, qui Concilia convocant, & illis præſunt. Nec Numidiæ Epiſcopi verius, quam Cyprianus, apud Afros omnium primi dici poſſunt, qui veterem ſuæ gentis conſuetudinem ſolemni monumento a Cypriani Concilio mox confirmatam protulerint; propterea quod 70. Cypriani Epiſtola ad eoſdem Numidas prior numeratur inter Cyprianicas adverſus Hæreticorum baptiſmum: primum quia etſi in editione Pamelii Epiſtola ea ad Numidas prior eſt, tamen Baronius cenſuit ante omnes alias de hac re ſcriptam fuiſſe a Cypriano Epiſtolam ad Magnum, quæ Pamelio eſt 76., & Baronio quidem aſſentitur Pagius; Pearſonius vero locum, ex quo nonnulli eam poſt cæteras hujus argumenti datam conjecerunt, non imperite interpretatus eſt: deinde Numidæ illi decem, & octo Epiſcopi non ſtatuerunt quicquam in Concilio ſuper Hæreticorum baptiſmo, ſed ea de re ſcribere decreverunt ad Cyprianum; an mos, & conſuetudo, quæ jam in Africa inoleverat, quamque ipſi etiam ſervabant, adhuc tenenda eſſet adverſus eam, quæ Romæ, & alibi vigere dicebatur. Illud poſtremo Zonaræ, & Balſamonis; qui duo quidem ſunt Scriptores, ſed verba unius tantum Authoris, nam Balſamon eo loco Zonaram ad verbum exſcripſit, etſi utriuſque latina converſio valde diver-

ſa

ſa eſt; illud, inquam, minime attendi debet, Concilium III. Carthagin. Cypriani pro cauſſa baptiſmi Hæreticorum *omnium Synodorum antiquiſſimum* eſſe; cum vulgata Conciliorum Collectio, & vetera probatiſſima monumenta palam utrumque arguat erroris: & ut cæteras Regiones omittam; in ea ipſa Africa nonne certum eſt, ab eodem Cypriano omnium primum celebratum fuiſſe magnum illud pro cauſa lapſorum *copioſo Epiſcoporum numero, multum, diuque protractum* Concilium? nonne *Lambeſitanum* Concilium XC. Epiſcoporum præceſſit Cyprianum, cum habitum fuerit ſub Fabiano Papa a Donato Carthagin. Epiſcopo Cypriani prædeceſſore? Scriptores itaque commemorati utpote recentes, quippe qui floruerint ſeculo XII., ſubleſtæ, ſuſpectæque fidei ſunt in iis, quæ magnam referunt antiquitatem, recenſendis.

Ad Propoſ. IV. *Ruffinus in facto Cypriani diſcrepat ab Euſebio* =

RUffinus Euſebianæ Hiſtoriæ interpres non diſcrepat ab Euſebio in facto Cypriani; ſed in aliquo ſolum, quod factum contingit: uterque enim refert, Cyprianum in quæſtione de Hæreticorum baptiſmo a Romano Pontifice diſſenſiſſe; ſed alter a Stephano, alter vero a Cornelio, & Stephano diſſenſiſſe ſcribit: nec in promptu eſt affirmare, ſive demonſtrare; an Euſebius erraverit, & a Ruffino ſit emendatus; an vero textus Euſebianæ Hiſtoriæ Græcus, qui extat, ſit mendis inquinatus. Etenim videtur habuiſſe Ruffinus codicem græcum Euſebii diverſum ab illis, quos adhibuerunt Chriſtophorſonus, & Valeſius; cum Euſebius ex horum interpretatione lib. 5. cap. 16. tribuat Anonymo opus adverſus Cataphryges, quod Apollinarii Epiſcopi Jerapolitani vult eſſe codex Euſebianus a Ruffino in latinum converſus; cui quoque conſentit Nicephorus Callixti lib. 4. cap. 23., qui certe non a Ruffino, ſed utpote Græcus homo a Græco Euſebii codice deſcripſit, & lib. 6. cap. 2. videtur accedere etiam Ruffino quantum ad rebaptiſmi controverſiam, cum ſcribat Cyprianum ſub *Cornelio* Papa conſueviſſe *lapſos* non aliter recipere quam per baptiſmum; quod quoniam de Catholicis, & in Eccleſia lapſis falſum eſſe conſtat ex ipſius Cypriani Opuſculis; ambigi jure poteſt,

teſt, an de lapſis in hæreſim, & ſchiſma, ipſiſque Hæreticis, atque Schiſmaticis ſit explicandus; an autem erratum patraverit. Ut igitur inter eruditos viros convenire audio, Ruffinum Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam non modo latinam feciſſe; ſed etiam mutilaſſe, addidiſſe, & immutaſſe plura; ita ſubobſcurum eſſe puto, an idem eum ipſum Euſebianæ Hiſtoriæ codicem, ſimilemve illis, quibus uſi ſunt Chriſtophorſonus, & Valeſius, adhibuerit; an vero ſicut alibi, ita eo pariter loco aliquid addiderit, & immutaverit. Certe S. Cyprianus ſedente Romæ Cornelio Papa librum *de Unitate* Eccleſiæ compoſuit, eumque, ut Baronio, & Pagio adnotatum, Romam tranſmiſit anno 251., in quo perſpicue tradit baptiſma Hæreticorum, ac Schiſmaticorum eſſe nullum, & irritum; ut etiam infra videbitur. Quod autem Urbanus II. Epiſt. 17. ad Lucium S. Juventii Ticinen. Præpoſitum ſcribat, Cyprianum, ejuſque Provinciæ Epiſcopos ob ſententiam de baptiſmo Hæreticorum iterando a Cornelio, Stephanoque Romanis Pontificibus redargutos, non magni facio; eo quod a Ruffini verſione deſumptum credi poteſt; etſi Ruffinus plane non habet, illos redarguiſſe Cyprianum, ſed contrarium dumtaxat ſtatuiſſe.

Ad Propoſ. V. *Summum, ac diuturnum Donatiſtarum, & Catholicorum ante S. Auguſtinum de SS. Cypriano, ac Stephano ſilentium* =

CUm primum eſt in Africa Donatianum ſchiſma ſuſcitatum, nulla de Hæreticorum baptiſmo habita quæſtio eſt, & ideo neceſſe non fuit in medium adducere aut decretum Stephani per Catholicos; aut Cypriani literas, & Concilia, aliaque vetera monumenta per Donatiſtas: ſed tota quæſtio, ac diſſidium vertebatur ſuper ordinatione Cæciliani, utrum legitima eſſet; an vero a *Traditoribus* facta. Et ſi in Romano ſub Melchiade Papa judicio convictus eſt Donatus Caſenſis rebaptizaſſe; id quidem propterea factum eſt, quod ille rebaptizaret Catholicos lapſos, ſive quos lapſos aut putabat, aut criminabatur, non autem Hæreticos, quod valde alienum fuit a Cypriano, Afris, univerſaque Catholica Eccleſia: quapropter ad rem, cauſamque Donati non erant vetera Agrippini, Cyprianique Concilia; non literæ ſuper

ea quæſtione conſcriptæ; non totius Africæ immemorabilis conſuetudo. In Concilio etiam, ſeu judicio Arelatenſi Donatus ille ipſe damnatus, & ad Conſtantinum provocans, de eaque appellatione objurgatus ut quid Africana Agrippini, & Cypriani Concilia proferre poterat, aut debebat; ſi illa, ut dixi, nequaquam ipſi profutura erant? & ſi quoque aliquid potuiſſent; quomodo eo loco, & tempore, quo cauſſa Cæciliani acta, non rebaptiſmi? & licet can. 8. illius Concilii ſancitum ſit de Hæreticorum baptiſmo; editus eſt canon ille cauſa conſuetudinis Afrorum Catholicorum, non Donatiſtarum, ut ſuo loco demonſtrabitur. Nec mirum denique cuipiam eſſe debet; ſi in Actis Synodicis, literis, ac legibus Imperatoriis, geſtiſque Proconſularibus a Conſtantino Magno uſque ad majorem Theodoſium ſummum de hac rebaptiſmi cauſa inter Stephanum, & Cyprianum controverſia ſilentium deprehenditur; quando idem quoque ſilentium deprehendimus & longe poſt Theodoſium Magnum in omnibus actis Synodicis, atque Proconſularibus, & in cunctis Imperatorum literis, legibuſque; tametſi eam controverſiam antea prodiderunt SS. Hieronymus, & Auguſtinus; ut miſſas faciam antiquas S. Dionyſii Alexandrini Epiſtolas: nec propterea jam tum & Donatiſtæ oſcitantiæ convinci poterant, & Catholici imprudentiæ.

THEOR. V.

Ad Propoſ. I. *Concilii Carthaginienſis III. abſurditas generatim attingitur* =

SI qui ſunt modo, aut unquam fuerunt, qui Cypriani Concilium III. Carthag. in cauſſa baptiſmi Hæreticorum inuſitata quædam, & monſtroſa complecti ſe videri dicat; ego vero nec video, nec unquam videre potero; quod nunquam Auguſtinus vidit, dum illud in libris de Baptiſmo ſedulo, fuſe, & pene ad verbum diſcutit, expendit, & refellit; nunquam Dionyſius Alexandrinus, qui teſtimonio S. Hieronymi de Scriptor. Eccleſ. *in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens de Hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas;* nunquam Patres Concilii Quiniſexti, ſeu Trullani tantum non Oecumenici; dum illud can. 2. ſe ſe reci-

recipere profitentur; ſi credimus Baronio ad ann. 692. num. 18. Et quidem illud, quod primum objicitur; Epiſcopos fere XC. Carthaginem ad Concilium conveniſſe controverſiæ de Hæreticorum baptiſmo cognoſcendæ, ac dirimendæ cauſa; ibique neminem repugnaſſe, ſed omnes ejuſcemodi lavacrum veluti profanum, ac nullum rejeciſſe; quando antea plures de eo dubitaverant, & plures etiam repugnaverant; nihil inuſitatum, atque monſtroſum continere, quis eſt, qui non videat? primum enim falſum eſt, Afrorum Antiſtitum nonnullos Cypriano repugnaſſe, & Hæreticorum baptiſma ſuſcepiſſe; idque ex ejuſdem Epiſtolis, & ex Actis hujus Concilii colligi; deinde etiamſi quidam illorum dubitaſſent, ac repugnaſſent antea; cur poſtmodum re cum Collegis diſcuſſa, & maturius cribrata cum cæteris in Concilio convenire, & omnes unanimi conſenſione unum decretum edere non potuerunt? Auguſtinus etiam non miratur, Creſcentem a Cirta memoraſſe B. Cypriani ad Stephanum Epiſtolam; ſed quod eam adduxerit Epiſtolam, quæ ad quæſtionem non pertineret, inquit enim: *nam prorſus ad quæſtionem præſentem non pertinet; & magis miror, cum eam iſte commemorare voluerit, quam cur in exordio Concilii commemoratio ejus prætermiſſa ſit. Quod ſi quiſpiam arbitretur, me aliquid noluiſſe in medium proferre, quod in ea poſitum eſt præſenti cauſæ neceſſarium; legat eam, & ſciat verum eſſe, quod dico; aut ſi aliud invenerit, redarguat: Prorſus enim illa Epiſtola de batiſmo apud Hæreticos, vel Schiſmaticos dato, unde nunc agimus, nihil habet:* Ex quibus adverto, S. Auguſtinum vidiſſe Cypriani vel Epiſt. 67. ad Stephanum Papam de Martiano Arelatenſi Epiſcopo, vel aliquam aliam, quæ non extet; non autem 72., quæ ex profeſſo de Baptiſmate apud Hæreticos, vel Schiſmaticos dato differit: quo etiam factum eſt, ut idem Auguſtinus lib. 5. 6., & 7. de baptiſmo ipſam 72. Epiſtolam memoratam neutiquam tractet, aut diſcutiat, vel ſaltem commemoret; cum tamen ibi de aliis ad hanc cauſam attinentibus agat: & ſolum addit eo loco lib. 6. de Baptiſmo cap. 15., *cum in exordio Concilii non ſit commemorata; credo, quia non ſit putatum neceſſarium: nam & ipſam in iſto cœtu Conſacerdotum lectam eſſe dixit; quod factum omnino non dubito, quantum arbitror, ut fieri ſolet &c.*, alii forſan dixiſſent, amanuenſis, vel ſcribarum culpa aliquid deeſſe

deeſſe initio actorum Concilii; aut eorundem audacia Stephani nomen in Acta intruſum fuiſſe. Similiter quum S. Cyprianus in præfatione Concilii dixit: *cenſent quod ſemel, atque iterum, & ſæpe cenſuimus:* non declaravit, tria ut minimum Carthaginienſia Concilia ante iſtud ſe congregaſſe ob eam cauſam; neque contraria habent Geminus a Furnis, & Junius a Neapoli; non primum, nam S. Cyprianus ea in re cenſuit publice, & privatim modo in Conciliis, modo per literas, & privata colloquia, atque ita ſæpe numero; (ut omittam, *& ſæpe* in quibuſdam codicibus non legi) neque ſecundum, quia Geminus a Furnis num. 64. non ait: *quod ſemel decrevimus:* ſed *ideo quod decrevimus, ſemel tenemus:* Junius vero a Neapoli ultimus dixit: *ab eo, quod ſemel cenſuimus, non recedo:* ubi vox *ſemel* idem ſignificat, quod *tandem*, & *omnino:* vel ſi unicam vicem denotare velint, tunc illos dicam autumare Concilium illud, cui uni interfuerint ipſi; cum non omnes, qui acceſſerunt III. Concilio, convenerint ad bina alia, quæ præceſſerant. Illud vero, quod quatuor Epiſcopi Caſtus, Liboſus, Felix, & Honoratus, quibus adjungi debet Zoſimus a Tharaſſa, ab Auguſtino lib. 3. de Baptiſmo cap. 5. & ſeqq. confutati in oppoſitam conſuetudinem invehentes non objecerint Africanam conſuetudinem ab Agrippino Epiſcopo Carthagin. acceptam, a Concilio LXX. Epiſcoporum confirmatam, & per longam ætatem cuſtoditam, nihili faciendum puto; propterea quod probe viderant illi, fruſtra a ſe conſuetudini Occidentalium objici morem Africanum; cum Occidentalis Eccleſia longe præcelleret Africanam cum Provinciarum multitudine, tum etiam dignitate, & authoritate; & *quoniam pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere*, inquit S. Cyprianus Epiſt. 49. ad Cornelium Papam; atque Occidentales Afris merito reponere potuiſſe ſequendam eſſe conſuetudinem majoris, & Apoſtolicæ, ſupremæque Eccleſiæ, qualis erat Romana; illam vero minoris, ac ſubjectæ deſerendam: præſertim quod Romana divulgarat non tam conſuetudinem fuiſſe, quam *traditionem* hæreticorum baptiſmum admittere, quaſi Apoſtolorum traditionem, & doctrinam prætenderet prorſus conſectandam; cui conſuetudinem Africanam etiam Concilio firmatam opponere nihil erat. Agendum itaque tum erat & ratione, & ſacrorum librorum autho-

authoritate, quibus oſtenderetur Romana, & Occidentalis conſuetudo neutiquam Apoſtolica fuiſſe, ſed tantum humana, ut ajunt, & Eccleſiaſtica traditio; quæ etſi majoris Eccleſiæ comparate ad Africanam, tamen ratione, & authoritate Sacræ Scripturæ aut iſta ſuperari poſſet, aut Afrorum illa non aboleri deberet; quemadmodum quidem Afri agere viſi ſunt; quo etiam dicere poſſent, quod ſcripſit S. Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus de S. Hilario Arelat. Epiſcopo cum Leone Magno in cauſſa Calidonii Epiſcopi contendente: *quos ratione non flexerat, credidit relinquendos*: propter quod nec etiam veterem illam, & immemorabilem Orientalium conſuetudinem in literis S. Dionyſii Alexandrini memoratam ſuæ adjunxerunt Afri, & Romanis, Occidentalibuſque oſtentarunt; quod ſcirent parvi illam, minimique pendere Romanos, & Occidentales, qui tantummodo morem ſuum ſuſpiciebant. Etenim apud Afros ante S. Cyprianum rebaptizandorum Hæreticorum morem viguiſſe elicimus ex Tertulliano, dum lib. de Pudicitia cap. 19. ait: *apud nos ut Ethnico par, immo & ſuper Ethnicum Hæreticus etiam per baptiſma veritatis utroque homine purgatus admittitur*; quo loco non ait *apud me*, vel *mea ſententia*, ſed *apud nos*; uti & lib. de Baptiſmo cap. 14. *circa Hæreticos ſane quid cuſtodiendum ſit, digne quis retractet? ad nos enim editum eſt &c.* Præterea cum nova res aſſeritur, & inuſitata, ſegniter etiam, improvideque facta, Synodum antiquiſſimam nimirum Agrippini pro hac ipſa cauſa celebratam a poſteriori Concilio Cypriani ſummo ſilentio involutam eſſe: primum falſum dico, illius Synodi mentionem non eſſe factam in hoc Cypriani III. Concilio, in quo lecta innuitur ejuſdem Cypriani ad Jubajanum Epiſtola, quæ eam Agrippini Synodum, ac ſtatutum clare commeminit: deinde ſi etiam ibi nullo modo ea lecta fuiſſet; eſſetne propterea res nova, & inuſitata; itemque ſegniter, improvideque facta dicenda? quando neque in Nicæno Concilio, in quo actum eſt de die Paſchatis celebranda, ulla legitur mentio facta aut de Arelatenſi Synodo, aut de Palæſtino, aliiſque pluribus ea de re celebratis Conciliis? Cætera porro, quæ ſubjiciuntur, vel objiciuntur, ſimili laborant vitio; *Conciliabulum* enim non dicam ego, quod *Sanctum Concilium* appellavit Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 3., neque veluti congregationem

Sa-

Sathanæ ab uno, & altero Concilio Oecumenico damnatam fuiſſe; quam *Sanctorum* virorum idem dixit lib. *6.* cap. 7., *Sanctorum Epiſcoporum ſententias, ſalvo cum eis unitatis vinculo, & pacis, in quo retinendo eos, quantum ipſe Dominus adjuvat, imitamur, conſiderandas, & pertractandas aggredimur:* ſed quemadmodum Tridentinum Concilium ſeſſ. 21. cap. 4., cum interdixit Euchariſtiæ Sacramentum parvulis dari, adjecit: *neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervaverit:* nam nec deplorandum eſt, ſi pluribus in Conciliis etiam Oecumenicis proſcriptus fuit vetus mos celebrandi Paſchatis luna XIV. cum Judæis a S. Polycarpo, aliiſque plurimis viris egregiis olim uſurpatus. Dicam Concilii III. Carthagin. ducem, & ſigniferum S. Martyrem, Doctoremque præclariſſimum Cyprianum etiam poſt Stephani Papæ reſcriptum; non tamen fundamenta jeciſſe ſchiſmatis, atque hæreſis Donatianæ, ut alias cumulate oſtenſum eſt: at non dicam, Concilium iſtud Divini verbi ſcripti, ac traditi authoritatem denegare; aut Romani Pontificis, & Oecumenici Concilii correctricem poteſtatem eliminare; ut fuſius infra demonſtrabitur. Magis Hæreticos; & Schiſmaticos ad Synodos Africanas, quibus interfuit, ac pene præfuit Auguſtinus, pro controverſis ad Romanam Eccleſiam appellationibus confugere cognovimus; magis ad V. Synodum Oecumenicam; magis ad Epheſinam, Aſiaticamque Polycratis, quam ad hoc Cypriani Concilium; & tamen earum Synodorum propugnacula nemo unquam fuit, qui dejicienda eſſe, ac proſternenda pronunciaverit.

Ad Propoſ. II. *S. Auguſtini vehemens de hujus Concilii veritate dubitatio* =

Dictum eſt ſupra ad Propoſ. II. Theorematis II., ſi unquam dubitavit Auguſtinus de facto, ſententia, ac Opuſculis Cypriani cum Donatiſtis diſputans; quomodo, & qua de cauſa id egerit: dictum eſt etiam ad Propoſ. VI. ejuſdem Theorematis Auguſtinum de hoc Concilio non videri dubitaſſe: & quidem quæ hoc loco referuntur, non ſolum Auguſtini vehementem de hujus Concilii veritate dubitationem non oſtendunt, ſed ne minimam quidem. Illud enim lib. 2. de Baptiſmo cap. 2. *Quantum pro nobis, boc eſt pro pace*

Ca-

Catholica faciant ea, quæ tanquam ex autboritate Cypriani adverſus nos a parte Donati proferuntur: & cap. 3. *Vos certe objicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium:* innuitne, quantum Auguſtino Concilium iſtud fuerit ſuſpectum; ut quoties ei nominandum eſſet, toties ex traditione Donatiſtarum ſe illud accipere profiteatur? Sed & cum cap. 6. ait: *ſi autem veſtra ſententia de Baptiſmo vera eſt; Cyprianus, & cæteri, cum quibus eum tale Concilium celebraſſe perbibetis, cum eis, qui &c.* quid demum ipſa probant? Quod enim Auguſtinus tradat, Donatiſtas proferre, objicere, & perhibere monumenta Cyprianica, non propter hoc oportet opinari, ea ipſi ſuſpecta fuiſſe; eumque profiteri, ſe illa ex eorum traditione recipere. Similiter dum lib. 2. contra Creſcon. cap. 32. ſcribit: *Nam & vos profertis Concilium Cypriani, quod aut non eſt factum; aut a cæteris unitatis membris... merito ſuperatum:* non apertiſſime ſuam nimiam exerit ſuſpicionem, cum id dubitare non ſit, ut alias docui; ſed duo proponere, quorum alterum vel eſſe, vel concedi neceſſe putatur: ut ſi Catholici Donatiſtis proponerent: aut veſtra de Baptiſmo Hæreticorum ſententia vera eſt; aut noſtra: vel ut ipſe Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 1. habet: *neceſſe eſt, ut unum dicatur ex duobus; aut periiſſe tunc Eccleſiam talium communione maculatam; aut non obeſſe cuiquam in unitate permanenti aliena etiam nota peccata. Illud autem quia dicere non poſſunt periiſſe tunc Eccleſiam.... reſtat, ut fateantur nulla malorum etiam cognitorum tali communione maculare unitatem Chriſti.* Mihi ſane S. Auguſtinus non videtur dubitaſse, quando lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. ait: *Extant B. Martyris Cypriani in ejus literis magna documenta... Nam illis temporibus, antequam plenarii Concilii ſententia, quid in hac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet; viſum eſt ei cum ferme octoginta Coepiſcopis ſuis Africanarum Eccleſiarum omnem hominem, qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuo baptizari:* & quando lib. 3. cap. 3. ſcripſit: *nullo prorſus modo crediderim in ſancto Concilio præſertim Collegarum aliud ore protuliſſe, quam corde geſtabat* Cyprianus; ſicut & lib. 6. cap. 7. *Sanctorum Epiſcoporum ſententias, ſalvo cum eis vinculo unitatis, & pacis, in quo retinendo eos, quantum ipſe Dominus adjuvat, imitamur, conſideran-*

Digitized by Google

derandas, *& pertractandas aggredimur:* Quo etiam refertur forſan id, quod ipſe dicit Tract. 5. ſuper Evangelium S. Joannis: *antequam enim bene iſta quæſtio tractaretur in Eccleſia Catholica, multi in ea erraverunt & magni, & boni, ſed quia de membris Columbæ erant, non ſe præciderunt:* quo quidem loco non cum Donatiſtis Auguſtinus, ſed cum fratribus Catholicis, ac plebe ſua in Eccleſia ſermones miſcebat. Et Auguſtino prævivit S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ. anno 392. expleto, ubi ſine ulla hæſitatione ita de S. Dionyſio Alexandrino Epiſcopo tradit: *hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens de Hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas;* ut alia prætermittam, quæ omnem de hoc Concilio ſuſpicionem Auguſtini diſplodunt nullis tuendam, augendamque conjecturis.

Ad Propoſ. III. *Concilium Carthaginienſe III. non concurrit cum epocha Pontificatus S. Stephani Papæ* =

NUnquam ſatis mirari poſſum, tot, tamque erudita ingenia in id erroris eſſe prolapſa; quo exiſtimarint, tria Cypriani in cauſſa baptiſmi Hæreticorum *Concilia* poſtulaſſe, ut *Stephanus* Romanus Pontifex quatuor annos ſederit: quando neque conſtat, neque probari poteſt, tria illa Concilia fuiſſe Stephano vivente congregata; unumque tantummodo ſcilicet ſecundum neceſſe ſit factum eſſe ſub eo. Quod ſi conſtaret etiam, probarique poſſet, tria ea ſub Stephano coacta fuiſſe; tamen cum olim in more poſitum eſſet, vel eſſe potuerit, Concilia bis in anno vere, & autumno convocari; quod & ſtatutum legimus can. 36. al. 38. Apoſtolorum, & can. 5. Nicæno; annum unum cum dimidio tantum liquet ſatis fuiſſe ad tria illa Concilia, præſertim quod diſſidium inter Stephanum, & Cyprianum non eſt ortum niſi poſt ſecundum ex illis Concilium. Qui Firmiliani Epiſtolam pro ea opinione de IV. annis ſedis Stephani in medium afferunt, nihil cauſſæ negotium promovent, non quod ſuſpecta, ſeu falſa ſit, ſed quia ad numerum annorum Pontificatus Stephani nihil conducit, ut poſtea videbitur. Quantum autem ad Pontificatus *Lucii* tempus, & annos inter omnes convenit, *Cornelium* Papam e vita deceſſiſſe anno CCLII. XVIII. Kalend. Octobr., & *Si-*

xtum

xtum anno CCLVIII. die VIII. idus Auguſti; ſunt igitur anni V., menſes X., & dies XXII. circiter inter Lucium, Stephanum, & Sixtum diſtribuendi. Sentis cum Georgio Syncello, ac Ægidio Bucherio *Lucium* ſediſſe annos II., & menſes VI., objiſſe autem anno CCLV., putaſque verius, *Sixtum* Pontificem extitiſſe annos II., & menſes X., vel XI., reliquum eſt igitur, ſediſſe *Stephanum* menſes dumtaxat IV., vel V., a quo quidem afferendo non abhorres: at quomodo ſe habebit cauſa, quam admittis, Martiani Epiſcopi Arelatenſis inter Cyprianum, Stephanum, Fauſtinum, Galliarumque Epiſcopos; quamque minori quam unius anni ſpacio confici non potuiſſe ſcribis? id enim ſi verum eſſet; Sixto, vel Lucio menſes tribuere oporteret, & Stephano annos; vel cuncta invertere, ac perturbare contra & Euſebii, & Catalogorum Romanorum Pontificum authoritatem. Cæterum cum omnes videam conſentire Scriptores veteres, & Romanorum Pontificum Catalogos, qui Stephano, & Sixto plures *annos*; Lucio autem eorum alii plures *annos*, alii ſolos *menſes* aſſignant: mihi plane veriſimilius videtur; & aliis quoque, ni pertinaces ſint, videri debet; a nonnullis erratum eſſe in Lucio, quam ab omnibus aut in Stephano, aut in Sixto: quamobrem ſi tribui debent anni plures & Stephano, & Sixto; reſtat, ut Lucio menſes tantum obveniant, quod eſt id, quod literis tradidit Euſebius cum primis antiquiſſimus, idemque diligentiſſimus, & ideo cæteris quoque præponendus: habet enim ut in ætatibus authoritatem ſenectus, ſic in Hiſtoriis antiquitas; quæ quando magna cum diligentia, ac doctrina conjuncta reperiatur; neſcio, quid majus unquam deſiderari poſſit. Nec obſtat Cypriani *Epiſtola* 58. ad Lucium miſſa, quæ quidem non indicat ternas ipſi Lucio Cyprianum dediſſe literas, ob quas quinque ut minimum expeditiones ab Urbe Carthaginem, viciſſimque Carthagine ad urbem Romam neceſſariæ fuerint; ſed binas ſolummodo Lucii ad Cyprianum literas; unas, quibus ſe reducem ab exilio, ubi nimirum cum Cornelio Papa fuerat, & in Romanum Antiſtitem ordinatum ſignificat; alteras, quibus iterum ſe revocatum a breviſſimo exilio ſcribit; eiſque bina dumtaxat reſponſa Cyprianum dediſſe conſtat. Quod literarum negotium hoc modo patefactum & quinas utrinque miſſiones, ac itinera exſufflat; & non ſolum intra XI., vel VII. menſes, ſed

Digitized by Google

etiam V. menſium intervallo commode confici potuit; præſertim cum alterum Cypriani reſponſum, nil vetat, quo minus datum ſit Lucio vita defuncto, ejuſque mortis nuncio nondum in Africam perlato; idque etiam cum *Collegis*, ut habet Epiſtola; non ad quos neceſſario Lucii literas tranſmiſerit Cyprianus per Africæ Provincias; ſed qui Carthagine, quo velut ad Metropolim ſemper variis de cauſis confluebant etiam Epiſcopi, forte fortuna tum præſentes erant. Semel autem ac quiſquam Euſebium utpote Græcum in hac re derelinquendum exiſtimat, in eas ſe tricas injiciat, ac implicet oportet; a quibus expediri poſſe aut non videat; aut ſi ſe videre putet, hallucinetur: & nunquam is intelliget; Chronicon Damaſi, a quo cæteri Scriptores Latini, quos ſolos hic ſequendos edoces, exſcribere ſolent, verbis quidem ab Euſebio mendoſo diſcrepare, re verò probe convenire. Uterque enim habet, quatuor Romanos Pontifices *Cornelium*, *Lucium*, *Stephanum*, & *Sixtum* junctim omnes, viciſſimque, ac pro ſua quemque temporis ratione ab anno CCL. regimen annorum XIII. expleſſe uſque ad annum CCLVIII.; cum Euſebius in Chronico, ac Hiſtoria tribuat Cornelio annos II., & menſes; Lucio menſes VII., Stephano annos II. cum menſibus, & Sixto annos mendoſe VIII., quæ annorum paulo amplius XIII. ſumma eſt: Chronicon vero Damaſi aſſignet Cornelio annos II., menſes III. al. IV., dies X., Lucio annos III., menſes VIII., dies X., Stephano annos IV., menſes II., dies XXI., & Sixto annos II., menſes XI., dies VI., quæ eſt ſumma annorum XIII., menſis I., vel II., dierum XVII. Verum ſi anni tantum Sixti apud Euſebium corrupti corrigantur, quorum etiam occurrit facilis caſtigatio; cætera recte ſe habent, & cuncta quadrant; in Chronico autem Damaſi non unius Pontificis, ſed trium Cornelii, Lucii, & Stephani & Conſulatus, & anni, vel etiam menſes emendandi ſunt: nec facile apparet, ubi cubet error, niſi ſuccurrat antiquior Euſebius a S. Hieronymo auctus, atque interpolatus. Qua in re profecto quæ unquam comparatio, bone Deus, eſſe poteſt Euſebii, & Hieronymi ſcriptorum antiquiſſimorum, & doctiſſimorum, illorumque temporum vicinorum cum quibuſdam Chronicorum, quæ Damaſi, Anaſtaſiique vocant, & Romanorum Pontificum Catalogorum incertis ſemiſcriptoribus,

aut

aut recenti Honorio Auguſtodunenſi; quorum vel ſola inter ſe ſe temporum diſcrepantia, aut numerorum depravatio eos omnes vel erroris redarguit, vel ſuſpectæ fidei conſtituit? De quibus quidem jam proprius differendi locus erit, cum de Chronotaxi Pontificia, ſi vita ſuppetet, aliqua vulgavero: nunc mihi dicendum eſt ad ea, quæ his ipſis objiciuntur, & aliquam difficultatem habere exiſtimantur.

II. Itaque quantum ad *Firmiliani Epiſtolam*, de qua etiam ad num. XI. cap. I. egi, datam quidem fuiſſe dico anno CCLVI., ſed Stephano Papa jam anno CCLV. vita functo, ejuſque mortis nuncio nondum in Pontum, & Cappadociam uſque delato; tametſi Rogatianus Cypriani legatus menſe incerto anno CCLV. in Cappadociam eſt miſſus; verum iter longum, arduum, & ob peſtem ubique graſſantem præpeditum; aliaque, quæ interponi, uti ſæpe contingit, potuerunt, quæque nos itidem latent; in cauſa fuiſſe dicendum eſt, ut inſequenti dumtaxat anno redditum ſit reſponſum. Idque ne mirum ſit, meminiſſe oportet; Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem anno DXLIX. Conſtantinopolim Epiſtolam miſiſſe ad Vigilium Papam in cauſſa trium Capitulorum, quam Vigilius accepit *pridie idus Julias*, annoque tantum DL. *die III. Kalend. Majas*, ideſt poſt IX. menſes cum dimidio ei reſponſum dedit, & quidem valde breve, ut manifeſtum eſt ex ipſo Vigilii reſcripto: nec non anno MDCLXXI. Nuncium Regis Galliarum ad Turcarum Imperatorem miſſum e Portu Maſſilienſi ſolviſſe menſe Septembri, nec niſi exeunte Februario menſe anno MDCLXXII. Conſtantinopolim appuliſſe, ut refert Itinerarium Equitis Chardini ad Perſas, & Indias Orientales to. 1.; quid igitur cenſendum erit de Firmiliani Epiſtola, pro qua legatus Cypriani multo plus itineris conficere, majora pericula ſubire, & tempora ſævientia vitare debebat? cujus author non *in tranſcurſu legit*, *ſed ſæpe repetita memoriæ mandavit*; poſtea longiſſimum reſponſum edidit, & ad eum miſit, qui *longiſſimis Regionibus* ab ſe ſeparatus erat? quæ ſane innuunt Firmilianum diu apud ſe Cypriani legatum retinuiſſe. Quum autem quæritur, quam ob cauſam ad Firmilianum in Cappadociam nuncium Cyprianus ablegaſſe creditur? ob eam ajo, ob quam ipſe ad Antonianum ſcribens Epiſt. 52. de lapſis inquit: *ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa nu-*

merus videbatur, *etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum*, *qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito Concilio in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate*, *& ſalubri moderatione conſenſit: de quo tibi neceſſe nunc fuit ſcribere*, *ut ſcias me nihil leviter egiſſe; ſed ſecundum quod literis meis fueram ante complexus*, *omnia ad commune Concilii noſtri conſilium diſtuliſſe:* cum antea dixerit; ſe *Concilium* habuiſſe *cum copioſo Epiſcoporum numero;* & *Concilio frequenter acto*, ac *ſcripturis diu ex utraque parte prolatis; diu*, *multumque tractatu inter nos habito:* ut & in Epiſt. 51. ad Confeſſores olim Schiſmaticos, & 55. ad Cornelium Papam; ſic & Epiſt. 15. ad Clerum Romanum, qua admonet eum, curet; ut quædam ſua ſcripta plebi, aliiſque nota fierent, adjecit: *ut in Eccleſiarum ſtatu quoquo modo interim componendo ſervetur ab omnibus una fidei conſenſio: de cæteris vero*, *quæ agenda erunt*, *ſicut & Collegis meis plurimis ſcripſi*, *plenius conſilio tractabimus; quando convenire in unum permittente domino cœperimus:* nec non Epiſt. 63. ad Cæcilium de Sacramento Dominici calicis: *& de hoc quoque ad Collegas noſtros literas dirigemus; ut ubique lex Evangelica*, *traditio Dominica ſervetur*. Quod igitur in cauſa lapſorum, & Aquariorum Cyprianus egit; id quoque, ac magis etiam in cauſa baptiſmi Hæreticorum feciſſe credendum eſt; ut non ad unum Firmilianum, paucoſque alios; ſed ad plurimos quaquaverſus Antiſtites, & ad ipſum etiam Dionyſium Alexandrinum, quamquam ignoratur, literas direxerit; nam plurimas ejus literas adhuc deſiderari dictum eſt antea ad num. IV. cap. I., ad Dionyſium vero Alexandrinum literas dediſſe ecquis erit, qui non conjiciat; quotieſcunque legerit S. Hieronymum de Scriptor. Eccleſ. tradere, eum *in Cypriani*, *& Africanæ Synodi dogma de rebaptizandis hæreticis* conſenſiſſe? Lupus quidem in notis ad cap. 12. Tertulliani de Præſcription. Hæret. ait, S. Cyprianum ſua circa Baptiſmum dubia ad plures ſuæ diœceſis Synodos, ad Alexandriæ, & Antiochiæ Patriarchas, alioſque retuliſſe; ad majores nimirum Chriſtianorum Epiſcopos, & Doctores, potiſſimumque ad Eccleſiam Romanam; ſed cum *dubia* dixit, errore abducitur; cum ad Alexandriæ, & Antiochiæ Patriarchas, alioſque ſcripſiſſe tradit, potius divinat, quam ſciat; fieri tamen potuit: idque non jactantiam, obſtinatio-

nem,

nem, turbas, ſchiſmaque præſeferebat; verum ut oſtenderet, ſe *nihil leviter egiſſe; omnia ad commune Concilii ſui conſilium diſtuliſſe*; & rationes eas tuendæ cauſſæ habuiſſe, quas Auguſtinus ipſe faſsus eſt *veriſimiles* fuiſſe. Tandem facile etiam occurritur ei, quod dicitur: qui fieri potuerit, ut Rogatianus legatus in Pontum menſe Septembri Carthagine profectus ante hyemem ex Ponto Carthaginem reverteretur? cum incertum ſit, quo menſe Rogatianus iter Cappadociam verſus ingreſſus ſit, utrum poſt Concilium III., an ante; dictumque ſit, anno eum CCLV. Carthagine ſolviſſe, & inſequenti tantum ſub hyemem vel e Ponto diſceſſiſſe, vel diſcedere voluiſſe; nec oppoſitum oſtendi poſſe. De *Stephano* autem Papa in Martyrologiis Latinorum *Martyre* nuncupato non eſt exiſtimandum, Latinorum Diptychis errandi occaſionem a Græco Menologio oblatam fuiſſe; quod in eo ad diem IV. nonas Auguſti fiat commemoratio S. Stephani Protomartyris.; nam Græcorum Menologium poſterius eſt Beda; Vandelberto, Adone, Uſuardo, ac Libro Pontificali, aliiſque vetuſtis Martyrologis Latinis, cum editum ſit in fine ſeculi X.; ſed potius exiſtimandum, quantum conjectura aſſequi poſſet, ab aliquibus Latinis erratum in S. Stephano juniore Antiochiæ Epiſcopo, & Martyre anno 482., fortaſſe, quod legerunt S. Stephanum *Papam*, aut *Sedis Apoſtolicæ* Antiſtitem, & Martyrem; ſimulque eum Stephanum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum crediderunt, ideo quod Latini nomine Papæ, & Sedis Apoſtolicæ poſt vetera illa ſecula nonniſi Romanum Antiſtitem, Romanamque Eccleſiam intelligere ſolerent; quando *Papæ* titulus olim omnibus Epiſcopis dabatur; & *Antiochena* Eccleſia ipſa quoque Sedes Apoſtolica cenſetur. Quomodocunque autem ſe habeat hiſtoria de martyrio Stephani Papæ; illud mihi pro certo eſt, nunquam hujus Pontificis, & Lucii, Sixtique epochas depravatas ortum habuiſſe ex pervulgata de Stephani cum Afris diſſidio opinatione, ſed ex ſcribarum ſolita vel negligentia, vel audacia; quod ſane in plurimis etiam aliorum Pontificum epochis accidiſſe videmus. Illud porro neminem movere debet, quod Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium plures ad *Sixtum*, unam vero tantum ad *Stephanum* Papam dediſſe dicatur Epiſtolam; ex quo putatur ſatis indicari, diutius ſediſſe Sixtum, quam Stephanum: primum enim Euſebius non

omnes

Digitized by Google

omnes recenſuit, memoravitque, quas Dionyſius ad Romanos Pontifices miſit Epiſtolas; ſed eas tantummodo, quas vel agnovit, vel opportunas judicavit; & quidem S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccleſ. refert, Dionyſium ad diverſos *de Hæreticis rebaptizandis plurimas miſiſſe Epiſtolas;* cum tamen Euſebius nonniſi 5. vel 6. commemorarit: deinde ſi ita ex eo ipſo liceret argumentari; poſſet etiam quiſpiam affirmare, diutius Stephanum ſediſſe, quam Sixtum; proptereaquod ad illum unam, vel duas; ad iſtum nullam Cyprianus Epiſtolam dediſſe legatur. Præterquamquod diſſidium inter Stephanum; & Cyprianum ſuper baptiſmo Hæreticorum ortum videtur paulo ante obitum Stephani, vel ſaltem oriri potuit; quocirca minime mirum eſſe debet, ſi unam ſolummodo ob eam cauſam Dionyſius Stephano Papæ dederit Epiſtolam.

III. Sed quoniam illud oſtendendum reſtat, tria Cypriani Concilia in cauſſa baptiſmi Hæreticorum recte cum epocha Pontificatus Stephani conſiſtere; poſitum ſit in primis, quod poſt magis intelligetur; epochas trium Pontificum Romanorum, quæ utpote per quoſdam depravatæ controvertuntur, eſſe mea quidem ſententia, *Lucium* anno 252. & 253. ſediſſe menſes V. dies X., *Stephanum* annos II., menſes IV., dies XXI. ab anno 253. ad ann. 255., *Sixtum* autem annos II., menſes XI., dies VI. ab anno 255. ad annum 258., quas mihi probandas tum ſeriam, cum de Roman. Pontificum Chronotaxi reſtituenda ſermonem inſtituero; ſi quidem in præſentia momentorum video nihil, quod ad eas labefactandas a quoquam afferatur. Quæ cum ita ſint, ut ad 67. Cypriani ad Stephanum *Epiſtolam* de Martiano Arelatenſi Epiſcopo veniam; ejuſque difficultati, quæ putatur, reſpondeam; primum ajo, eam non ſatis a Pearſonio vindicatam eſſe, nec omnibus probari vindicias ejus: deinde ſit etiam illa vera, & undequaque aſſerta; nihilominus totum illud negotium ita paucorum menſium ſpatio tranſigi potuit, ut nempe menſis circiter intervallo a promotione Stephani nuncio hujus rei in Gallias, & Africam perlato, Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus cum Provincialibus Antiſtitibus & ad Stephanum Papam, & ad Cyprianum literas dederit de Martiano Novatiani ſectatore; jamque prius Fauſtinus alias ea de re literas ad Cyprianum miſerat, quam Stephani promotio

tio aut facta eſſet, aut cognita Gallis: hoc enim modo conjectare licet de iis, quæ ita fieri potuerunt; quotieſcunque neſcitur, quomodo facta fuerint; ſicut nec certo ſcitur, Fauſtinum ſcripſiſſe ad S. Cyprianum, quo ſuus eſſet apud Stephanum ſequeſter; cum potius appareat, in ea cauſſa Cyprianum ita ſe geſſiſſe, uti pro Eccleſiis Emeritenſi, Aſturicenſi, Legionenſique in Hiſpaniis adverſus Martialem, & Baſilidem Epiſcopos lapſos Epiſt. 68., qua in re profecto quis eſt, qui recte ſapiat, & non intelligat, ſpatio trium paulo amplius menſium cuncta compleri facile potuiſſe; niſi ea comminiſci voluerit, quæ amplificandæ rei cauſa, non veritatis ergo dici ſolent; aut quæ quidem eſſe potuerunt, ſed nec ita fuiſſe, nec eſſe neceſſario debuiſſe conſtat. Et cum opponit Launojus; non potuiſſe primo Stephani Pontificatus anno fieri iſta hæc, nondum pace Eccleſiis reddita; Gallicanoſque Epiſcopos ſub ipſa perſecutione in commune quippiam noluiſſe moliri: negat aperte Pagius ad annum 252. Stephani temporibus Eccleſiam paſſam eſſe perſecutionem; hanc ſub Gallo, & Voluſiano localem fuiſſe, & Romæ tantum nocuiſſe probat: poſtea nonne Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium Papam de Fortunato, ac Feliciſſimo ſchiſmaticis habet: *nos in ipſo perſecutionis tempore de hoc ipſo literas miſimus, nec auditi ſumus Concilio frequenter acto?* nonne & Donatiſtæ in magna Collatione Carthagin. 3. diei num. 408. Catholicis de Synodo Cirtenſi oppoſuerunt *perſecutionis tempore non potuiſſe Concilium congregari;* idque a Catholicis merito oppugnatum eſt? Ais, non videri potuiſſe tam brevi, nec minori quam unius anni ſpatio tot, tantaque itinera perfici; non ſemper pervium ad navigandum mare; nec nuncios ad profectionem ſemper paratos eſſe: verum hæc probant, ſecus etiam, atque dixi, contingere potuiſſe; quod nunquam inficias ibo; ſed minime probant, non potuiſſe eſſe, ut jam expoſui; nam ſi non ſemper pervium eſt mare; neque etiam ſemper eſt invium. Juvat memoria repetere id, quod Palladius refert in Hiſt. Lauſiaca cap. 118., Melaniam ex Palæſtinæ Cæſarea ſolviſſe, & breviſſimo *viginti dierum ſpatio* Romam appuliſſe tam proſpera, ſecundaque uſa eſt navigatione; eſt autem Cæſarea Palæſtinæ quadruplo plus diſtans ab urbe Roma, quam Carthago, & Lugdunum ab urbe eadem: item

quod

quod narrat Plinius lib. 15. Hiſtor. cap. 18., ficus recentes Carthagine Romam *tridui* tantummodo navigatione delatas. Ad factum itaque Martiani Arelatenſis Carthaginem, & Romam delati cum nonniſi tria, aut ſummum quatuor itinera, miſſioneſve requirantur; viderint, qui ſapiunt; an illud unius anni, vel potius paucorum menſium curriculum abſumat. Sed annum etiam, & ultra concedam ad hanc Martiani Novatianenſis incertam cauſſam; nec propterea obſtabit, quo minus Epocha Papæ Stephani concurrere queat cum Cypriani Conciliis in cauſa baptiſmi Hæreticorum actis. Stephanus enim ordinatus eſt die tertio idus Martii anno 253., ut alias oſtendam, uſque poſt Paſcha anno 254. die IX. Kalendas Maji celebratum nihil de Hæreticorum baptiſmo tractatum eſſe ponitur, vel ſaltem diſſidii nihil intercesſiſse; totum igitur hoc fere quatuordecim menſium intervallum tribuimus cauſsæ Martiani Arelatenſis: anno 254. poſt Paſcha cogitur I. *Concilium* in cauſsa baptiſmi Hæreticorum pro Numidiæ Epiſcopis; quamquam nil vetat, quominus anno ſuperiore congregatum ſit; quoniam cum iſtud nihil diſcordiæ inter Stephanum, & Cyprianum gignerit, aut habuerit; non video, cur non anno 253. in autumno, vel alio tempore cogi potuerit: II. igitur *Concilium* a Cypriano convocatur anno 254. Autumni tempore, aut etiam vere præterito; vel, ſi mavis, anno 255. poſt Paſcha; non enim multum laboro, utrum eligatur; ex quo quidem ad Stephanum miſsa Romam a Cypriano Epiſtola, indeque a Stephano Carthaginem reſcripto ſuboritur inter Stephanum, & Cyprianum pervulgata diſsenſio: eodem anno 255. principio menſis Auguſti vivendi finem fecit Stephanus; & Cyprianus mortis ejus adhuc ignarus Kalend. Septembribus III. *Concilium* celebravit; quandoquidem nondum probatum inveni; neque, quo probari poſſit, video, neceſsarium eſse Concilium iſtud III. habitum fuiſse vivente Stephano. Quod ſi contendant, velintque omnino, iſtud hoc eſse celebratum, dum adhuc Stephanus inter vivos eſset: cedo, pugnareque ex more nolo; ſed id unum dumtaxat rogo, utrum Concilium I. expers diſſidii congregari potuerit anno primo Stephani, ſive Martiani Arelatenſis cauſsa agitaretur, ſive non? id autem mihi a nemine inficiari puto; quippe quod Cypriani diſſidium cum Stephano ſolum ab anno primo ejuſdem Stephani remo-

removendum cenſeant; iſtud vero nonniſi poſt II. Cypriani Concilium excitatum ſit: quocirca ſi ſeverus in diſputando eſſem; poſſem nedum I., ſed etiam II. Concilium intra primum Stephani Pontificatus annum collocare; poſſem inſuper Concilium I. dicere coactum, priuſquam ad Pontificatum Stephanus eveheretur: quis enim unquam docuit, aut docere poteſt, quandonam Numidiæ Epiſcopi Cyprianum conſuluerint ſuper Hæreticorum baptiſmo, unde Concilium I. factum eſt? & quis unquam novit, quodnam temporis intervallum inter I., & II. Concilium intercurrerit? ſiquidem quæcunque ſuper his hactenus dicta ſunt, meræ ſunt conjecturæ. Veruntamen ut mitiora conſecter; ſi I. Concilium haberi potuit anno primo Pontificatus Stephani, æræque vulgaris 253. autumni tempore, ut etiam Harduino placuit; cur reliqua duo cogi non potuerunt anno 254. vere, atque autumno adhuc vivente Stephano; & inſequente anno 255. a Cypriano literæ ad Firmilianum in Cappadociam mitti? cujus plane reſcripti tempus, quod editum aſſeritur *XXII. fero anno poſt Alexandrum* Severum, quodque difficultatem habere videtur, explicavi jam ante ad num. XI. cap. I. Quibus in rebus quoquo modo dicatur, apparet, conſtitutam Stephani Papæ epocham recte concurrere & cum cauſa Martiani Arelatenſis, & cum tribus Cypriani Conciliis de Hæreticorum baptiſmo celebratis.

IV. Et quum ex Cypriani præfatione ad III. Concilium aſtruitur, non tria fuiſſe ea Concilia, ſed quatuor; dictum eſt jam ad Propoſ. I. hujus Theorematis, quomodo illa præfationis verba, *cenſens quod ſemel, atque iterum, & ſæpe cenſuimus*, intelligenda ſint; & nequaquam quatuor innuere neceſſario Concilia: & ſi quatuor etiam Concilia denotarent; ut videtur exiſtimaſse Auguſtinus ipſe lib. 3. de Baptiſmo cap. 10., dum ad eum locum habet: *dicit ſane de hac re non unum, ſed duo, vel amplius facta eſſe Concilia, ſed tamen Africana:* non tamen ob id immutanda eſſet epocha Sedis Stephani, aut Concilium III. in ſuſpicionem vocandum; proptereaquod incertum eſt, quandonam in Africa agitari cœperit quæſtio de Hæreticorum baptiſmo; utrum ſedente jam Stephano, an ante ejus ad Pontificatum promotionem; & quantum temporis interceſſerit inter tria ea Concilia; uniuſne anni ſpatium, ut ſtatuit Harduinus; an vero

Digitized by Google

ſex menſium; ſi quidem ex Canonibus Apoſtolicis, Nicænis, Antiochenis, & ex Epiſt. 4. Magni Leonis ad Epiſcopos Siciliæ, nec non 9. lib. 3., ac 111. lib. 7. S. Gregorii Papæ lucet Concilia bis in anno vere, & autumno celebranda fuiſſe; id quod a Cypriano nonnunquam factum conſtare, demonſtrandum erit alio loco, ac tempore: nunc autem ſive ſingulis annis ſingula Concilia, ſive ſingulis ſemeſtribus; aut qualitercunque ea celebrata dixeris; nil officit epochæ Stephani, quam præſtituimus. Neque tum illa Conciliorum crebra convocatio inepta fuiſſet, importuna, inutilis; & quæ animum turbulentum, ac puerilem quandam præſetuliſſet oſtentationem; cum id factum eſſet, quoties res ita poſtulaſſet: & quidem I. Concilium actum eſt propter conſulta Numidorum Epiſcoporum; II. vero non tantum propter hanc de Hæreticorum baptiſmo quæſtionem convocatum eſt, ſed *ad quædam diſponenda, & conſilii communis examinatione limanda*, inquiunt Patres in Epiſtola ad Stephanum; quare duo ad eum referunt potiſſimum in Concilio eſſe conſtituta; & eos, qui extra Eccleſiam baptizantur, iterum eſſe baptizandos; & Clericos in hæreſim, vel idolatriam lapſos, cum ad Eccleſiam reverterentur, debere Laicis tantum communicare; ſuadentque, ut ipſe quoque idem ſentire velit: Concilium autem III. ipſum ſolum habitum eſt adverſus Stephani reſcriptum, aut decretum, aliorumque opinionem, quo propriam Afri ſententiam vero magis conſentaneam oſtenderent: in quibus plane non video, quid turbulenti, quid puerilis oſtentationis, ac pertinacis opinionis inveniri poſſit: annon ipſe Cyprianus vere Epiſt. 55. ad Cornelium Papam ſcribit ſe *Concilium frequenter* egiſſe; & Epiſt. 52. ad Antonianum de lapſis ſignificat, ſe *Concilium diu, & frequenter* habuiſſe? Auguſtinus etiam Epiſt. 205. al. 47. ad Valentinum de Pelagianis annon hæc habet: *Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ urbis Epiſcopum de Concilio Provinciæ Carthaginenſis, & de Concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius a quinque Epiſcopis; & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit: item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt; ejuſque reſcriptum ad univerſos totius Orbis Epiſcopos miſſum; & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus?* quibus annorum trium ſpatio indicantur quatuor Concilia Africana

pro

pro eadem cauſſa celebrata, præter illud quod quinquennium ante congregatum *ſcimus*.

Ad Propoſ. IV. *Præfationis ad Concilium Carthaginienſe aliis III., nobis IV. octo loca exſcribuntur, totidem. que criticis notis ſingulatim oppugnantur =*

I. *Cum in unum Carthaginè conveniſſent Kalendis Septembris =*

NEc novum mirum eſt, nec plane violentum ſub Cœlo Africano *menſe Auguſto* Conciiia convocari; quinimmo fere conſuetum: quandoquidem Hipponenſe Conciiium ſub Aurelio Antiſtite decreviſſe legimus, *Carthaginienſe* III. habendum die X. Kalendas Septembres, quod poſtea factum eſt V. Kalend. menſis eodem anno 397., *Milevitanum* anno 402. cogitur die VI. Kalend. Septembris; *Africanum* ejuſdem Aurelii Epiſcopi authoritate univerſæ Africæ indictum anno 403. congregatur VIII. Kalendas Septembres; *Africanum* vero X. itidem Aurelii Antiſtitis habitum eſt anno 405. die X. Kalendas Septembres; & forſan plura alia, quæ aut me fugiunt, aut quorum celebrationis dies ignoratur. Illud porro, quod in Conciliorum epochis *diem*, & *Conſulem* omittere, videtur in more eſſe Donatiſtarum; ſi verum exiſtimatur; igitur Conciiium iſtud III. Cypriani non erit a Donatiſtis confictum; cum ſaltem *diem* exhibeat: deinde ad id reſpondet S. Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 15. his verbis: *fieri autem potuit, ut in codicibus ſit varietas, dum alii etiam dies, & Conſules diligentia majore deſcribant; alii ſuperfluum prætermittunt: ſicut etiam codex, de quo primum legimus judicium Conſtantini, quo inter partes Cæcilianum innocentem, illos autem calumnioſiſſimos pronunciavit, diem, & Conſulem non habebat*. Addas velim, & Concilium Nicænum *ſine Conſule, menſe, & die* fuiſſe teſtimonio S. Athanaſii lib. de Synodis; ut & Carthaginienſe Conciiium ſub Grato Epiſcopo anno 349. celebratum; & plura alia Catholicorum Concilia: quæ qui volet, nullo negotio revolvendo, quam verum ſit, ſtatim internoſcet.

II. *Epiſcopi plurimi ex Provincia Africa, & Numidia* =

IN primo Cypriani Concilio 32. Epiſcoporum Provinciæ Africæ Proconſularis de hac re, quam pertractamus, reſponſum eſt literis Epiſcoporum Numidiæ, *neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe* ex Epiſt. 70., in ſecundo Concilio Epiſcoporum 71. Provinciarum Africæ, & Numidiæ ſex ante menſes, vel ante annum, incertum, ad varias res Eccleſiaſticas diſponendas, & examinandas coacto inter alia ſancitum eſt ſcribendum eſſe ad Stephanum Papam ſuper ea quæſtione ex Epiſt. 72., *in quo multa quidem prolata, atque tranſacta ſunt; ſed de eo vel maxime tibi ſcribendum, & cum tua gravitate, ac ſapientia conferendum fuit... eos, qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, ... baptizari oportere:* in tertio tandem Concilio 87. Epiſcoporum Provinciarum Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ ſuper reſcripto Stephani ſtatutum eſt, ſervandum eſſe, ac retinendum morem Africanum adverſus quidem Stephani ſententiam; ſed id non cenodoxiæ, ac pertinaciæ cauſa; *ſed quia tunc non extiterant, niſi qui ei conſuetudinem opponerent; defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima* (Cypriani) *moveretur; noluit vir graviſſimus rationes ſuas etſi non veras, quod eum latebat, ſed tamen non victas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere:* Inquit S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 8.

III. *Et lectæ eſſent literæ Jubajani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubajanum reſcriptæ de hæreticis rebaptizandis, quidque poſtmodum Cypriano Jubajanus idem reſcripſerit* =

NEmini mirum debet videri, duas Jubajani ad Cyprianum Epiſtolas palam in Concilio III. dici recitatas fuiſſe; & neutram inveniri, aut actis Conciliaribus adjectam eſſe; cum non omne, quod ſcriptum eſt, extet, aut extare neceſſe ſit; & ea etiam, quæ extat, Cypriani ad Jubajanum Epiſtola neutiquam actis adjecta ſit: quam quidem in rem plurima poſſent afferri exempla, niſi ſatis comperta cunctis illa putarem. Similiter novum non eſt, plura Epiſco-

ſcoporum nuda nomina in certis, veriſque monumentis legi ſine Sedis, Provinciæque nominibus, in ipſis etiam Cypriani receptis ab omnibus Opuſculis; eſtque eorum numerus uſque adeo magnus, ut Synodus perquam ingens, ac ferme Oecumenicus ex ipſis conflari poſſet. Denique quod in actis hujus Concilii III. Creſcens a Cirta memoret lectas in Concilio Cypriani ad Stephanum, & ad Jubajanum Epiſtolas; in præfatione vero illa ad Stephanum prætermittatur: reſpondet S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 15., *credo, quia non ſit putatum neceſſarium:* ut etiam dictum eſt ad Propoſ. I. hujus Theorematis.

IV. *Cyprianus dixit... cenſens ſcilicet quod ſemel, atque iterum, & ſæpe cenſuimus* =

OStenſum eſt jam proxime ad Propoſ. I., verba illa S. Cypriani in præfatione Concilii: *cenſens quod ſemel, atque iterum, & ſæpe cenſuimus:* non indicare neceſſario, quatuor, ut minimum celebrata ab eo fuiſſe Concilia pro controverſia de Hæreticorum baptiſmo: ſed & poſtea ad Propoſ. III. eſt pariter demonſtratum, etiamſi quatuor, aut plura denotarent Concilia; non propterea quicquam negotii creari aut epochæ Pontificatus Stephani conſtitutæ; aut huic tertio Cypriani Concilio.

V. *Supereſt, ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes* =

ETſi palam Cyprianus dixit, alioſque commonefecit in Concilio III., *neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes*, nihil tamen, quod perſpicue fidei adverſaretur, pronunciavit; nihil, quod aut Romani Pontificis, aut Concilii Oecumenici poteſtatem, & authoritatem læderet: ea enim, quæ ſubjunxit: *ſed expectemus univerſi judicium D. N. J. Chriſti, qui unus, & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi:* non avocant pervicaces, & contradicentes a Romano Pontifice, & a Concilio Generali; ſed eorum judicium expectare admonet, ac jubet

jubet ille, qui ita dixit: loquitur namque Cyprianus de iis, quorum æqua poteſtas eſt, nec alter alterum authoritate, ac poteſtate præcellit; ut Epiſcopus ad Epiſcopum, & Concilium ad ſimile Concilium comparatum; non de Epiſcopo ad ſuum Metropolitanum, & ad Romanum Antiſtitem univerſæ Eccleſiæ Principem, aut de Concilio Provinciali comparate ad Concilium generale, cujus apex eſt Pontifex Romanus; quapropter ait: *quando habeat omnis Epiſcopus.... tanquam judicari ab alio non poſſit; cum nec ipſe poſſit alterum judicare*: quippe quod omnes Epiſcopi ſunt poteſtate, ac dignitate æquales; & par in parem jus nullum habere dignoſcitur. Quum autem adjecit: *ſed expectemus univerſi judicium D. N. J. Chriſti*: quid aliud innuere voluit niſi Concilium Oecumenicum, & univerſæ Eccleſiæ judicium, cujus caput eſt Chriſtus, ejuſque Vicarius Pontifex Romanus? idque quidem elicitur ex iis, quæ mox ſubdit: *qui unus, & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi*: Chriſtus vero Eccleſiarum gubernationi Miniſtros præponit per Eccleſiæ judicium, Concilium, ac Epiſcopos; igitur & de Miniſtrorum actibus judicat per Eccleſiæ judicium, Concilium, ac Epiſcopos. quare Epiſt. 52. ad Antonianum, poſteaquam examinatis in Concilio ſingulorum cauſſis ait Libellaticos placuiſſe admitti; & ſacrificatis in exitu ſubvenire, idem Cyprianus addit: *neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quominus ſi pœnitentiam plenam, & juſtam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat, quod a nobis fuerat hic ſtatutum: ſi vero aliquis pœnitentiæ ſimulatione deluſerit; Deus, qui non irridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perſpeximus, judicet; & ſervorum ſuorum ſententiam Dominus emendet*. Quibus ex dictis apparet, Cyprianum in præfatione hujus Concilii non de Patribus Concilii, quos omnes & conſentientes habebat, & Concilium judicare poterat, locutum eſſe; ſed de illis multis, qui & in Occidente, & in Oriente contrarium aut ſentiebant, aut ſentire poterant. Qua de cauſa non infirmum ſolum, & leviſſimum, ſed etiam nullum eſt confugium ad cauſſam tantum *diſciplinæ*, quo dictum Cypriani tueatur; nam revera tam in rebus fidei, quam diſciplinæ pertinaces, & contravenientes comprimi poſſunt excommunicationis telo, ut ajunt Patres Concilii Arelatenſis I.

ſis I. Epiſt. ad Sylveſtrum Papam: *& ſi cœperint contra diſciplinam agere, tunc demum a communione excludantur:* ſed non infirmum, nec leve confugium eſſet ad cauſam diſciplinæ non ubique receptæ, vel quam Eccleſia nondum decreverit ubique recipiendam: quamobrem hoc tempore iccirco poteſt a communione fidelium ille Epiſcopus abſcindi, qui luna XIV. Martii cum Hebræis Paſcha Domini celebraret, quod ab Oecumenico Concilio Nicæno, id autem eſt ab univerſa Eccleſia, veritum eſt Paſcha eo die celebrari; quod & de baptiſmo extra Eccleſiam adminiſtrato dicendum. Victor Papa quidem Aſiaticos Antiſtites in cauſa diſciplinæ non ubique receptæ *ab unitate Eccleſiæ prorſus alienos pronunciavit*; quod non Euſebius tantum tradit, ſed etiam Socrates, & Author libelli Synodici in Aſiatica, ſeu Epheſina Polycratis Synodo, uti & Nicephorus Callixti lib. 4. cap. 37., non autem Sozomenus, qui contrarius eſt; quique congreſſum Aniceti, & Polycarpi cum diſſidio inter Victorem, & Polycratem confundit: ſed illam excommunicationem Victoris ſucceſſores propterea non ſunt proſecuti, quod magna pars Orientis contrariam *diſciplinam* obſervaret. Nec ii hallucinantur ullo modo, qui quæſtionem hanc de rebaptiſmo nullo diſcrimine ad ſolam diſciplinam pertinere putant; nam quale eſt illud, quod aſtruitur; Stephanum ob prudentem œconomiam Cyprianum, ejuſque aſſeclas pati potuiſſe; non potuiſſe Cyprianum perferre Africanos illos Epiſcopos, qui poſt Carthaginienſe Concilium in Stephani ſententiam abiiſſent; perinde ac Cyprianus eſſet baptiſmi in ſpeciem tutioris aſſertor; Stephanus vero fidei dogma commacularet, & maximum fidei fundamentum funditus everteret eum ſcilicet baptiſmum approbando, qui & Agrippino, & Cypriano, Afriſque omnibus in pluribus Conciliis irritus fuit, profanus, & inanis: quoniam ſi utriſque una eſt, eademque quæſtio, utrum Hæreticorum, & Schiſmaticorum baptiſma verum ſit, an vero iterandum; cur primum affirmanti erit quæſtio *ad fidem* pertinens; neganti vero quæſtio *de diſciplina;* aut e converſo? ille, ſi probat baptiſmum ab aliis proſcriptum, fidei dogma commaculabit, & maximum fidei fundamentum evertet; iſte vero, ſi proſcribit ab aliis probatum baptiſmum nihil horum perpetrabit? ille igitur fidei dogma inquinare dici poterat, & præcipuum fidei fundamentum ſubvertere;

qui

qui baptiſmum omnino eliminabat; non qui baptiſmum Hæreticorum, & Schiſmaticorum admittebat, aut rejiciebat: niſi quis arbitretur, capriosam argumentationem, ac deceptionem, ut ajunt Dialectici, a dicto *ſimpliciter* ad *ſecundum quid* hoc loco nonnihil valere.

Quicunque porro fuit, qui pronunciare non dubitavit, *in fide Cyprianum erraſſe;* videat ne nimium contumelioſus extiterit in S. Martyrem, in Baſilium, in Hieronymum, in Auguſtinum, alioſque complures viros doctrina, & religione conſpicuos. Quæſtionem enim de baptiſmo Hæreticorum ad diſciplinam, non ad fidem ſpectaſſe jam oſtendi ad Propoſ. VI. Theor. II., idque perſpicue docetur etiam a M. Baſilio Epiſt. ad Amphilochium cap. 1., ubi de Schiſmaticorum, & hæreticorum baptiſmate dicit: *Oportet unuſquiſque Regionis morem ſequi, quod variæ fuerint de ipſorum baptiſmate diſſenſiones eorum, qui tunc de iſtis diſſeruerunt... ſed quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam, & diſpenſationem eorum baptiſma ſuſpici, ſuſcipiatur.. Quod ſi hoc univerſali œconomiæ ſit impedimento futurum, rurſus conſuetudine utendum eſt; & ſequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, providerunt:* can. vero 47. *ſi autem probibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & a Romanis œconomiæ alicujus gratia; noſtra tamen ratio vires obtineat:* & S. Dionyſius Alexandrinus Epiſt. ad Sixtum Papam apud Euſebium lib. 7. cap. 7. cum, narrato baptiſmum Hæreticorum ab Afris, & Orientalibus in pluribus Conciliis condemnatum fuiſſe, atque rejectum, adjecit: *quorum judicia, & ſententias condemnare, irritaque facere non audeo: non enim movebis, inquit, terminos proximi tui, quos conſtituerunt Patres tui:* ſi ad fidem ea quæſtio pertinuiſſet, ut erat canonum peritus Magni Baſilii teſtimonio, non potuiſſet non illis repugnare, eorumque judicia non reſcindere ſine nota hæreſis; quocirca utriuſque partis opinionem vocat *conſuetudinem*, ſicut & memoratus Baſilius; *inveteratam* etiam *conſuetudinem* Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos, & Auguſtinus plurimis in locis; qui quidem ſi eam quæſtionem de fide eſſe exiſtimaſſet, quo pacto ſcribere potuiſſet lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. *de baptiſmi ergo quæſtione &c. reſtat, ut hoc de baptiſmo pie credamus, quod univerſa Eccleſia a ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit: in qua tamen ſi aliud alii,*

alii, & aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalva pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum, ſyncerumque placuiſſet; humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis: & lib. 5. cap. 4. *quiſquis autem... eodem unitatis vinculo intelligat ſalvos eſſe potuiſſe, quibus aliud ſalva charitate tunc viſum eſt:* nec non lib. 6. cap. 7. *accepta quoque majore ex verbis Cypriani fiducia, per quæ mihi etiam tunc liceret ſalvo jure communionis diverſa ſentire:* ac lib. 3. cap. 4. *quid ad Jubajanum ſcripſerit Cyprianus, jam legi, fateor; & profecto iiſſem in eandem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta authoritas aliorum?* lib. vero 2. cap. 14. dum ait: *potens eſt Dominus per ipſum unitatis vinculum, & pacis etiam rebaptizatis placari; & eis, a quibus rebaptizati ſunt, ex ipſa pacis compenſatione miteſcere:* innuunt ne iſta hæc errorem in fide; ſi deleri potuiſſe dicit ſolo pacis, ac unitatis vinculo? præſertim cum pluries hæſitaverit, an ita ſentiendo aliquid erroris, & maculæ contraxerit Cyprianus illis lib. 1. de baptiſmo verbis cap. 18. *cum autem minus illud proſpiciens hanc* (unitatem) *tamen humiliter, fideliter, fortiter cuſtodivit, ad martyrii coronam meruit pervenire; ut ſi qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur:* lib. de unico Baptiſmo cap. 13. *ſi quid habebat purgandum, ſi nulla alia re, certe paſſionis falce ultima tolleretur:* & Epiſt. 93. al. 48. ad Vincent. Rogat. *ibi ſi quid in eo fuerat emendandum, tanquam ſarmentum fructuoſiſſimum purgavit pater falce paſſionis:* adeo certum eſt, Auguſtino Hæreticorum baptiſmum approbare, illumque non iterare non dogma fidei, ſed *conſuetudinem* fuiſſe, uti eam ſemper appellat, & Caſſiodorus lib. Divin. Lect. cap. 9. non aliter ſapit, dum de ratione baptiſmatis, ac opinione S. Cypriani ſcribit, *quam uſus gratia repudiavit Eccleſia:* nec ab iſtis diſſentit Pelagius II. Papa Epiſt. 3. ad Hiſtriæ Epiſcopos, ubi de S. Auguſtino tradit: *qui dum de unico baptiſmate loqueretur, idcirco Cyprianum Martyrem, qui de iterando baptiſmate ſcripſerat, defunctum perhibuit; quia licet pravum quid ſenſerit, nunquam tamen ſe a totius Eccleſiæ communione ſuſpendit:* ſi autem Cyprianus ſcripſiſſet errorem in fide, hæreſimve ſenſiſſet; nunquamne ſe a totius Eccleſiæ communione ſuſpendiſſet; maxime qui diu, multumque Ste-

phano Papæ repugnavit? Quapropter S. Bonaventura in 4. diſt. 6. par. 1. habet: *dubium fuit; & probabiliter moti ſunt, quod Hæretici carentes fide non baptizent; & ubi dubitatio eſt, poteſt in caſu quis rebaptizari... ſed nunc determinatum eſt:* & Jo: Scotus 4. diſt. 5. q. 1. ſentit, S. Cyprianum nullo modo erraſſe, ideo quod nondum eo tempore per Eccleſiam declaratum eſſet, an Hæreticorum baptiſmus iterari deberet; hancque Doctorum eſſe conſenſionem affirmat S. Antoninus Chron. par. 1. cap. 7. tit. 7. §. 8. Lupus quidem to. XI. Opuſc. poſthum. de Opinione probabili cap. 2. docet, Cypriani temporibus opinionem de Hæreticis rebaptizandis fuiſſe omnino probabilem, & cap. 4. Cyprianicæ opinionis aſſerit extitiſſe etiam SS. Athanaſium, Baſilium Magnum, Cyrillum Hieroſolymitanum, & Optatum Milevitanum, alioſque plures; quos etiam poſt Nicænum Concilium ob hujus opinionis *probabilitatem* dicit excuſatos; & quædam alia adjungit, quæ & ibi, & cap. 12. legi poſſunt: ſed & Pagius quoque ad ann. 215. n. 2., Thomaſſinus to. 2. Theologiæ Dogmat. diſſert. 2. num. 35. & ſeq., ac Juenin Comment. de Sacram. diſſert. 2. q. 6. art. 3., ut cæteros prætercam aut minoris famæ, aut ambiguæ ſententiæ, cenſent quæſtionem Cypriani cum Stephano non ad fidem, ſed ad diſciplinam pertinere. Quod & ii omnes pariter affirment, oportet, qui *canonem VII.* de Hæreticorum baptiſmo Concilii I. Conſtantinopolitani eſſe arbitrantur; nam ejus Concilii Patres Epiſt. ad Theodoſium Imp. ſcribunt: *Patrum, qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus, comprobavimuſque; & quæ adverſus eam obortæ ſunt, perverſas hæreſes, ac pravas opiniones extrema cum execratione, ac deteſtatione reprobavimus. Præterea etiam ad recte conſtituendum, ac ordinandum ſtatum, & diſciplinam Eccleſiaſticam certos canones ſtatuimus, ac præſcripſimus:* quemadmodum & ii quoque, qui Hæreticorum baptiſmum, illo Paulianorum excepto, a Nicæno Concilio ſaltem per acceſſionem fuiſſe receptum opinantur; cum Sozomenus lib. 1. cap. 22., poſtquam ſcripſit, *fidei* confeſſionem a Patribus Nicænis expoſitam, & approbatam fuiſſe, ſubjungat: *Concilium vero ad mores eorum, qui in Eccleſiis ætatem degunt, rite inſtruendos omni cura, & cogitatione incumbens leges, quas vocant Canones, ſancivit:* quod fere idem refert Ruffinus Hiſt. lib. 10. cap. 5., & Theodore-

doretus lib. I. cap. 8., narrato *Symbolum Nicænum*, ideſt *fidei* regulam, a Patribus fuiſſe comprobatum, addat: *poſt hæc reverſi in Concilium conſcripſere Eccleſiaſticæ adminiſtrationis leges viginti*; uti & Gelaſius Cizicenus in Hiſt. Concilii Nicæni lib. 2. cap. 20. & 29., quapropter S. Athanaſius lib. de Synodis admonet, Patres Nicænos, quibus cum ipſe fuit, dum de *Paſchatis* celebrando die ſtatuerent, dixiſſe: *Viſum eſt, ut omnes obtemperarent: de fide vero non ſcripſerunt: Viſum eſt: ſed ad iſtum modum: credit Catholica Eccleſia: & ſtatim confeſſio ipſa credendi adjuncta eſt; ut oſtenderent eam non novam eſſe ſententiam, ſed Apoſtolicam; & quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inventa, ſed Apoſtolorum documenta:* liquetque eos, quædam propoſuiſſe, quæ credenda eſſent; quædam vero, quæ obſervanda, conſtituiſſe; atque hæc ab illis probe ſecerniſſe; ut etiam S. Auguſtinus advertit lib. de Fide, & Operibus cap. 9., *non tantum dicere, quæ ſunt credenda de Chriſto; ſed etiam quæ obſervanda, ei, qui accedit ad compagem corporis Chriſti:* Quidam tamen Scriptorum novi ab antiquis illis plane diſcedentes iſta miſcent, & confundunt; & omne id, quod in Eccleſia decretum nanciſcuntur, continuo *ad fidem* pertinere conſcribunt, conclamantque.

Quod igitur ait Natalis Alexander, inexcuſabiles eſſe eos, qui *errorem* contra fidem a Sede Apoſtolica damnatum pertinaciter propugnant etiam ante Concilii Oecumenici celebrationem; quid aliud innuit, quam quod hucuſque aſſertum eſt; rebaptiſmum Cypriani minime contra fidem fuiſſe? Auguſtinus enim excuſat Cyprianum, & Afros, qui Hæreticos eſſe rebaptizandos dictabant; quia nondum ea quæſtio ad Concilii plenarii authoritatem, roburque perducta fuerat, nondumque determinata; igitur Auguſtinus cenſuit rebaptizare Hæreticos Cypriani temporibus aut errorem non fuiſſe contra fidem, aut a Sede Apoſtolica non damnatum, aut ab Afris non pertinaciter propugnatum: conſtat autem & Stephanum Papam errorem illum improbaſſe, & Afros ab illo non receſſiſſe; reſtat igitur, ut Auguſtino rebaptizare Hæreticos illis temporibus minime viſus ſit error contra fidem. Cæterum ſive res fidei ſit, ſive diſciplinæ; quum a Sede Romana eſt de fide, aut de diſciplina communi, ac ubique recepta determinata; nullum ulterius neceſſarium eſt

univerſæ Eccleſiæ Concilium; quamquam pluries conceſſum eſt ob eas cauſas; quas legimus apud illos, qui de Conciliis agunt. Quod autem S. Auguſtinus Pelagianis ademerit ſpem generalis Concilii, non id egit, propterea quod eorum error jam ab Apoſtolica Sede damnatus eſſet; ſed ob eam rationem, quam ipſe refert lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelag. ad Bonif. cap. 12. *aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit; cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint, & innumerabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per terras cæteras devitandæ innoteſcere potuerunt?* Similiter quod Eccleſia unius baptiſmatis confeſſionem Conſtantinopolitano Symbolo attexuerit, non inde perſpicue ducitur, hanc de baptiſmo iterando quæſtionem fidei, non diſciplinæ fuiſse; ut etiam exiſtimavit Lupus in 2. Proœm. Diſſert. de Simoniæ crimine to. 4. cap. 17., ubi tradit, Concilium CP. I. adverſus S. Baſilii, & aliorum de rebaptiſmo Hæreticorum ſententiam Symbolo fidei addidiſſe, *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum;* ſed hæc a Patribus Concilii ſymbolo adjecta ſunt & contra quoſdam Hæreticos, qui duo, ut Valentiniani, authore S. Hieronymo in cap. 4. Epiſt. Pauli ad Epheſ., vel tria, aut plura, ut Marcionitæ, & Ebionitæ teſtante S. Epiphanio hær. 30., ac 42., baptiſmata ſtatuebant; & contra alios Hæreticos, qui aut neceſſitatem baptiſmi inficiabantur; aut eum delere peccata nolebant, uti Marcuſii, Cajani, Manichæi, Archontici, & Maſſaliani, ſeu Euchaitæ, Saccophorique; de quibus tradunt S. Irenæus lib. 1., Tertullianus lib. de Baptiſmo, S. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 46., Epiphanius de hæreſ., & Theodoretus hæret. Fabul. lib. 1., & 4. cap. 10. Illud vero Pauli Apoſtoli 4. ad Epheſ. *unus Dominus, una fides; unum baptiſma* non vetat baptiſmatis iterationem; quoniam ſi iſtud iterari poſset, adhuc unum eſset; quemadmodum una fides eſt, quamvis ipſa frequenter, & aſſidue repetatur; ſed alia baptiſmata, alias fides, alios Dominos, ſeu Deos eliminat: plures enim cum eſſent Dii, plures fides, & plura baptiſmata; ſi quidem & ſua Gentiles, & Hebræos ſua baptiſmata habuiſse multi ſcribunt; de baptiſmo Dæmonis, & Gentilium agit Ter-

Tertullianus lib. de Præſcript. Hæret. cap. 40., & lib. de Baptiſmo cap. 5., S. vero Clemens Alexandrinus Strom. lib. 3. habet: *non enim neceſſario a liberorum abducit procreatione, qui cadentes per unum baptiſmum ad conſuetudinem omni ex parte abluit Dominus; qui etiam multa Moſis baptiſmata per unum comprehendit baptiſmum:* S. Hieronymus in cap. 16. Ezech. *multaque ſunt lavacra, quæ Ethnici in myſteriis ſuis, & Hæretici pollicentur; qui omnes lavant, ſed non lavant in ſalutem:* & S. Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 9., & lib. 2. contra Parmen. cap. 10. *baptizantur autem a mortuis, qui baptizantur in Idolorum Templis, non enim & ipſi a Sacerdotibus ſuis ſe accipere arbitrantur ſanctificationem, quam putant, ſed a Diis:* lib. vero 6. de Baptiſmo cap. 47. *ideoque dicimus, non omnem baptiſmum, (nam in multis Idolorum ſacrilegis Sacris baptizari homines perhibentur) ſed baptiſmum Chriſti, ideſt verbis Evangelicis conſecratum ubique eundem eſſe:* nec non Leo Magnus ſerm. 7. de jejunio ſeptimi menſis: *quamvis enim varietates Hoſtiarum, differentiæ baptiſmatum, & otia Sabbatorum cum ipſa carnis circumciſione ceſſaverint:* ob id Paulus Apoſtolus Epheſios commonefacit; etſi ea plura eſsent; tamen ad peccata delenda, ac vitam æternam aſsequendam unum Deum, unam fidem, & unum baptiſma Chriſtianorum conducere; præſertim cum Patres non ſint confeſſi unum baptiſma tantum, ſed unum baptiſma *in remiſſionem peccatorum*: quem locum nihilominus Hieronymus proxime laudatus in cap. 4. ad Epheſ. varie interpretari poſse credidit, dum ait: *poteſt unum baptiſma & ita dici, quod licet ter baptizemur propter myſterium Trinitatis; tamen unum baptiſma reputetur:* ſed illam, quam quidam Romanorum, & Afrorum conſueverant proferre, interpretationem neque Hieronymus, aut Auguſtinus, neque Baſilius unquam adoptarunt.

Quumque poſtremo adjicitur, illud Cypriani ex Epiſt. 52. ad Antonianum *de pace* olim a nonnullis Afrorum Epiſcopis denegata *Mœchis* ſine ulla controverſia ad diſciplinam ſpectaſse; iſtud vero de *Hæreticorum* baptiſmate iterando ad fidem: non ſatis ſibi conſtare Vindicem iſtum quiſpiam dicturus erit; quando is paulo ante ſcripto tradidit, Luna XIV. Martii cum Judæis Dominicum Paſcha celebrare; baptiſmum ab Hæreticis collatum tamquam irritum iterare; &

S. Eu-

S. Euchariſtiam in pane fermentato a Latinis confici nonniſi ad diſciplinam attinere; quod ipſum etiam antea cap. 1. n. 5., & cap. 2. num. 34. de Hæreticorum baptiſmate iterando palam aſſeruerat. Deinde illud quoque erat contra Romani Pontificis decretum a Tertulliano lib. de Pudic. cap. 1. deſcriptum: *ego mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Poſtea negare pacem mœchis, & pœnitentiam lapſis ſine ulla controverſia ad diſciplinam pertinere, non omnes Catholici, iique viri magni nominis concedent, ac in fide tutum exiſtimant; dum volunt iſtud hoc labefactare dogma fidei, nimirum *remiſſionem peccatorum* in Eccleſia negare; ut elicit Baronius ad ann. 254. num. 107. ex verbis S. Cypriani Epiſt. ad Antonianum, & S. Auguſtini de Agone Chriſti cap. 31. Et quidem S. Cyprianus Novatianum non ſemel dicit *hæreticum*, hæreſimque conflaſse contendit; nec tamen illi quidquam aliud imputat, quam quod negaret dandam eſse lapſis pacem; idque non ſolum quibuſdam, & ob nonnulla peccata; ut ſequiores Novatianenſes interpretabantur; ſed quibuſcunque teſtimonio S. Ambroſii lib. 1. de Pœnit. cap. 2., aitque loco memorato Cyprianus: *miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent lapſis pœnitentiam; aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit &c.* congerens plures veteris, ac novi Teſtamenti authoritates, quibus & probat id doceri, quod ſubdit: *cum ſciamus juxta Scripturarum Divinarum fidem authore, & hortatore ipſo Deo & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, atque indulgentiam pœnitentibus non denegari... ob hæreticæ inſtitutionis inefficax, & vana traditio!* Sed & S. Auguſtinus Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. iſtud Afrorum factum de pace mœchis negata producit; & quanti illud penderet, his verbis declarat: *ſi autem quod veritas habet, & quod Eccleſia merito tenet, recte pœnitentibus adulteris pax dabatur; illi, qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impie utique agebant; qui membris Chriſti ſanitatem negabant, & claves Eccleſiæ pulſantibus ſubtrahebant, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei... dura crudelitate contradicebant. Nec tamen iſtos miſericordes, & pacificos... tam immanis error, & impietas inquinabat:* Non enim quod lapſis Novatianus, & mœchis Cypriani anteceſſores indulgentiam denegarent, ſpeciem habebat non exiguam, nec prorſus

ſus inanem ſalutaris ſeveritatis; ſed ſolam, eamque ſummam deploratæ duritiei jactantiam præſeferebat; ut idem Cyprianus addiderit: *hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam; dicere fratribus noſtris, plange, & lacrymas funde, & diebus, ac noctibus ingemiſce ... ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris; quæcunque ad pacem pertinent, facies; ſed nullam pacem, quam quæris, accipies: quis non ſtatim pereat? quis non ipſa deſperatione deficiat?* quare etiam Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 34. Novatianum appellat *crudeliſſimum*. Quæ ſane expoſui, non quo putem, negare pacem mœchis, & pœnitentiam lapſis eo tempore fidei Catholicæ repugnaſſe; ſed quia ſi ea, de quibus tantopere Cyprianus, & Auguſtinus oblocuti ſunt, ad diſciplinam pertinuiſſe cum Magno Baſilio ſentimus; quanto magis controverſia de Hæreticorum baptiſmo ad diſciplinam ſpectaſſe dicenda erit. At Hæreticorum baptiſmate ablutis *Infantibus* præſertim ex Cypriani ſententia Cœli janua obſtructa eſt: primum an Hæreticorum Infantes cum baptiſmo decedentes Paradiſi gloriam conſequantur, & an Eccleſia, quæ Miniſtri Sacramentorum intentionem non ſupplet, Parentum fidem ſupplere queat, alia quæſtio eſt, aliuſque loci: deinde non, ſentire Hæreticos eſſe rebaptizandos, privat eos baptiſmo, ac Paradiſi gloria; ſed eos non abluere ſalutari Eccleſiæ lavacro: neque ad æternam vitam obtinendam neceſſarium eſt neceſſitate medii, ut baptiſmus Chriſti ab Hæreticis adminiſtretur; ſed ut a vero tribuatur Miniſtro; & ut Jo: Scotus in 4. diſt. 5. q. 1. habet de hac Cypriani quæſtione: *hoc modo dico, quod baptiſmum eſſe Sacramentum novæ legis neceſſarium ad ſalutem, ſtatim erat de veritate fidei Chriſtianæ, quia expreſſe habitum eſt in Evangeliis; ſed quod ab Hæretico poterat conferri, non ſic ſtatim expreſſum fuit, immo nec tempore Cypriani declaratum*. Quapropter ambigere, an baptiſmi per Hæreticos adminiſtratio ad fidem pertineat, nec ineptum eſt, nec turpiſſimum: nam ſi varietas formæ baptiſmi Græcorum, & Latinorum ad diſciplinam pertinere poteſt, non ad fidem; ſicut & varius modus trinæ, vel unius immerſionis, aut aſperſionis; cur & Miniſtrorum varietas ad diſciplinam pertinere non poterit, & non ad fidem; vel ſaltem ambigi?

VI.

Digitized by Google

VI. *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit* =

SI Baronius cenſuit, haud obſcure hoc loco a Cypriano deſignari *Stephanum*, non temere cenſuit; habetque fere cunctos, qui eum ita cenſentem ſubſequuntur: & quamquam id certo ſtatui non poteſt, tamen nec etiam affirmari certo poteſt, eum eſſe hallucinatum, aut mentitum; iſtud hoc quidem audiſſet, ſi dixiſſet, hic denotari Melchiadem Romanum Pontificem; a quo dicendo tantum ille abfuit, quantum iſtud a vero abhorret. Etenim diffiteri nolo, neque poſſum, Primatum Romani Pontificis, ſupremamque ejus ſuper univerſam Eccleſiam poteſtatem a S. Cypriano agnitam fuiſſe; ſed illud diffido, facile ex ejus Opuſculis a quoquam planum fieri poſſe. Dixi autem, certo affirmari non poſſe, hoc loco Stephanum Papam a Cypriano deſignari; quia etſi ipſe Epiſtola ad Pompejum de Stephano dicens, *nam inter cætera vel ſuperba*, idipſum innuere videatur; tamen cum idem Cyprianus Epiſt. 69. ad Florentium Pupienum ſcribit, eum feciſſe ſe *Epiſcopum Epiſcopi*, & *Judicem Judicis*, apparet ejus veluti dialectes ita de omnibus aſſerere, qui alios carpere, vel judicare voluerint. Certe S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 3., & lib. 6. cap. 6. ea Cypriani verba referens, atque expendens nihil opponit, ſed tantum adjicit: *quid manſuetius, quid humilius? nulla nos certe deterret authoritas a quærendo quid verum ſit:* adeo ipſe aberat a comminiſcendo Miltiade Papa, aut Donatiſtis furioſis loco Stephani, & Cypriani; dum ibi rabidam non ſenſit declarationem, aut in fide errores; non Romani Pontificis ex cathedra docentis ἀσφαλείαν pernegatam agnovit; non Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicam traditionem, neque Concilii Oecumenici certiſſimum judicium, & correctricem poteſtatem; ut alias eſt oſtenſum: ſed potius ſimilem advertere potuit controverſiam ei, quam ſuo tempore Africani Antiſtites cum Romanis Pontificibus Zoſimo, Bonifacio, & Cœleſtino *de Apellationibus* habuerunt; & de qua ipſe cum aliis Epiſcopis ad Bonifacium ſcripſit: *ea breviter inſinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata ſunt; in quibus ſalva quidem charitate, ſed non ſine parvo altercationis labore demorati ſumus.*

VII.

Ad num. VII. *Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium tamquam judicari ab alio non poſſit; quum nec ipſe poſſit alterum judicare* =

HIs, quæ ex Concilii hujus præfatione referuntur hoc loco, minime repugnat Cyprianus in Epiſt. 67. ad Stephanum Papam de Martiano Arelatenſi, & in alia 68. ad Eccleſias Emeritenſem, & Aſturicenſem, Legionenſemque de Baſilide, & Martiali lapſis: hic enim Cyprianus loquitur & de iis, qui vere Epiſcopi ſunt, quorumque, quoniam ſunt officio, ac poteſtate pares eo præſertim tempore, alter in alterum nullum jus habet, ut alter ab altero judicari queat; & de iis rebus, quæ nondum ſatis diſcuſſæ fuerant, ſed adhuc controvertebantur; de quibus quidem ita eum ſentientem facit Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 3., *opinor utique in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt:* At ibi Martianus Arelatenſis, ſi unquam fuit, & Baſilides, Martialiſque Hiſpani dignitate jam exciderant; & ob aperta crimina lapſus in Schiſma, atque Idololatriam jure, ac merito privati, exutique honoribus erant: quocirca nil aliud adverſus eos opus erat, niſi legibus agere; quod unicuique Epiſcopo, ac pene ipſi populo convenire poſſet; ut inquit Gelaſius Papa I. Epiſt. 4. ad Fauſtum de Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano: *Euphemium vero miror, ſi ignorantiam ſuam ipſe non perſpicit, qui dicit Acacium ab uno non potuiſſe damnari... Quod non ſolum Præſuli Apoſtolico facere licuit, ſed cuicunque Pontifici; ut quoslibet, & quemlibet locum ſecundum regulam hæreſeos ipſius ante damnatæ a Catholica communione diſcernant.* Qua de cauſa manifeſtum eſt, ea Cypriani in Concilio verba Eccleſiaſticam Hierarchiam neutiquam perturbare.

Ad num. VIII. *Sed expectemus univerſi judicium D. N. J. C., qui unus, & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi* =

POſtrema hæc S. Cypriani ſententiæ pars probe reſpondet pluribus aliis ejus ſententiis, quas ſæpe numero uſur-

paſſe legimus; ut præter illam 52. ad Antonianum Epiſtolam teſtatur & 55. ad Cornelium Papam de Fortunato, & Feliciſſimo Schiſmaticis; in qua ſcribit: *ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque, & gubernet rationem ſui actus Domino redditurus:* in 42. vero ad eundem Cornelium de eiſdem: *qui in obſtinatione ſua vel furore perſeveraverunt, & ad nos redire noluerunt, diſcretionis, & ſeparationis a ſe factæ, & Eccleſiæ derelictæ ipſi rationem Deo reddituri:* in 54. ad ipſum eundem Cornelium ipſe cum Concilio ſuo de lapſis inquit: *Quod ſi e Collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus, & ſororibus non putet dandam; reddet ille rationem in die judicii Domino vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ. Nos quid fidei, & charitati, & ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra, protulimus:* in 67. ad Stephanum Papam de hac quæſtione: *cæterum ſcimus quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare; ſed ſalvo inter Collegas pacis, & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud ſe ſimul ſint uſurpata, retinere: qua in re nec nos vim cuipiam facimus, aut legem damus; cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium unuſquiſque Præpoſitus rationem actus ſui Domino redditurus:* & in 76. ad Magnum Epiſtola de baptiſmo Clinicorum: *nemini præſcribentes quo minus ſtatuat, quod putat, unuſquiſque Præpoſitus actus ſui rationem Deo redditurus, ſecundum quod Beatus Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua ad Romanos ſcribit, & dicit: unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem dabit, non ergo nos invicem judicemus.* Nec multum diverſum eſt id, quod Cletus Romanus ad ipſum Cyprianum ſcribit in quæſtione de lapſis Epiſt. inter Cyprianicas 31. *Quamquam bene ſibi conſcius animus & Evangelicæ diſciplinæ vigore ſubnixus, & verus ſibi in decretis cœleſtibus teſtis effectus ſoleat ſolo Deo judice eſſe contentus; nec alterius aut laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere: tamen geminata ſunt laude condigni, qui cum conſcientiam ſciant Deo ſoli debere ſe judici, actus tamen ſuos deſiderant & ab ipſis ſuis fratribus comprobari. Quod tu frater Cypriane facere non mirum eſt &c.*, aut quod Patres Concilii Arelatenſis I. in Epiſt. ad Sylveſtrum Papam de Donatiſtis dixerunt: *ideo judice Deo, & Matre Eccleſia, quæ ſuos novit, & comprobat, aut damnati ſunt, aut repulſi.*

Sed

Digitized by Google

Sed & quid aliud ſentit S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos, cum ait: *nemo poteſt Chriſti palmam ſibi aſſumere; nemo ante diem judicii de hominibus judicare. Si jam mundata eſt Eccleſia, quid Domino reſervamus?* & lib. 4. in Hieremiam quando refert, ſe non damnare *Millenariorum* opinionem, eo quod & a viris clariſſimis, ac Martyribus tradita ſit; *& unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat; & Domini cuncta judicio reſervantur*, nimirum ſive in futuro ſeculo, quum per ſe ipſe cuncta judicabit; ſive in præſenti, dum per Concilium omnia diſponit, in quo propterea dicitur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis* Act. 15., & quid aliud S. Auguſtinus, dum lib. 1. de adulterinis Conjugiis ad Pollentium cap. 26. ſcribit: *non tamen propterea damnare debemus eos... ſatis quippe in talibus reſpiciendum eſt illud Apoſtoli: unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo; non ergo amplius invicem judicemus... & iſta Salvatoris verba* (nolite projicere margaritas ante Porcos) *referentes, baptizare non audent eos, qui pro ſe reſpondere nequiverint; ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium*. Neque perenne illud perfugium, iis in locis agi de diſciplina, non vero de fide, quicquam juvat: primum quia ſuperiori num. V. aſſeritur; eum Epiſcopum abſtinendum eſſe, qui in diſciplinæ quæſtione latæ per Romanum Pontificem, ſeu per Concilium Generale ſententiæ obſiſtit, eiſque cum pertinacia repugnat: & plures Cypriani memoratæ Epiſtolæ poſt Concilium, & Romani Pontificis decretum de lapſis editæ noſcuntur: Deinde ſi quæſtio de baptiſmo Clinicorum ad diſciplinam pertinebat; cur non & quæſtio de baptiſmo Hæreticorum? & ſi illa quidem fuit; num & altera Millenariorum de diſciplina erat, quæ modo ſcitur eſſe de fide? Poſtea nonne Paſtores Eccleſiaſticum gregem regere tenentur non tantum in iis, quæ mores, & diſciplinam concernunt, verum etiam in iis, quæ ad fidem pertinent? & tamen Cyprianus, & alii plures ajunt, eos *rationem ſui actus Domino reddituros*, eo ſcilicet, quo paulo ante, & etiam ad num. V. hujus Propoſ. dictum eſt, modo; nec non ob eam quoque rationem, quam affert Anaſtaſius II. Papa in Epiſt. ad Anaſtaſium Imp. de Acacio Epiſcopo CP. a Felice Romano Pontifice damnato: *itaque monente nos beatiſſimo Paulo Apoſtolo, ne quid ſit in hoc offendiculum in Eccleſia... Ait enim de his, qui de re-*

bus ad Deum ſolum pertinentibus judicare præſumunt... Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti... Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo... Monet igitur B. Apoſtolus, ne de his nobis præſumamus judicium, de quibus nemo poteſt melius, vel verius judicare quam Deus; ne ſibi in hoc quiſpiam temerarios auſus uſurpet; & propter hoc pax, & unitas Eccleſiæ diſſipetur. Quod autem Conſtantinus Magnus reſpondit ad libellos ſibi porrectos in Concilio Nicæno variarum Antiſtitum accuſationum apud Ruffinum, & Sozomenum lib. 1. cap. 16., idipſum attulerunt & Gregorius Magnus in Epiſt. 31. lib. 4. ad Mauritium Auguſtum, & Nicolaus I. in Epiſt. 8. ad Michaelem Imp., non quod eæ ad Synodum referri non poſſent, deberentque; ſed quia tum libuit ita fieri quibuſdam de cauſis: qua in re plane ſimili & S. Auguſtinus Epiſt. 261. ad Cœleſtinum Papam de Antonio Fuſſelenſi Epiſcopo jam condemnato, & ad Romanam Sedem provocante ſcripſit: *recolens enim quod ait Apoſtolus: ſi noſmetipſos judicaremus, a Domino non judicaremur: judicabo me ipſum; ut parcat mihi, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos.* Re namque vera tam ea, quæ fidei eſſe noſcuntur, quam quæ ad morum informationem, atque ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſum attinent, in Conciliis diſcuti certum eſt; & Epiſcopotum actus nedum circa fidem, verum etiam circa mores, & diſciplinam ubique receptam diſcrepantes, & longius aberrantes ibidem corrigi, conciliari, & ad communem viam revocari ſatis compertum eſt; cum ob id inſtituta ſint Concilia cum Provincialia, tum Generalia, ac Oecumenica, nec non diœceſana. Propterquid autem Cyprianus ad Antonianum refert, cum *apud anteceſſores* ſuos *quidam de Epiſcopis dandam pacem mœchis non* putaſſent, & *in totum pœnitentiæ locum contra adulteria* clauſiſſent; non tamen, *quia apud alios adulteris pax dabatur*, Catholicæ Eccleſiæ unitatem rupiſſent; *manente concordiæ vinculo actum ſuum diſponere*, & diregere unumquemque Epiſcopum *rationem actus ſui Domino* redditurum? num quia hujus diſciplinæ cauſa finis humanæ mentis aciem omnino fugiebat, ſolique Deo aperta erat? annon extabat Romani Pontificis contrarium ei decretum abs Tertulliano lib. de Pudicitia relatum? annon exploſa eſt tandem, & eliminata tam duræ diſci-

ſci-

ſciplinæ ſanctio? ideo igitur ita locutus eſt Cyprianus, quod diſciplina de pace *mœchis* danda tunc adhuc varia erat; & nondum, quod Romanus Epiſcopus edixerat, ubique receptum; neque, ut reciperetur, præceptum; nondumve in ullo Generali Concilio diſputatum, firmatumque fuerat; quapropter unicuique Epiſcoporum liberum erat ſentire, ac pronunciare, quod vellet. Hac quidem ratione ſe tuetur S. Hieronymus in Apol. contra Ruffinum lib. 1. cap. 7., qui objecerat, quod ipſe teneret, defenderetque poſſe eum eſſe Præsbyterum, vel Epiſcopum, qui uxorem habuiſſet ante baptiſmum, eaque mortua aliam poſt baptiſmum duxiſſet; nec eundem eſſe bigamum, nec contra Apoſtoli Pauli dictum, debere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum; reſpondetque ſe ita ſcripſiſſe, quod plane fecerat Epiſt. 82. ad Oceanum, *nulli præjudicantes ſequi quod velit; nec alterius decretum noſtra ſententia ſubvertentes;* nempe Siricii Papæ decretum ſuæ opinioni contrarium, ut multi interpretantur. Poſteaquam vero ſemel ab Eccleſia ſancitum eſt, aliquid ſive quod fidei, ſive quod diſciplinæ ſit, ubique terrarum recipiendum eſſe, & ubique obſervandum; nemini amplius Epiſcoporum integrum, tutumque eſt oppoſitum ſentire, & illi non obtemperate; cum non ſolum Deo, ſed etiam hominibus debitores ſint; ſintque reddituri rationem etiam illis, qui in Eccleſia primas obtinent, Epiſcopus Metropolitano, Metropolitanus Primati, hic vero Patriarchæ, & omnes Romano Pontifici, ac univerſæ Eccleſiæ omnibus quidem de rebus, exceptis iis, quæ intrinſecus latent, & in corde reconditæ ſunt; hæ namque unæ uni ad judicandum reſervantur Deo. Quare iſta hæc ad Concilium III. Carthagin. præfatio eo abeſt ab impudentia, pervicacia, atque hæreſi Donatiana; quo certo noſcitur ſæpe uſurpata a Cypriani doctrina, temperantia, ac ſanctitate, quemadmodum ex ejus Opuſculis etiam ab omnibus receptis hactenus oſtenſum eſt: præſertim quod etſi Donatiſtarum erat Rom. Pontificis, Eccleſiæque Catholicæ judicium ſubterfugere, non tamen quodcunque in terris judicium; cum & ipſi Judices appellarent, & cœtus, Conciliaque congregarent; ſed tale judicium refugiebant: illa autem *Præfationis* verba Vindicis ſententia quodcunque hominum judicium evertunt, repelluntque.

Ad

Ad Propoſ. V. *Concluſio Epiſtolæ ad Jubajanum expenditur, & confictionis arguitur* =

Ad num. I. *Nos, quantum in nobis eſt, propter Hæreticos cum Collegis, & Coepiſcopis noſtris non contendimus* =

NIhil hic profecto a Cypriano non in ſpeciem, ſed reapſe lenius dici potuit; nihil magis concordiæ, pacique conducens: & ſane hæc ejus ad Jubajanum Epiſtolæ verba recitat, & expendit S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 8., & lib. 5. cap. 17., nec ea in ipſis permulta, & permagna, quæ putantur, conſequi abſurda deprehendit: illa ipſa adducit, & admittit S. Hieronymus vir ingenio acerrimus, & eruditione præſtantiſſimus, qui quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps, in dialogo adverſus Luciferianos. Neque enim Cyprianus ait, non eſſe contendendum cum Collegis *propter Hæreticos*, ideſt ob hæreſim eos oppugnandi, compeſcendi, atque vitandi cauſa; ſed negat ſe contendere cum Collegis, & Coepiſcopis ſuis propter hæreticos, nimirum ob jus quoddam, ſeu poteſtatem baptizandi; quæ num hæreticis attribui poſſet, deberetque, an non, diſputabatur; quam quidem diſputationem etiam judicio Cypriani recte ad diſciplinam, non ad fidem pertinuiſſe ſatis, & abundanter demonſtratum puto. Ita quoque loquitur & Hieronymus in Apol. 2. contra Ruffinum propter Origeniſtas: *quæ enim*, inquit, *eſt audientium ædificatio, duos ſenes inter ſe propter Hæreticos digladiari; præſertim cum ambo Catholicos ſe videri velint?* S. vero Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 7. iſta, & ſequentis numeri verba a Cypriano dicta eſſe ſcribit: *ne quiſquam, ſi hac eadem libera poteſtate diverſa ſentiret, pellendus a cæterorum conſortio videretur:* & lib. 5. cap. 4. ad illa alia Epiſtolæ ad Jubajanum verba: *non tamen quia aliquando erratum eſt, ideo ſemper errandum eſt; cum magis ſapientibus, & Deum timentibus congruat patefactæ, & perſpectæ veritati libenter, atque incunctanter obſequi, quam pertinaciter, atque obſtinate contra fratres, & Conſacerdotes pro Hæreticis reluctari:* reponit Auguſtinus: *non, ut arbitror, etiam illi, ſi adeſſet, viderer pertinaciter, atque obſtinate contra fratres, & Conſacerdotes pro Hære-*

Digitized by Google

Hæreticis reluctari; cum acciperet tanta iſta, quæ nos movent &c. Quamobrem ut erat ſacerdotalis fortitudinis Cypriani cum iis Epiſcopis contendere, qui cum Hæreticis, Schiſmaticiſque ſentirent; vel eos tuerentur ob ea, quæ aut hæreſim, aut ſchiſma foverent: ita non erat Cyprianicæ prudentiæ cum iis Epiſcopis decertare; qui quidem *ſtuporem Hæreticis ipſis patrocinio conſenſus ſui augebant, & hæreſim contra Eccleſiam vindicabant;* hæreticis videlicet patrocinabantur, permittebantque eis baptizandi poteſtatem, quæ ſolius erat Eccleſiæ, ſed ob rem adhuc obſcuram, & dubiam, variæque diſciplinæ; & quæ nondum ab univerſa Eccleſia definita fuerat, utrum ab omnibus tenenda eſſet. Cæterum Epiſtolam Cypriani ad Jubajanum non fuiſſe poſt, ſed ante Stephani decretum, ſeu reſcriptum editam, perſpicuum feci ad num. XIII. cap. I. Atenim Cyprianus Martyr, & Doctor adeo a contentione abhorruit, ut ne cum illis quidem, qui contentioni ſtudebant, contendere voluerit; quiveritque dicere id, quod S. Hieronymus Epiſt. 91. ad S. Auguſtinum ſcripſit: *Vide, quantum te diligam; ut ne provocatus quidem voluerim reſpondere; nec credam tuum eſſe, quod in altero forte reprehenderem.*

Ad num. II. *Cum quibus divinam concordiam, & dominicam pacem tenemus* =

CYprianum cum Stephano, aliiſque contrariæ opinionis in controverſia rebaptiſmi divinam tenuiſſe concordiam, credere debet, quicunque credit SS. Hieronymo, & Auguſtino; quoniam & ipſi iſtud crediderunt, & monumentis ſuis tradiderunt: Hieronymus enim in Dial. adverſus Luciferianos num. 9. ait: *ſciant illum* (Cyprianum) *hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe; ſiquidem in communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contrairent:* Auguſtinus vero lib. de unico Bapt. cap. 14. habet: *cum ergo Stephanus non ſolum non rebaptizaret Hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret, decernentes excommunicandos eſſe cenſeret... tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit:* & lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. *Stephanus autem abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis Hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur: iſte* (Cyprianus) *autem qua-*

quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctæ charitatis viſceribus largiſſime præditus in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignetur; vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur: lib. 1. cap. 18. *non ſe ille tamen a cæteris diverſa ſentientibus ſeparata communione disjunxit; & hoc etiam cæteris perſuadere non deſtitit... Quod non recte fieri, tanto viro nimirum propterea Dominus non aperuit; ut ejus pia & humilitas, & charitas in cuſtodienda ſalubriter pace pateſceret:* lib. 6. cap. 6. *quid huic perſpicuæ veritati obfuit, quod multi Coepiſcopi Cypriani in illam ſententiam conſenſerunt, ſuaſque in idem convenientes proprias protulerunt; niſi ut magis, magiſque illius viri erga unitatem Chriſti charitas innoteſcat?* idque pluribus in locis recudit, & notum eſſe peroptat; non alia de cauſa Deum permiſiſſe, Cyprianum a Stephano de hac baptiſmi quæſtione diſſenſiſſe; quam ut ii, qui poſt eos venturi eſſent, diſcerent; quomodo diſputandum ſit, diſceptandumque inter Catholicos viros, manente corcordiæ, ac charitatis vinculo: quemadmodum ipſe etiam cum aliis Africani Concilii Epiſcopis in cauſſa *Apellationum* anno 419. ad Bonifacium Papam ſcripſit ea, *quæ utrorumque concordia terminata ſunt; in quibus*, inquit, *ſalva quidem charitate, ſed non ſine parvo altercationis labore demorati ſumus*. At furiali ad Pompejum Epiſtola Cyprianus principem Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum eſt inſectatus: primum Epiſtola ad Pompejum ſcripta eſt poſt illam ad Jubajanum, ut oſtendi ad num. XIII. cap. I., deinde familiaris illa fuit, ac privatim ad amicum, unumque Antiſtitem miſſa, non encyclica, neque in publicum, & quoquoverſus jactata, aut ad ipſum Stephanum tranſmiſſa, ac proinde nullum ſchiſma, diſcordiam nullam inter eum, & Stephanum gignere poterat, vel certe peperit; ut ait S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. *non autem hinc uberius excreverunt hæreſes, & ſchiſmata*. Quod enim Cyprianus Epiſtolæ, quam ad Jubajanum dedit, exemplum ad Pompejum tranſmiſerit, magis conjici, ſuſpicarique poteſt, quam ſciri; ſi quidem exempla Epiſtolarum, quas ipſe ad Pompejum ſcribit ſe ad eum tranſmiſiſſe, eſſe poſſunt Epiſtolarum ad Magnum, ad Numidas Epiſcopos, ad Quintum, & ad Stephanum; ex quibus omnibus conflata fuerat

ea ad

ea ad Jubajanum data. Et ſi quoque eam tranſmiſiſſet; non dixiſſet Pompejus, Cyprianum longe aliud re præſtare, ac verbo polliceri; cum neque id S. Auguſtinus dixerit. Re namque vera Cyprianus eam probe tenuit, quam ſe tenere profitetur, divinam concordiam, & dominicam pacem cum Collegis ſuis; quandoquidem nec ab illis diſciſſus eſt, nec unitatem Eccleſiæ lædi permiſit; quamquam de eiſdem ſcribens non omnem verborum modum adhibuit, quem nec illi quoque cum eo tenuerunt; propterquod S. Auguſtinus inquit de eo; *quæ in Stephanum irritatus effudit*: an autem irritatus, ac laceſſitus ſemel, vel ſepties fuerit; non eſt meum definire; nec forſan aliorum.

Ad num. III. *Cum & Apoſtolus dicat: ſi quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei* =

EGregium Apoſtoli monitum & opportune Cyprianus uſurpavit, & feliciter obſervavit; planeque demonſtravit ſe nunquam fuiſſe φιλονείκον, nunquam rixarum, ac diſſidiorum cupidum: non enim pauca adverſus aliquem verba committere Epiſtolæ, & alii notificare, eſt contentioſum eſſe, ſed ſubiratum, ac ſubinfenſum; vel tantum ea, quæ quibuſdam laceſſentibus reponi poſſent, alteri ſignificare; præſertim cum eo in loco & Apoſtolus, & Cyprianus de contentioſo loquantur, non qui provocatus reſpondet, ſed qui ſuapte natura proclivis eſt ad rixas, & jurgia; & facile lites ſerere, crebroque alios provocare ſolet: qualem profecto fuiſſe Cyprianum ex his etiam in Stephanum jactatis neminem dicturum exiſtimo; noverat enim dictum: *bonor eſt bomini, qui ſeparat ſe a contentionibus*: Proverb. 20.

Ad num. IV. *Servatur a nobis patienter, & firmiter caritas animi, Collegii bonor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii* =

S. Cyprianus Epiſt. 65. ad Rogatianum Novenſem, ut puto, in Mauritania Epiſcopum a ſuo Diacono contumeliis affectum ſcribit: *magis enim optamus, & cupimus, contumelias, & injuriam ſingulorum clementi patientia vincere*,

quam ſacerdotali licentia vindicare: cum tamen antea & Diaconi ſuperbiam, atque audaciam exaggetaſſet; & ejuſdem licentiam, ac præſumptionem puniendam dixiſſet; addidiſſetque: *hæc ſunt enim initia Hæreticorum, & ortus, atque conatus Schiſmaticorum male cogitantium, ut ſibi placeant... Quod ſi ultra te contumeliis ſuis exacerbaverit, & provocaverit; fungeris circa eum poteſtate honoris tui; ut eum vel deponas, vel abſtineas.* Satis etiam eſt omnibus notum, quid ille idem ad Florentium Puppienum criminatorem reſcripſerit Epiſt. 69., & quam egregie verbis illum caſtigaverit, ac compreſſerit: numquid ob eam rem patientiam, quam extollit, ac profitetur, minime ſervat? vel ſi non ſervat interdum, culpandus eſt? Ait enim Epiſt. 10. ad Clerum ſuum contra quoſdam Præsbyteros, qui temere lapſis aperirent Eccleſiam nondum pace reſtituta, neque annuente Epiſcopo: *Contumelias Epiſcopatus noſtri diſſimulare, & ferre poſſem; ſicut diſſimulavi ſemper, & pertuli: ſed diſſimulandi nunc locus non eſt, quando decipiatur fraternitas noſtra a quibuſdam veſtrum &c.* quippe qui præclare ſciebat, quodnam tempus eſſet tacendi, quodnam vero loquendi: qua in re etiam Leo Magnus Epiſt. 74. ad Anatolium CP. Epiſcopum ſcripſit: *nam ſuperfluo extra Eccleſiam poſitis reſiſtimus; ſi ab his, qui intus ſunt, in eis, quos decipiunt, vulneramur. Abjicienda prorſus peſtifera hæc a ſacerdotali vigore patientia eſt, quæ ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.* Id porro eſt patienter, & firmiter charitatem animi, Collegii honorem, vinculum fidei, & concordiam Sacerdotii ſervare; ſchiſma ſcilicet non conflare, & unitatem Eccleſiæ non ſcindere: quod conſtanter præſtitit Cyprianus, & cum in Concilio edixit, *neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes;* & cum uſque ad martyrium in omnium pace perſeveravit; quamquam ipſi, & ſuis Stephanus omnium communionem ſubtraxerat: nec egit, ut Afri illi, qui in cauſſa trium Capitulorum Vigilium Papam varie decernentem anathemati ſubjeciſſe feruntur à Victore Tununenſi. At Cyprianus obedientiam denegavit: huic facile occurrit S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 4., ubi de eo ſcribit: *ſatis oſtendit, faciliime ſe correctŭrum fuiſſe ſententiam ſuam; ſi quis ei demonſtraret baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt... ſed*

quia

Digitized by Google

quia tunc non extiterant, niſi qui ei conſuetudinem opponerent; defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur; noluit vir graviſſimus rationes ſuas... non victas... nondum aſſertæ conſuetudini cedere.

Ad num. V. *Propter hoc etiam libellum de bono patientiæ, quantum valuit noſtra mediocritas, permittente domino, & inſpirante conſcripſimus* =

ETſi infirmæ virtutis eſt, fractique animi extraneis ſubſidiis, hoc eſt ſcriptione *Libelli de bono patientiæ* indigere ad patientiam ſervandam; eſt tamen virtutis præcipuæ, magnæque charitatis hæc ipſa præſidia parare ad patientiam aliis inſinuandam, confirmandamque. Neque enim Cyprianus libellum illum ſua ipſius cauſa conſcripſit, ſed propter alios, quos aut forſan eo indigere cognoverat; aut quo virtutis hujus ſtudioſiores efficeret. Quo autem tempore Martyr egregius libellum ipſum elucubraverit; tempore ne perſecutionis, an pacis; nec ſatis compertum eſt; nec permagni etiam intereſt id ſcire: nam non ſolum perſecutionis tempore patientia neceſſaria eſt, ſed quocunque tempore; & nedum contra inimicos Eccleſiæ, & adverſarios legis divinæ, verum etiam inter domeſticos, & fidei noſtræ ſocios. Illud quidem mihi perſpectum eſt; Tractatum hunc a Cypriano confectum fuiſſe & ante Valeriani perſecutionem; & ante etiam Stephani Papæ decretum, ſeu reſcriptum; ac proinde ante jurgium Stephani cum Cypriano: quippe qui commemoratur in hac ad Jubajanum Epiſtola; ad quem etiam pro mutua dilectione tranſmiſſus aſſeritur; dictum eſt autem ad ſuperiorem Diſputationem, eam Epiſtolam ante diſſidium inter Stephanum, & Cyprianum ortum editam fuiſſe; reliquum eſt igitur, ut compoſitus ſit Tractatus *de Bono patientiæ* vel tempore perſecutionis Decii; vel Chriſtianis in pace quieſcentibus. Sed quovis tempore ſit ipſe conſcriptus; quod, ut dixi, parum intereſt ſcire; etiamſi occaſione jurgii cum Stephano, aliiſque contrariæ opinionis de Hæreticorum baptiſmo Cyprianus eum ediderit; tamen datis etiam ad Pompejum literis, quæ circunferuntur, adhuc eo ſibi, & ſuis præclare conſuluiſſet; propterea quod proxime demonſtratum eſt,

Cyprianum, quamvis nonnulla privatim in Stephanum irritatus effuderit; publice tamen & patientiam exercuiſſe, & pacem cum omnibus tenuiſſe; eorumque, quæ docuit, ac ſcripſit, aliis exemplum operibus etiam præbuiſſe. Quod demum ad *Concilium* III. Carthagin., & *Epiſtolam* Cypriani ad Jubajanum attinet; fruſtra factum eſt, pluribus differere, conarique cauſam explicare, propterquam a Donatiſtis ea confingi potuerint, quæ recte, firmiter, penituſque illorum ſchiſma referiebant, proſternebant, atque extinguebant Auguſtini teſtimonio; cum ſupra non ſemel demonſtrarum ſit, nec Concilium illud, nec eam Epiſtolam a Donatiſtis potuiſſe confingi. Quonam enim pacto affirmari poteſt, Donatiſtas, qui dicti ſunt *terribilis aſtutiæ* Theor. I., ita rem ſuam geſſiſſe; ut nihil prorſus incommodi ex urroque monumento in illorum ſchiſma derivare potuerit; ſi, dum ſcriptis cauſſam agerent, illa nunquam in medium protulerunt; ſed ſolum eorum quidam ajebant, ſuam de Bapriſmo Hæreticorum, Schiſmaticorumque opinionem etiam a Cypriano propugnatam fuiſſe; idque teſtari ejus *literas*, & *Concilium*: qua in re ſatis erant bina monumenta excogitare; non ſeprem, vel octo affingere? ſi, cum ſerio res ageretur, Cypriani factum, & monumenta omnino refugiebant, ſcientes, inquit Auguſtinus, ſe naufragium ibi facturos? tantumque diſtat a vero, Auguſtinum de hac ad Jubajanum Epiſtola aut dubitaſſe aperre, aut in hypotheſi tantum eam recepiſſe; ut lib. 3. de Baptiſmo cap. 4. habeat: *Quid ad Jubajanum ſcripſerit Cyprianus, jam legi, fateor; & profecto iſſem in eandem ſententiam; niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta authoritas aliorum; quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortaſſe doctiores per tot gentes Latinas, Græcas, Barbaras, & ipſam Hebræam Eccleſia toto Orbe diffuſa parere potuit; quæ ipſum quoque pepererat; qui mihi quoque nullo modo videri poſſunt fruſtra noluiſſe iſtam ſententiam: non quia fieri non potuit, ut in obſcuriſſima quæſtione verius pluribus unus, paucique ſentirent; ſed quia non facile pro uno, vel pro paucis adverſus innumerabiles ejuſdem Religionis, & unitatis viros & magno ingenio, & uberi doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribus, atque perſpectis rebus, ferenda ſententia eſt*. Non igitur abſurda; ſed aliorum, majoriſque partis Eccleſiæ ipſum ab ea abſtraxit conſenſus, & authori-

tas:

Digitized by Google

tas: adeo verum eſt, fieri potuiſſe aliquo modo, ut etiam abſolute eam receperit; & fraudolentiam, jactantiam, levitatem, contortiones, ac mendaciorum acervum non introſpexerit; qui enim hæc introſpiceret, quæ nullo modo erant? Quomodo autem Auguſtinus de hac ad Jubajanum Epiſtola dubitaverit, dictum eſt ad Propoſ. II. & VI. Theor. II.

THEOR. VI.

Ad Propoſ. I., & II. *Communia hujuſce Epiſtolæ abſurda generatim, & ſpeciatim attinguntur, & ad certa capita rediguntur* =

ITa ſunt, quæ his locis afferuntur, perpauca; ut quid ad ipſa dicam, vix occurrat; niſi verbis, quæ mihi ſemper ſupervacanea ſunt viſa, rem traducam. Omnia, quæ ex Firmiliani Epiſtola prolata ſunt, abſurda in hac ipſa ad Pompejum Epiſtola etiam perſpici dicuntur: ea igitur omnia ſunt adeunda, quibus tamen id lubet, quæ pro illa afferenda, vindicandaque congeſſi Diſſertatione prima.

Ad Propoſ. III. *Stephani decretum expenditur, conſictumque demonſtratur* =

I. MOnumenta omnia literæ potiſſimum S. Dionyſii Alexandrini; quibus hactenus probatum eſt, fuiſſe Stephano ſine dubio cum Afris, & Orientalibus concertationem ſuper Hæreticorum ſi non quoruncunque, ſaltem aliquorum baptiſmo; itidem probant, aliquid a Stephano ſanciri potuiſſe; ac proinde non fictitium, ſed verum adeo pervulgatum ejus *decretum* habendum eſſe; præſertim quod unum hoc in primis teſtatur de vetuſtiſſima Romanæ Eccleſiæ *traditione* maximo, ac præcipuo hujus quæſtionis fundamento. Quantum igitur ad naturam hujus Decreti Stephani attinet, leviſſimo eſt argumento, iſtud aſſerere Romanæ Eccleſiæ incognitum fuiſſe; quod ab Anaſtaſio inter *Conſtitutiones*, in *Actis* ejus, & in *Chronico Damaſi* commemoratum non legatur: etenim minime mirum eſſe debet, ſi ab Anaſtaſio inter Stephani conſtitutiones non refertur; quando nec Victoris, aut Zephirini memorat decretum de Mœchis, & fornicatoribus ad pœniten-

tentiam, & pacem admittendis; non Melchiadis in Conventu Romano, aut Sylveſtri in Arelatenſi contra Donatiſtas judicia; non Zoſimi ſtatutum in Pelagianos; non Vigilii de tribus Capitulis certamen, pluraque ejus de ea re Conſtituta; non Honorii memorabilem ad Sergium CP. Antiſtitem Epiſtolam de una, vel duabus in Chriſto operationibus; aut illud de Schiſmaticis in Hiſtria ad Eccleſiam Catholicam, Hebræiſque ad fidem Chriſti ab eo converſis; non plura alia memoratu digna, quæ brevitatis gratia prætermitto: notumque ſit, Authorem hunc apud doctos, & eruditos viros vel nullam aliquando, vel exilem, ac dubiam admodum fidem invenire de iis potiſſimum, quæ ad prima ſecula ſpectant; quippe qui ſæpenumero ſcribat, quæ nunquam fuerunt; & quæ fuerunt, ſubinde prætermittat. De Authore vero *Actorum* Stephani ſuppoſitorum minus etiam mirum ſit, ſi hujuſmodi decretum non habet; utpote qui recentior creditur Anaſtaſio; & ab eo falſa accepiſſe, fuſiuſque tantum deſcripſiſſe: poſtea ex falſis, & adulterinis Authoribus nunquam quærendum eſt verum; nam ſi vera ipſi ſcirent, falſa utique non ſupponerent. Annon eſt certum, ut pluries oſtendi, concertationem aliquam fuiſſe, & diſſidium inter Stephanum, & Orientales ſuper Hæreticorum baptiſmo; quicunque fuerint illi Hæretici; ſi quidem de Hæreticis tantum generatim video pernegari? & tamen de hac re, quæ omnibus vera eſt, neque apud Anaſtaſium, neque in Actis Stephani ſuppoſitis ulla ſit mentio. Quod enim in Actis veris apud *Breviarium* Romanum non fuerit appoſitum; verum quidem eſt de Breviariis antiquis, quæ cuncta ab Anaſtaſio, Actiſque ſuppoſititiis depromere conſueverant; at in recognitis a Clemente VIII., recentioribuſque Breviariis legimus de Stephano P. *baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari vetuit reſcribens S. Cypriano verbis illis: nihil innovetur, niſi quod traditum eſt:* quo ſane abutitur Launojus Epiſt. ad Jacobum Bevilaquam ſcribens aliter referri, ac a Stephano ſit editum; quaſi *baptizatos ab Hæreticis* non idem ſit, ac *a quacunque hæreſi venerit;* & utrobique non ſit ſermo de Hæreticis generatim. Chronicon autem *Damaſi*, quod unicam Stephani conſtitutionem de veſtibus Sacerdotum, ac Levitarum contineat, nequaquam diverſum eſſe ab Anaſtaſio didici; opuſque idem in publicum prodiiſſe modo

ſub

ſub nomine Chronici Damaſi, modo Anaſtaſii, modo Libri Pontificalis; & alter Catalogus Romanorum Pontificum a Bucherio de Doctr. Temporum primum vulgatus, quem Pagio placuit *Chronicon Damaſi* nuncupare, nullam aut Stephani, aut aliorum Pontificum conſtitutionem exhibet, niſi ſit ſermo de alio Catalogo ab Henſchenio publicato, quod Pagius appellat *Chronicon auctius*. Cæterum cum tam Anaſtaſius, ſeu Author Chronici Damaſi, quam Author Actorum Stephani ſcripſerint ſine dubio poſt Euſebium Cæſarienſem, SS. Hieronymum, & Auguſtinum, Vincentium Lirinenſem, atque Facundum Hermianenſem, qui omnes ſententiæ, decretique Stephani meminerunt; quod ipſi decretum iſtud non commemorarint; manifeſtum ſit, perperam inde deduci, Romanæ Eccleſiæ ipſum incognitum fuiſſe; nam etiam Siricius Papa, qui regere Eccleſiam cœpit anno 384., Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſcribit, rebaptizare Hæreticos vetitum eſſe ab Apoſtolo, & Canonibus, a Liberii Papæ decretis generalibus, ac Synodo, nihil de Stephani Papæ decreto memorans; cujus tamen antea & Euſebius in Hiſtoria, & Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos meminerant; adeo certum eſt, argumentum, ut vocant, *negativum*, ſeu a negantia, vel potius a ſilentio ſcriptorum ductum parum, aut nihil interdum probare, vel demum nonniſi raro; omninoque non ſemper probare.

II. In prima porro hujus decreti parte: *ſi quis ergo a quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt:* recte locutus eſt Stephanus ex more, ac traditione Romanæ Eccleſiæ; quamquam non quoſcunque Hæreticos intelligi volebat, ſed illos tantum, qui verum Eccleſiæ Catholicæ ritum, rectamque baptiſmi formam ſervarent; quod quidem dilucide colligitur ex Epiſt. Firmiliani ad Cyprianum illis verbis: *illud quoque abſurdum, quod non putant quærendum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit; eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti... At quis eſt in Eccleſia... qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda ſufficiat ad remiſſionem peccatorum?* & paulo poſt de fœminæ præſtigiatricis, ac Dæmoniacæ baptiſmo ſubdit: *numquid & hoc Stephanus, & qui eum illo conſentiunt, comprobant; maxime cui nec ſymbolum Trinitatis... de-*

fuit?

fuit? ... niſi ſi & Dæmonem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gratiam baptiſmi dediſſe contendant, qui Hæreticorum baptiſma defendunt: & alio loco: *ſed in multum,* inquit, *proficit nomen Chriſti ad fidem, & baptiſmi ſanctificationem; ut quicunque, & ubicunque in nomine Chriſti baptizatus fuerit, conſequatur ſtatim gratiam Chriſti:* nec aliud innuit Epiſtola Cypriani ad Pompejum de Stephano, ejuſque in hac quæſtione ſociis ſcribentis: *aut ſi effectum baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Chriſti Jeſu ubicunque, & quomodocunque baptizantur, innovati, & ſanctificati judicentur; cur in ejuſdem Chriſti nomine &c.? cur ejuſdem majeſtas nominis non prævalet? &c.* ejuſque Epiſtola ad Jubajanum: *non eſt autem, quod aliquis ad circumveniendam Chriſtianam veritatem Chriſti nomen opponat; ut dicat, in nomine Jeſu Chriſti ubicunque, & quomodocunque baptizati gratiam baptiſmi ſunt conſequuti... Quomodo ergo quidam dicunt; foris extra Eccleſiam modo in nomine Jeſu Chriſti ubicunque, & quomodocunque gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe?* ex quibus apparet, Stephanum, ejuſque ſententiæ aſſertores quoruncunque Hæreticorum baptiſma comprobaſſe; modo collatum eſſet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel in nomine Chriſti tantum. Simili quoque modo indiſcriminatim de Hæreticis locuti ſunt Patres Concilii Arelatenſis I. in Epiſt. ad Sylveſtrum Papam: *Placuit, ut ad Eccleſiam ſi aliquis Hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum; & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum &c.* & S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos hac de re omnium apertiſſime ſcribit: *quod ſi negandum quiſpiam putaverit, Hæreticos a majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos, legat B. Cypriani Epiſtolas ... & ibi reperiet, ipſum Hilarium confiteri a Julio, Marco, Sylveſtro, & cæteris veteribus Epiſcopis* (Romanis) *ſimiliter in pœnitentiam omnes Hæreticos ſuſceptos:* deinde laudat Nicænum Concilium, *quod omnes Hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis;* ideſt omnium Hæreticorum præterquam Pauliniſtarum baptiſma ratum habuit: ſed & Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum interrogatus de quibuſdam, qui *ab impiis Arianis* baptizatos ad Eccleſiam Catholicam feſtinantes rebaptizare volebant, reſpondit: *quod non licet; cum hoc fieri & Apoſtolus*

Digitized by Google

ſtolus vetet, & *Canones contradicant; & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium miſſa ad Provincias a venerandæ memoriæ prædeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibeant; quos nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus:* ſic etiam Leo Magnus Epiſt. 37. ad Neonem Ravennatem Epiſcopum reſcripſit: *quod ſi ab Hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur; ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur; ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem Sancti Spiritus conſequatur:* quod repetit & Epiſt. 79. ad Nicetam Aquilejen. Antiſtitem; quin quod & Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum cap. 18. inq. de his, qui ex Africa, vel Mauritania ad Eccleſiam venerant, neſciebantque, in qua ſecta baptizati eſſent, reſpondit: *quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, baptizandi non ſunt; ſed per manus impoſitionem &c.* Nec mirum, cum Epiſt. 2. ad univerſos Italiæ Epiſcopos tradat, ipſos Manichæos Romæ per ſolam pœnitentiam in Eccleſiam a ſe admiſſos; idque ibi fieri ſolitum teſtatur S. Hieronymus in Dialogo ſæpe memorato contra Luciferianos ſcribens: *Diaconus eras, o Hilari, & a Manichæis baptizatos recipiebas; Diaconus eras, & Hebionis baptiſma comprobabas:* erat autem Hilarius ille Diaconus Eccleſiæ Romanæ. Quibus reſpondent ea, quæ S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 15. habet: *Quamobrem ſi Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum; quamvis ejus fides &c.*, & cap. 14. *& ideo illa, quæ de diverſorum Hæreticorum varietate dicuntur, ad iſtam quæſtionem non pertinent; illud enim in quoque corrigendum eſt, quod ille, per quem corrigitur, pravum eſſe perſpexerit.* Quare lib. 4. de Baptiſmo cap. 16. ſcribit: *conſtituamus ergo duos aliquos iſto modo; unum eorum verbi gratia id ſentire de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, & in ejus hæreſi baptizari extra Eccleſiæ Catholicæ communionem: alium vero idem ſentire, ſed in Catholica baptizari... in neutro ipſorum Sacramenti veritas repetenda:* & tamen Ruffinus lib. 10. Hiſt. cap. 6. can. 21. exponens XIX. Canonem Nicænum ait: *ut Paulianiſtæ, qui ſunt Photiniani, rebaptizentur:* uti & Concilium Arelatenſe

tenſe II. can. 16. *Photinianos, ſeu Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere*: Gennadius etiam Præsbyter Maſſilien. lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 52., & Timotheus Præsbyter CP. in Tract. de differentia Hæreticorum ad Orthodoxam Eccleſiam revertentium Ebionitas, Manichæos, & Photinianos inter eos recenſent, quos docent eſſe rebaptizandos. Qua in re merito ſuſpicari licet; Hæreticos plures etiam ejuſdem ſectæ ita varie adminiſtraſſe baptiſmum; ut aliqui recta, aliqui vero depravata forma, vel materia, ac ritu uterentur; & cum difficile judicatu eſſet, quænam Hæreticorum ſecta recte, & quænam prave hoc ſacramentum conferret; prudenter Romanam Eccleſiam cenſuiſſe ſemper, *a quacunque hæreſi venientes* ad Eccleſiam, dummodo ritu Catholico tincti eſſent, nequaquam rebaptizandos eſſe: fuitque ea Cypriani tempeſtate, ut alias dictum eſt, quæſtio de baptiſmo Hæreticorum abſolute, non de Baptiſmo depravato; in qua cum Occidentalis Eccleſia contenderet unius formæ Evangelicæ rationem eſſe habendam, non vero Miniſtri; Orientales, & Afri tuebantur non tantum hanc formam, ſed etiam hunc Miniſtrum in Sacramentorum Chriſti confectione ſervandum. Propterquod dixit Cyprianus: *a quacunque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia vetuit; ideſt omnium Hæreticorum Baptiſmata juſta eſſe, & legitima judicavit &c.*, ſed clarius Epiſt. 77. ad Magnum: *quod ſi aliquis illud opponit, ut dicat eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat; eodem ſymbolo, quo & nos, baptizare; eundem noſſe Deum... ac propter hoc uſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe... Nam & Chore, & Dathan, & Abiron cum Sacerdote Aaron, & Moyſe eundem Deum noverant; pari lege, & religione viventes unum, & verum Deum, qui colendus, atque invocandus fuerat, invocabant: tamen quia loci ſui miniſterium tranſgreſſi contra Aaron Sacerdotem, qui ſacerdotium legitimum dignatione Dei, atque ordinatione perceperat, ſacrificandi licentiam vendicarunt, divinitus percuſſi pœnas ſtatim pro illicitis conatibus penderunt..., & tamen illi ſchiſma non fecerant; nec foras egreſſi &c.*: & S. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium cap. 47. *ne dicant enim, in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati ſumus &c.* Quocirca illud etiam oſtendi ad num. XV. cap. 1., controverſiam inter Stephanum Papam, & Afros, Orientaleſque

non

non fuiſſe de baptiſmo Montaniſtarum, aut Sabellianorum, atque Paullaniſtarum tantum; ſed de baptiſmo Hæreticorum generatim; cum Sabelliani, & Paulianiſtæ ſedente Stephano nondum hæreſim ſerere cœpiſſent; & ſi cœpiſſent etiam; tamen non conſtat eos adhuc baptiſmi formam, aut materiam inquinaſſe; ſicut & Montaniſtæ; quorum uti & Sabellianorum quoniam nulla eſt in Nicæno Concilio facta mentio; quis eſt, qui tuto affirmare queat, eos ante Nicænum depravate baptiſmum adminiſtraſſe? Et quare, ſi ita Stephanus pro aſſerendo Orientalium baptiſmo Heleno, & Firmiliano iratior fuiſſet, ut perhibet Euſebius; comperti erroris, ſin minus imprudentiæ convictus fuiſſet per duo priora Oecumenica Concilia Nicænum, & Conſtantinopolitanum? annon id Euſebius perhibet ex Epiſtolis Dionyſii Alexandrini? num has quoque adulterinas dicemus, quas etiam Hieronymus probavit? Falſum eſt igitur, non ſatis conſultum eſſe Stephano, cum verba illa *a quacunque hæreſi* de eo tantum explicentur baptiſmo, qui Evangelica forma ſit miniſtratus; & nullo pacto Romani Pontificis ἀσφάλειαν ſartam tectam cuſtodiri, ſi hanc ad Pompejum Epiſtolam ſerio Cyprianicam duxerimus; cum & Hieronymus, & Auguſtinus, nec non univerſa Eccleſia hucuſque eam ſerio Cyprianicam judicarit, & nihilominus Romani Pontificis in judiciis certitudinem, & ut ajunt, *infallibilitatem* ſartam tectam conſervarit; nihilque extimuerit aut Felli, aut aliorum Heterodoxorum terriculamenta vel hocce decreto levi, vel aliis gravioribus monumentis incuſſa. Qui enim ea verba *a quacunque hæreſi* extra ſynecdochen accipienda contendunt; eo quoque modo accipiant oportet illa Matth. 16. *quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*: vel horum ſimilia 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.*

III. Altera pars decreti, *cum ipſi Hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum*, peræque vera eſt, nihilque abſurdi præſefert; ſi accipiatur, ſicut eam interpretatur Baronius, nimirum conſuetudinem, traditionemque de non rebaptizandis Hæreticis eam fuiſſe; ut Hæretici ipſi illam agnoſcerent, ac obſervarent; adeo

vetuſta, & omnibus pervulgata, receptaque erat: Cyprianus tamen ſecus interpretatus eſt, videlicet *quaſi & nos hoc facere debeamus*, inquit Firmilianus; & *Eccleſia Dei Hæreticorum exempla ſectari* teneatur; quod propterea idem Cyprianus adjecit, ab eo *imperite, atque improvide* fuiſſe ſcriptum: ita quoque S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 10. laudat Cyprianum illis verbis: *recte autem non movit Cyprianum, quod ſcripſit Jubajanus, Novatianenſes rebaptizare eos, qui ad ſe ex Catholica venirent. Neque enim quidquid Hæretici perverſe fuerint imitati, propterea a Catholicis faciendum non eſt, quia illi ſimiliter faciunt*: & Magnus Baſilius Epiſt. ad Amphilochium cap. 1. de baptiſmo Encratitarum hæreticorum rejiciendo ait: *ſin autem illi noſtrum baptiſma ſervant, hoc ne nobis ægre ſit; neque enim illis gratiam reddere tenemur, ſed Canonum exactæ obſervationi ſervire*. Tertullianus vero lib. de Præſcript. Hæret. cap. 41. mores Hæreticorum deſcribens habet: *pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent: nihil intereſt illis licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent:* quod plane perſuadet, Hæreticos, vel ſaltem illorum nonnullos alios alterius ſectæ Hæreticos ſine iterato baptiſmo ſuſcepiſſe, ſed non Catholicos. Verumtamen quoquo modo accipiatur hujus partis decreti ſenſus; mihi videntur & Stephanus, & Cyprianus haud multum aberraſſe, ſed uterque vero animum adjeciſſe: nam Stephanus ea verba ſubjunxit, ut probe advertit Baronius; quo veteris, ac receptiſſimæ traditionis vim oſtentaret; quum illam etiam Hæretici tenerent: Cyprianus vero, quamquam Stephani mentem perſpectam haberet, non dubitavit reponere, *improvide, & imperite* factum; Hæreticorum, ſive male, ſive bene agerent, exempla Catholicis ſectanda proponere; iccirco quod Eccleſia Chriſti Hæreticorum exemplis indigere non debeat; neque ad ejuſdem Eccleſiæ majeſtatem pariter, ac dignitatem pertinere, quid apud ſe Hæretici, & Schiſmatici moliantur. Quinimmo cum Stephano inficiari potuiſſet, quod abſolute pronunciaverat; Hæreticos *alterutrum ad ſe venientes* non baptizare; quando Novatianenſes, & Marcionitæ ipſos Catholicos, nedum alterius ſectæ Hæreticos baptizaſſe feruntur; quod & de Montaniſtis alii memoriæ prodiderunt; & forſan plures aliæ Heterodoxorum ſectæ hunc morem vendicabant: attamen ſive

quod

Digitized by Google

quod videret, ſi non omnes, majorem nihilominus Hæreticorum partem id uſurpare; ſive quod rem minus compertam haberet; ſive quod dignitate Catholica duceret indignum de Hæreticorum moribus, ac diſciplina diſquirere; hoc unum oppoſuit, Eccleſiam Dei exemplis Hæreticorum non egere. Qua quidem in re, quantum ego ſapio, & utrumque dici potuit, & utrumque ſileri.

Ad Propoſ. IV. *Pſeudo-Cypriani ſecum, & cum vero Cypriano antilogia proponitur* =

DIctum eſt, ſimulque probatum ad Propoſ. VII. Theorematis II., Cyprianum in Opuſculis pro hac controverſia elaboratis erroris quidem coargui potuiſſe, ſed non mendacii, ac ſententiarum repugnantiæ convinci; aut ſi potuit, minime tamen ab Auguſtino convictum eſſe ex hac præſertim ad Pompejum Epiſtola; ut ad ea ipſius loca a Vindice hoc loco ſelecta quæ mox dicentur, oſtendunt.

Ad num. I. Epiſt. ad Pomp. *Quia deſideraſti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad literas noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit; miſi tibi reſcripti ejus exemplum, quo lecto magis, ac magis ejus errorem denotabis* =

ERrorem, qui Stephano Papæ objicitur a Cypriano de probato Hæreticorum baptiſmo, non ſemel pronunciatum eſt, ad diſciplinam pertinere. Si ad diſciplinam; cur, inquis, vocat *errorem?* quia & in fide, & in diſciplina erratur. Uſum diſciplinæ Eccleſiaſticæ de baptizando dumtaxat diebus Paſchæ, & Pentecoſtes a nonnullis variatum Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum errorem appellavit: *hactenus*, ait, *erratum in hac parte ſufficiat; nunc præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit Eccleſiam, ſoliditate divelli:* poſtea cap. 43. Concilii Eliberitani habetur: *Pravam inſtitutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum; ut cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha celebremus non quadrageſimam, ſed quinquageſimam. Qui non fecerit, novam hæreſim induxiſſe notetur:* & cap.

& cap. 26. *Errorem placuit corrigi; ut omni Sabbathi die ſuperpoſitiones celebremus*: etiam Leo Magnus Epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni *errorem* eſſe dixit baptizare extra diem Paſchæ, & Pentecoſtes. Sed nunquam finem facerem, ſi cunctas vellem afferre authoritates, quæ diſciplinæ errores denotant, tam multæ ſunt, & innumeræ; tamque exploratum eſt, errari etiam in diſciplina; ut pudeat me iſta hæc ſcriptis mandare. Non igitur ficto, vafroque animo, ſed candido, dignoque Doctore, ac Antiſtite Chriſtiano Cyprianus ſcripſit ad Magnum Epiſt. 76. *Nemini præſcribentes quo minus ſtatuat, quod putat unuſquiſque Præpoſitus actus ſui rationem Domino redditurus &c.* primùm quia ea dixit, vel dixiſſe videtur de baptiſmo Clinicorum, non de baptiſmo Hæreticorum: duas enim partes ipſa Epiſtola continet; quarum prima agit de *Hæreticorum* baptiſmo; altera vero de *Clinicis*, ſeu Clinopetis, iiſque, qui infirmitate lecto detenti aqua ſalutari ſunt loti; propterea in editione quidem Eraſmi leguntur ſejunctæ, ac in duas Epiſtolas 6. lib. 1., & 7. lib. 4. diſtictæ; ſed Pamelius compluribus Mſſ. ſuffultus recte eas conjunxit; cum liqueat, eam, quæ de Clinicis tractat, partem eſſe alterius; quoniam incipit: *Quæſiſti etiam fili &c.*: eaque de Clinicorum baptiſmo quæſtione propoſita, ſtatim ait: *qua in parte nemini verecundia, & modeſtia noſtra præjudicat, quo minus unuſquiſque, quod voluerit, ſentiat; & quod ſenſerit, faciat:* & in fine replicat: *nemini præſcribentes, quo minus ſtatuat, quod putat, unuſquiſque Præpoſitus &c.* Deinde ſi ea dicta velint etiam de baptiſmo Hæreticorum, ut in Epiſt. ad Stephanum, ad Jubajanum, & in Concilio III. Carthagin., nihilominus nequaquam ficto animo Cyprianus ſcripſiſſet: ideo quod etſi error in diſciplina erat opinio Stephani ſecundum Cypriani ſententiam; tamen quia & ille, & iſte mos, uſuſque diſciplinæ varius ſuos habebat ſectatores & multos, & Catholicos; neutraque ſententia adhuc ubique recepta fuerat, adhuc ab Eccleſia definita; nemini præſcribendum Cyprianus cenſebat, quominus ſtatueret, quod putaret, unuſquiſque Præpoſitus de re, quæ adhuc arbitrabatur: quemadmodum viderat errorem de pace *mæchis* non danda a quibuſdam ſuorum anteceſſorum uſurpatum non ante proſcriptum, quam ab univerſa Eccleſia opinio contraria reciperetur: de rebus

autem

autem ubique obſervari ſolitis minime talem clauſulam apponebat, ut prodit ejus 59. Epiſtola ad Fidum de Infantibus baptizandis, & 63. ad Cæcilium adverſus Aquarios. At in quæſtione Rebaptiſmi fecit, uti Patres Concilii Palæſtinæ in controverſia de die Paſchatis ſub Victore Papa; qui tametſi eam rem ad diſciplinam pertinere ſcirent, ac propterea Epiſcopos Aſiaticos contrariæ ſententiæ nequaquam damnandos ducerent, Victoremque Papam id conantem etiam durius coarguerint; tamen in decreto ſuo de ea re condito ſcripſerunt, ut eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 25., *Epiſtolæ noſtræ exemplaria facile ad quamque Eccleſiam mittantur; ne culpa illorum, qui temere, & inconſulto ſuas ipſorum animas erroris pravitate inficiunt, in nos nullo modo transferatur*. Quamobrem manifeſtum eſt, quam falſum ſit, quod dicitur; jure optimo, ac veriſſime Donatiſtas repoſuiſſe Auguſtino loca illa Cypriani *nemini præſcribentes &c.*, *neminem judicantes &c.* adverſus illorum ſchiſma proferenti, *mentiebatur; & ſimpliciores Collegas in verbo capere cogitabat; ut cum ſe diverſum ſentire prodidiſſent, tunc contra quam promiſerat, excommunicandos eſſe cenſeret:* nam Auguſtinus jure optimo, ac veriſſime eos mentiri ſcribit lib. 3. de Baptiſmo cap. 3., quum inquit: *abſit ab anima tam ſancta iſta ſcelerata perfidia: qui hoc de tali viro quaſi cum ejus laude ſentiunt, nihil aliud quam ſe ipſos tales eſſe profitentur*. Et ſane ſi non in Africa, nonne in aliis Regionibus præſertim Occidentis plurimi cum Stephano ſentiebant etiam poſt Concilium III. Carthagin., quod adverſus illos potiſſimum, non contra Afrorum aliquos, ut quidam arbitrantur, congregatum eſt? quid porro; illoſne unquam Cyprianus excommunicandos edixit? aliquemne abſtinuiſſe credi poteſt, qui in omnium pace, & in communi concordia glorioſo martyrio curſum vitæ conſumavit teſtantibus Paciano, & Auguſtino? numquid quia pauca verba irritatus paulo duriora in Stephanum effudit, injecitque privata, ac familiari Epiſtola, iccirco eum communione privavit, aut privandum pronunciavit? Denique ſi errorem credidit Cyprianus non baptizare Clinicos, & tamen adjecit, *nemini præſcribentes &c.*, cur errorem credere non potuit Hæreticos non rebaptizare, & nihilominus addere, *nemini præſcribentes?* quoniam ſi iſtud de fide dixeris; cur non & illud?

Ad

Ad num. II. *Nam inter cætera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit* =

MUltum eſt diſcriminis inter Rogatiani Diaconum, Florentium Pupianum, & S. Cyprianum; illi nequaquam laceſſiti, ſed primi in Antiſtites ſuos contumelioſi fuerunt; Diaconus ille Rogatiani Epiſcopi convitiator, ac contumax; Florentius vero Pupianus, quem non conſtat fuiſſe *Epiſcopum*, impia, ac nefanda de Cypriano credendo, eumque Epiſcopatu indignum judicando: ſed Cyprianus non primus, verum *irritatus*, inquit S. Auguſtinus, ea dixit, quæ credidit reponenda Stephani reſcripto, idque non publice, non rixoſe, ſed privatim, & familiaribus literis. Atqui Stephanus Petri ſucceſſor erat, princeps Epiſcopus, & maximus Sacerdos: utique, ſed quem pro illorum temporum ratione, more, ac libertate *Fratrem*, & *Collegam* dicerent & Cyprianus, & cæteri Epiſcopi; quem negligentiæ non veritus eſt carpere Epiſt. 68. ad Eccleſias Emeritenſem, & Aſturicenſem, Legionenſemque de Baſilide, & Martiali lapſis Antiſtitibus; ſicut & ſubinſenſus quodammodo etiam ejus anteceſſorem Cornelium reprehenderat Epiſt. 55. ad eum ſcripta de Feliciſſimo, & Fortunato, aliiſque Schiſmaticis; quem denique non dubitabat errore abreptum, eam ſcilicet traditionem apoſtolicam jactando, quæ humana ſolum eſſet; & ad ipſam ſequendam, obſervandamque cunctos compellendo, ad quam compellere non deberet. Et ut prætercam Symmachum Papam, qui Epiſt. 1. ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum arguit Anaſtaſium prædeceſſorem ſuum uti diſciplinæ Eccleſiaſticæ tranſgreſſorem; nonne Bonifacius II. reprehenſus eſt, quod ſibi ſucceſſorem Vigilium Diaconum ſuum in Synodo *contra canones* ordinaſſet; propter quod alia Synodus factum illud caſſavit; in eaque *ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt majeſtatis;* ut habet Anaſtaſius, ſeu Liber Pontificalis? Poſſem huc etiam afferre Gallicanos Epiſcopos, qui in Pariſienſi Concilio anno 825. pro cultu ſacrarum Imaginum de Epiſtola, ſeu Apologia Hadriani Papæ I. pro Nicæna Synodo II., ſive Oecumenica VII. ad Carolum Magnum literis ad Impp. Ludovicum, & Lotharium ſcripſerunt: *ſed licet in ipſis objectionibus aliquando abſona, aliquando inconvenientia*,

tia, aliquando etiam reprehenſione digna teſtimonia defenſionis gratia proferre niſus ſit... quibus verbis liquido colligitur, quod non tantum ſcienter, quam ignoranter in eodem facto a recto tramite deviaverit: verum quoniam non ſum neſcius extare quoſdam, qui & Synodum illam, & Epiſtolam ſubdititias affirmant; quanquam melioris notæ Scriptores utramque veram, ac genuinam tuentur; ſimulque utramque criminoſam dicunt; miſſas eaſdem facio: illudque modo addendum exputo; quod ſi humilis eſſe potuit, & lenis Cyprianus; & tamen Florentio Pupiano exprobrare Epiſt. 69. *ſed tua mente, ac voluntate ſacrilega, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra Sacerdotem facile audis, & libenter credis... ſi temeritatis, & ſuperbiæ, atque inſolentiæ tuæ agere vel ſero pœnitentiam cœperis:* cur humilis etiam, ac lenis eſſe non potuit, etiamſi dixerit Stephanum ſcripſiſſe *ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria imperite, atque improvide?* Superbum nunquam legi dictum fuiſſe S. Hieronymum, neque aſperum, & ſeverum, ſed liberum, & dicaculum; & tamen Epiſt. 61. ad Pammachium adverſus Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, adverſus Antiſtitem ſuum ſcimus ſcripſiſſe: *quæ hæc eſt tanta arrogantia non reſpondere de fide interrogantibus? ... quæ tanta ſtultitia eſt volentibus occaſionem dare nolle reſpondere?* & alia, quæ in hanc rem retuli ad cap. III. Argum. II. Nam & Clerus Romanus Cypriani humilitatem quidem commendat, attamen Epiſt. ad eum, quæ inter Cyprianicas eſt 30. Pamelianæ recenſionis, ait: *novimus humilitatem; unde etiam mirati ſumus, quod quædam in te per Epiſtolam injecta durius notaremus.* Illa igitur dicere potuit Cyprianus, & probra, ac contumelias in Florentium Pupianum jacere, verbiſque duriſſimis eum perſtringere; quantumlibet Epiſt. 55. ad Cornelium Papam docuerit: *neque maledici regnum Dei conſequentur; &... qui dixerit fratri ſuo fatue; & qui dixerit racha, reus erit gehennæ ignis. Quomodo poſſunt cenſuram Domini Salvatoris evadere, qui talia ingerunt non ſolum fratribus, ſed & Sacerdotibus?* Quæ quomodo intelligenda ſint, jam dixi ad num. V. cap. I. Occurrerunt enim nonnunquam S. Martyri ea, quæ Epiſt. 10. ad ſuum Clerum ſcripſit contra Præsbyteros, qui temere lapſis reſerarant Eccleſiam nondum reddita pace, ſeque inſciente: *contumelias Epiſcopatus noſtri diſſimulare, &*

ferre poſſem; ſicut diſſimulavi ſemper, & pertuli: ſed diſſimulandi nunc locus non eſt, quando decipiatur fraternitas noſtra a quibuſdam veſtrum, qui dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt.

Ad num. III. *Sacerdotes Dei veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat* =

EPiſtola Cypriani ad Pompejum ab Eraſmo publicata, quam & recudit ipſe Cyprianicus Vindex, præmiſitque ſuæ II. Diſſertationi Criticæ, habet: *dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicos, & inimicos Chriſtianorum veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem continere putat?* at editio Pamelii a Rigaltio, aliiſque ſecuta legit: *dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum Sacerdotes Dei veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat?* qua in re neſcio, quo conſilio factum, ut unum hoc loco vulgaretur; & aliud ad refellendum ſuſciperetur. Quomodocunque autem legendum ſit; ſi vere Stephanus Epiſcopos, qui Hæreticos rebaptizandos cenſebant, abſtinendos putaſſet, & catholica communione privandos; non eſt firmiſſime tenendum, Cyprianum ob catholicæ unitatis amorem in ſua opinione non permanſurum fuiſſe, ſed magis eam correcturum; quando contrarium certo eveniſſe memoriæ proditum eſt. Teſtantur literæ, vel literarum fragmenta quidem, ſed omni veneratione, ac fide digna S. Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, controverſiam fuiſſe, atque concertationem inter Stephanum, & Orientales, Afroſque ſuper Hæreticorum baptiſmo, de quibuſvis Hæreticis interpretetur; Stephanum comminatum eſſe, amplius illis ſe non communicaturum, & quantum ego poſſum judicare, ultra non communicaſſe; Stephano vita functo quæſtionem adhuc ſub Sixto Stephani ſucceſſore perſeveraſſe; in ſua unumquemque ſententia ſtetiſſe; & tandem ad Regna cœleſtia feliciter perveniſſe; & quomodo res hæc ſe habuerit, jam alias expoſui ad not. X. cap. II. Numquid, dicet aliquis, id eſt, quod ait S. Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 6. *Sæpe etiam ſinit divina providentia expelli de congregatione chriſtiana etiam bonos viros; quam contumeliam, vel injuriam ſuam cum patientiſſime pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis,*

Digitized by Google

tis, vel hæreſis moliti fuerint; docebunt homines, quam vero affectu, & quanta ſynceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns? aut quod accidit Synodo V. Oecumenicæ; cui, ejuſque anathemati a Vigilio Papa in Epiſtola ad Eutychium, & in ſuo ſecundo Conſtituto, a Magno Gregorio Epiſt. 24. lib. 1. ad Patriarchas, & a Concilio Romano ſub Martino I. anno 649. Act. V. can. 17. & 18. confirmato tamdiu obſtiterunt Galli, & Hiſpani Epiſcopi; quos inter tamen tot ſancti Antiſtites floruiſſe noſcuntur, ex Gallis Gregorius, & Euphronius Turonenſes, Germanus Pariſienſis, Prætextatus Rothomagenſis, Medardus Noviomenſis, Sampſon Dolenſis, Deſiderius Viennenſis, Sulpitius Bituricenſis &c., ex Hiſpanis Martinus Bracarenſis, Leander, & Iſidorus Hiſpalenſes, Ildefonſus, & Julianus Toletani, & Braulio Cæſarauguſtanus; quorum etiam S. Iſidorus in Catal. Script. Eccleſ. de *Theodoro Mopſveſtano* ſcribit, conſtare *laudabilium virorum teſtimoniis clariſſimum Eccleſiæ Doctorem fuiſſe; damnatum vero ab Acephalorum Epiſcopis in præjudicio Chalcedonenſis Concilii Juſtiniano Principe compellente?* Vel hoc, vel illo modo; illud quidem perſpicuum eſt factum fuiſſe, ut jam expoſui. De reliquo Cyprianus opinioni mordicus adhæſit non aliunde præjudicatæ, quam quod ei Romanus Pontifex obſiſteret: Romanæ enim Eccleſiæ conſuetudinem probabat humanam eſſe, non Apoſtolicam traditionem: Occidentales aut non una omnes opinione, aut non multi numero credebantur: Orientales contra & numero quam maximo, & opinione Cypriani aut omnes, aut fere omnes tenebantur, uti declarant Epiſtolæ Dionyſii paulo ante memorati: Afros vero, quos omnes omnino cum Cypriano fuiſſe plurima monumenta tradunt, Baronius quidem arbitratus eſt non omnes conſenſiſſe Cypriano ex illis verbis ejus ad Stephanum Epiſt. 72. *cæterum ſcimus quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle deponere &c.;* ſed ibi Cyprianus tacite, & latenter denotat Stephanum, & Occidentales, eoſque Tranſmarinos alienæ a ſua, atque ſuorum opinionis; non Afros. Pearſonius etiam hoc ipſum, quod Baronius, ſuſpicatus eſt; ſed ex eo quod Lucianus Præsbyter ad Cyprianum retulit, Quintum in Mauritania Epiſcopum deſideraſſe, ut ei ſignificaret, quid ea de re ſentiret: At id non probat, Afrorum aliquos Cypriano non conſenſiſſe; ſed tan-

tummodo addubitaſſe, priuſquam a Cypriano in Concilio quicquam ſtatueretur: non enim Quintus, ut putavit Pearſonius, id quæſivit, poſtquam cognitum ſibi fuit Carthagin. Synodi de hac re a Cypriano coactæ decretum; alioquin fruſtra iſtud ad eum Cyprianus miſiſſet. Demum Hæreticos ſecundam tinctionem excogitaſſe Cyprianus inficiabatur, non quidem Montaniſtas in Oriente, cum qui eos oppugnarunt, eorumque errores denudarunt, id eis crimini non dederint: neque Novatianenſes in Africa; cum multo ante in Africa Hæretici rebaptizarentur, ut refert Tertullianus lib. de Baptiſmo, & de Pudicitia. Quod ſi quoque ponamus, ita rem eveniſſe, ut Epiſtola hæc ad Pompejum præfert; minime verendum fuit Cypriano, ne ſuæ contumaciæ ſchiſma illud verteretur: primum quia neque ſolus erat; neque tum forſan primus, ac præcipuus, ſed permulti, magnique, ac nobiles Antiſtites in Oriente idem ſentiebant, atque ipſe; ut ſæpe laudatus Dionyſius Alexandrinus ſcribit: deinde vir ſagax, & prudens Cyprianus ut erat, idemque ſanctus, ac magni conſilii, longe præviderat, proſpiceratque, fore ut nullum exoriretur ſchiſma. Nam quod Epiſt. 55. ad Cornelium Papam tradiderit: *non aliunde hæreſes obortas, aut nata ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur &c.* non de ſolo Cornelio Papa ſermo eſt; ſed de Epiſcopis generatim, ac potiſſimum de ſe ipſo loquitur Cyprianus; ut innuunt illa, quæ paulo poſt adducit: *quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur... plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatus... toties ad Leonem vocatus in Circo &c.*: & quæ de Cypriano, non de Cornelio certum eſt intelligenda eſſe; cum ibi Sanctus Martyr verba faciat contra Feliciſſimum, Fortunatum, & alios, qui ſchiſma adverſus ipſum ſuſcitarant. Id quod evincit etiam ejus Epiſtola 69. ad Florentium Pupianum ſuum criminatorem, dum in ea dicit: *inde enim ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur; dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur; & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur:* ita & Epiſt. 65. ad Rogatianum Epiſcopum de Diacono contumelioſo, ac refractario: *hæc ſunt enim initia Hæreticorum, & ortus, atque conatus Schiſmaticorum &c.*, lib. vero, ſeu ſermone

Digitized by Google

mone de zelo, & livore ſcribit: *hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur; ad bæreſes, atque ad ſchiſmata proſilitur; dum obtrectatur Sacerdotibus; dum Epiſcopis invidetur; dum quis quæritur, non ſe potius ordinatum; aut dedignatur alterum ferre Præpoſitum.*

Ad num. IV. *Fit autem ſtudio præſumptionis, & contumaciæ, ut quis magis ſua prava, & falſa defendat, quam ad alterius recta, & vera conſentiat* =

HOc ultimo loco quoniam nonniſi ea dicuntur, quæ alias, & ſæpe repetita ſunt; illa retractare nolo; ne actum agere dicar; & quum opus non ſit ea velle perpendere, quæ jam ſatis diſcuſſa fuerunt. Aliqua tantum afferam, quæ aut nondum in medium venerunt, aut majore explicatione indigere videntur. Itaque Cyprianus, qui Stephani negligentiam notaverat Epiſt. 68. ad Eccleſias Hiſpaniæ Emeritenſem, & Aſturicenſem, Legionenſemque de Martiali, & Baſilide earum Epiſcopis lapſis, ac dignitate privatis; quorum alter ad Stephanum appellaverat, illis verbis: *nec enim tam culpandus eſt ille* (Stephanus), *cui negligenter obreptum eſt; quam bic* (Baſilides) *execrandus, qui fraudulenter obrepſit:* hic præſumptionis, ac contumaciæ inſimulat eundem; propterea quod *magis ſua prava, & falſa* defenderet; *quam ad alterius recta, & vera* conſentiret: cum ipſe exiſtimaret eam ſe ſententiam ſequi, ac tueri ita rectis, ac veris rationibus ſuffultam; ut comparate alterius opinionis momenta prava viderentur, & falſa. Ipſe profecto Auguſtinus, qui ſententiæ Romanæ lacertos addere primus tentavit, lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. fatetur, Stephani temporibus non extitiſſe, qui in ea dimicatione Cypriano *niſi conſuetudinem opponerent; defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur:* rationes vero Cypriani pluribus in locis appellat *veriſimiles*, ac tales, tantaſque; ut lib. 3. cap. 4. non dubitaverit ſcriptis tradere, iturum ſe in Cypriani ſententiam, niſi authoritas multorum inde revocaſſet. Ea porro ſententia olim ſola conſuetudine fulta tandem ab Eccleſia declarata eſt & vera, & recta: ſed Rebaptiſmum ab uno, alteroque Oecumenico, ac plenario Concilio confixum fuiſſe; ſi de Nicæno, & Conſtantino-

tinopolitano I. ſermo eſt, & dubium, & falſum dico; dubium ſcilicet de Nicæno, & falſum de Conſtantinopolitano; ſin autem de Arelatenſi I. verbum ſit, Oecumenicum ipſum non fuiſſe probatum eſt: ab uno igitur, (ut omittam *Decretum* Eugenii IV. pro unione Armenorum in Concilio, ut volunt, Florentino editum,) Oecumenico Concilio Trid. ſeſſ. 7. can. 4. anathema dictum eſt in eos, qui non recipiunt, probantque baptiſmum datum *ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*. Quam quidem intentionem Cyprianus aſſeveraſſet, ab Hæreticis aut non haberi, aut valde dubium, utrum haberetur; & quorum fides vel nulla eſt, vel prorſus prava; ita quoque de eorum intentione judicandum: nam aut hæc poteſt non haberi; aut non poteſt eſſe, quin habeatur: at iſtud nemo dicet, alioquin fruſtra Tridentini Patres eam appoſuiſſent: igitur ſi poteſt non haberi, jure, ac merito Cyprianus dubitaſſet, ab Hæreticis, qui cuncta ſacra præſertim inficere, ac inquinare ſolent, eam haberi. Qua in re memoriæ occurrit illud, quod non multis ab hinc annis ſeculo nempe XVI. *merito diſputatum eſt*, inquit Maldonatus diſp. de Baptiſmo quæſt. 4., *a viris doctis de baptiſmo Calviniſtarum; nec deſunt, qui putent non eſſe verum baptiſmum;* idque propterea quod illi non intendant baptizare in remiſſionem peccatorum contra mentem Eccleſiæ Catholicæ: & quamvis hæc intentio cenſetur alia, atque illa; tamen ſi hanc poſſunt non habere, cur non & illam? Quin quod & idem Maldonatus in cap. 28. Matthæi v. 19. tradit, audiſſe ſe Calvinianum Miniſtrum noſtram ridentem, ut ille vocabat, ſimplicitatem, & ignorantiam; quod crederemus baptiſmum neceſſario debere aqua conſtare; non enim, ajebat, magis aqua, quam igne conſtitui debet; cum pluribus locis Chriſtus tam igne, quam *aqua* baptizaturus dicatur; a quo non multum diſtat, quod ſcribit Beza Calviniſtarum alter Anteſignanus Epiſt. 2. Quæ dicta ſint, quo appareat; quam caute ſuſcipiendi ſint, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam accedunt; & quantis ex cauſis motus ſit Cyprianus ad Hæreticorum baptiſma reſpuendum. Qui quoque illud exiſtimaſſe videtur, Stephanum, alioſque diverſæ opinionis eam conſuetudinem eſſe ſecutos, quæ ex errore illorum antiquorum fluxerit, qui quod in Eccleſia jam baptizatos

tos poſtmodum in hæreſim lapſos, cum ad Eccleſiam rediренt, ſine iterato baptiſmate ſuſcipi viderent; arbitrati ſunt Hæreticos quoſcunque etiam extra Eccleſiam tinctos neutiquam eſſe rebaptizandos; idque quum Cyprianus exſufflet Epiſt. 71. ad Quintum, carpitur ab Auguſtino lib. 5. de Baptiſmo cap. 19. hoc modo: *ſtatim enim unaquæque hæreſis, ut exiſtebat, & a congregatione Catholicæ communionis exibat; non dico alio die, ſed ipſo die poterat irruentes in ſe aliquos baptizare:* quod quidem verum eſt, fieri potuiſſe; ſed id factum fuiſſe neque ſciri, neque probari poteſt; & ſi quoque demonſtraretur; illud nihilominus verum eſt, vel certe eſſe poteſt; aliquos jam olim in Eccleſia baptizatos, & in hæreſim dilapſos, cum ad Eccleſiam ſunt reverſi, non iterato baptiſmate ſuſceptos fuiſſe; atque ex eo nonnullos anſam arripere potuiſſe credendi, quoſcunque Hæreticos ad Eccleſiam venientes ſine baptiſmi iteratione ſuſcipiendos eſſe, ut ait Cyprianus.

Ad Propoſ. V. *Reliquæ de Hæreticis baptizandis Epiſtolæ ſtrictim, curſimque expenduntur, & confictionis poſtulantur* =

Cum ea, quæ ad duas Cypriani ad Pompejum, & ad Jubajanum Epiſtolas evertendas plurimum valere videbantur, momenta me ſatis arbitrer amoviſſe; ea quoque, quæ reliquas de hac re Cypriani Epiſtolas impetunt, & quæ minoris eſſe difficultatis judicantur, a me retundi poſſe haud dubito: præſertim cum eas nequaquam inter ſe ſe diſſidere, nullamque antilogiam continere demonſtraverim. Sed primum S. Auguſtinus illis lib. 3. de Baptiſmo cap. 12. de Agrippini Concilio verbis: *ſi permanebat ab Agrippino uſque ad Cyprianum conſuetudo baptizandi ab Hæreticis venientes; ut quid facta ſunt a Cypriano de hac re Concilia?* nil aliud voluit, niſi commonere; ne quis exiſtimaret, conſuetudinem illam; quam Cyprianus ſcripſerat extaſſe uſque ab Agrippino, & ob quam ajebat ſe rem non novam facere; aliquando fuiſſe univerſæ Eccleſiæ; quod ex his elicitur, quæ idem Auguſtinus ſubjunxit: *ſi ab Agrippino uſque ad Cyprianum hoc tenebat Eccleſia?* ſed ut omnes ſcirent, alibi contrariam viguiſſe conſuetudinem. Quoniam ſi ſecus dicatur, & ſi de Afri-

Africana tantum conſuetudine interpretetur; quis non ſentit, facile Auguſtino reſponderi poſſe: tametſi permaneret ab Agrippino uſque ad Cyprianum Afrorum conſuetudo baptizandi eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam venirent; tamen nihilominus a Cypriano de ea re adhuc facta eſſe Concilia vel ob variam Eccleſiarum conſuetudinem; ob quam ipſam dubitatio orta eſt; quænam conſuetudo vetuſtior, probabilior, ſalubriorque eſſet; & quænam demum obſervanda: vel ad confirmandum ſtatuto Concilii id, quod conſuetudine recte fieri putabatur: mores enim, & conſuetudines interdum Conciliis firmari ſolitas docet Julius I. Papa Epiſt. ad Orientales in cauſſa S. Athanaſii ſcribens: *morem enim, qui ſemel obtinuit, & a Synodo confirmatus eſt; iniquum eſt a paucis abrogari*. Quemadmodum etſi conſuetudine tenebatur major pars Eccleſiæ circa verum Paſchatis celebrandi diem, tamen ſub Victore Papa neceſſe fuit ob eam diem plurima cogi Concilia; & poſtmodum etiam Nicænum celebrari non alia ratione, quam quod varia erat ea de re Eccleſiarum conſuetudo, quæ quæſtioni locum dedit; utra conſuetudo potior eſſet; & an utraque permittenda. Similiter iccirco Cyprianus Jubajano dicit, non ſe rem novam facere, aut repentinam, ſed ab Agrippino conſtitutam; & iccirco Jubajanus turbatur in hac quæſtione, quod alia hujus rei conſuetudo præſertim Romana conſuetudinem Africanam in dubium vocabat: & ideo ex LXXXVII. Epiſcopis Concilii III. Carthagin. quinque, quos Auguſtinus refellit lib. 3. de Baptiſmo cap. 5. & ſeqq., dixerunt rationem, & veritatem conſuetudini præponendam; non autem eos, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra conſuetudinem facere; quod duplex eſſet conſuetudo; quam quum illi ſolam opponerent; illi, qui & conſuetudinem, & rationem ſe habere intelligebant; reponebant, ut ut eſſet de conſuetudine, quæ varia cernebatur, rationem ſemper, & veritatem conſuetudini præponendam eſſe; quod & ipſe Cyprianus antea docuerat Epiſt. 71. ad Quintum: *nec conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire debet, quo minus veritas prævaleat, & vincat*. Quare liquet hic ab Auguſtino neminem convinci mendacii, aut imprudentiæ.

I. Itaque Cypriani ad *Numidas* Epiſtola, quam utique nonnulli primam faciunt in hac controverſia; ſed Baronius,

Pear-

Pearſonius, & Pagius illam ad *Magnum* eſſe judicarunt primam, non ea eſt, in qua hæreſis Donatiana perinde, ac Afrorum rebaptiſmus apertiſſime vindicetur: quamquam enim Donatiſtæ abutebantur ad ſuam hæreſim ſtabiliendam nonnullis, quas adhibet & Cyprianus in hac Epiſtola pro rebaptiſmo, ſacrarum Scripturarum authoritatibus; multum tamen intererat inter Donatiſtarum, & Cypriani, Catholicorumque doctrinam: iſti de Hæreticis, & Schiſmaticis, iiſque tantum, qui extra Eccleſiam ſunt, ſacræ Scripturæ authoritates exponebant; illi vero de improbis, ac peccatoribus quibuſcunque. Quocirca Cyprianus ad illa Pſalmi 140. verba: *oleum peccatoris non ungat caput meum:* & alia Joannis 9. *Deus peccatorem non audit:* ita ratiocinatus creditur; ſi oleum peccatoris in Eccleſia non ungat caput meum, quanto magis oleum Hæretici, & infidelis viri; & ſi Deus peccatorem Catholicum non audit, multo minus Hæreticos, Schiſmaticos, ac ſanctæ fidei hoſtes: Idque quidem elicitur ex his, quæ ipſe in hac Epiſtola ſubjungit: *quod ante in Pſalmis præmonuit Spiritus Sanctus; ne quis exorbitans, & a via veritatis exerrans apud Hæreticos, & Chriſti adverſarios ungeretur.* Porro ſi quiſpiam aliter ſentiat, & interpretationem noſtram non probet, ſed arbitrariam eſſe contendat; aliam ut ſuppeditet, oratur; qua tueri poſſint ea ipſa, quæ idem Cyprianus Epiſt. 64. ad Epictetum Epiſcopum, plebemque Aſſuritanam de Fortunato eorum olim Epiſcopo lapſo, depoſitoque, & Epiſcopatus munia nihiloſecius ſibi uſurpare conante ſcribit: *Quomodo putat manum ſuam transferri poſſe ad Dei ſacrificium, & precem Domini, quæ captiva fuerit ſacrilegio, & crimini; cum in Scripturis divinis Deus ad ſacrificium prohibeat accedere Sacerdotes etiam in leviori crimine conſtitutos: & in Levitico dicat: Homo, in quo fuerit vitium, & macula, non accedat offerre dona Deo. Idem in Exodo... qui accedunt miniſtrare ad Altare ſanctum, non adducent in ſe delictum, ne moriantur... Cum in Evangelio ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit; ſed ſi quis Deum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit... Quod ne tales ad Altaris impiamenta, & contagia fratrum denuo redeant, omnibus viribus excubandum, & omni vigore nitendum, ut quantum poſſumus ab hac eos ſui ſceleris audacia retundamus; ne adhuc agere pro Sacerdote conentur, qui ad mortis extrema dejecti*

ultra lapſos Laicos ruinæ ſuæ pondere proruerunt... Cum nec oblatio ſanctificari illic poſſit, ubi Spiritus Sanctus non ſit; nec cuiquam Dominus per ejus oblationes, & preces proſit, qui Dominum ipſe violavit: ut & Epiſt. 68. ad Eccleſias in Hiſpania Emeritenſem, Aſturicenſem, & Legionenſem de Baſilide, & Martiali Epiſcopis dignitate exutis: *in ordinationibus Sacerdotum nonniſi immaculatos, & integros Antiſtites eligere debemus, qui digne, & ſancte ſacrificia Deo offerentes audiri in precibus poſſint, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate; cum ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit... Propter quod plena diligentia, & exploratione ſyncera oportet eos ad Sacerdotium Dei deligi, quos a Deo conſtat audiri... Quod idem in Numeris manifeſtari invenimus; quando Chore, & Dathan, & Abiron contra Aaron ſacrificandi ſibi licentiam vendicaverunt.* S. etiam Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 30. ait: *Ut enim ſit quiſque verus Sacerdos, oportet, ut non ſolum Sacramento, ſed juſtitia quoque induatur; ſicut ſcriptum eſt: Sacerdotes tui induantur juſtitia. Qui autem ſolo Sacramento Sacerdos eſt, ſicut fuit Pontifex Caiphas perſecutor &c.:* & S. Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ: *Sacerdotes, qui Eucharistiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Chriſti putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam; & neceſſariam eſſe tantum ſolemnem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur: & Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino:* ſed & Gelaſius I. Papa 1. q. 1. c. *Sacroſancta religio* Elpidio Epiſcopo ſcribens annon habet: *nam quomodo ad divini myſterii conſecrationem cæleſtis Spiritus invocatus adveniet; ſi Sacerdos, & qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus reprobetur?* Quod ſi hæc ferimus in Auguſtino, & aliis; cur non & illa ipſa in Cypriano? aut ſi hæc, quæ Auguſtinus, aliique habent, interpretatione indigere quis putet; quare & illa Cypriani non item? Certe Cyprianus interdum in Sacramentorum, ac in primis baptiſmi Miniſtro videtur potius fidem requiſiiſſe, quam probitatem; ſeu ſanctitatem magis fidei, quam morum ſanctitatem; vel etiam utrumque deſideraſſe; cum Epiſt. 76. ad Magnum de baptiſmo Clinicorum ſcribat: *nos, quantum concipit mediocritas noſtra, exiſtimamus in nullo mutilari, & debilitari poſſe beneficia divina; nec minus aliquid illic poſſe*

con-

contingere, ubi plena, & tota fide & dantis, & ſumentis accipitur, quod divinis muneribus hauritur.... In Sacramentis ſalutaribus ... totum credentibus conferunt divina compendia ... Et quando hæc in Eccleſia fiunt, ubi ſit & dantis, & accipientis fides; integra ſtare omnia, & conſumari, ac perfici eos ſalutari aqua, & fide legitima Chriſti gratiam conſecutos &c. & S. Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos docet verum baptiſma non eſſe, ubi vera fides non eſt, ut vidimus ad num. XXXI. cap. I., idemque ſenſiſſe volunt S. Optatum Milevitanum lib. 1. contra Parmen. num. 10., nam S. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium cap. 47. manifeſte habet: *nec dicant enim; in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati ſumus; qui quidem Deum eſſe malorum effectorem exiſtimant inſtar Marcionis, & reliquarum hæreſum.* Illud vero Joannis 9. *Deus peccatorem non audit*, eſt quidem verum de eo, qui peccator eſt, perſtatque peccare, & ad Deum non convertitur; ſed falſum de eo, qui etſi peccator eſt, tamen vertit ſe aliquando ad Deum,ac demum ingemiſcit, pœnitetque peccaſſe; de quo Deus per Zachariam 1. dixit. *convertimini ad me, & convertar ad vos.* Quare S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 8. habet: *quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri, ſed tamen non omnem peccatorem non exaudiri veritas teſtis eſt:* & Gelaſius I. Papa in tomo de Anathematis vinculo: *ſicut etiam eſt conſequenter & illud B. Joannis Apoſtoli: eſt peccatum ad mortem; non dico, ut oretur pro eo: & eſt peccatum non ad mortem; dico, ut oretur pro eo: eſt peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: & eſt peccatum non ad mortem ab eodem peccato recedentibus.* Cyprianus autem loquitur de Hæretico, & Schiſmatico, quos, quamdiu hæreſi, ſchiſmatique inhærent, Deus non exaudit *in ſenſu*, ut ajunt, *compoſito.*

II. De Epiſtola vero *ad Quintum* miror, ſi ea ſuppoſitionis non eſt poſtulata etiam ideo, quod habeat Petrum cum Paulo *de Circumciſione* diſceptaſſe: quandoquidem controverſia de Circumciſione, quæ Act. 15. narratur, non fuit inter Petrum, & Paulum; ſed inter iſtos diſſenſio fuit ob legalem convictum Petri cum Ethnicis ſimulatum ad Galatas 2.: quem Cypriani lapſum ſecutus eſt Auguſtinus de Baptiſmo lib. 2. cap. 1., lib. 3. cap. 7., lib. 7. cap. 1., & lib. 2. contra Creſcon. cap. 32., nec non Zoſimus a Tharaſſa Epiſco-

pus in III. Concilio Carthagin., reorque Cypriano anſam errandi dediſſe aut id, quod ibi ad Galatas legitur de Petro, qui, cum quidam venirent a Jacobo, a convictu Gentium ſe ſubtrahebat *timens eos, qui ex circumciſione erant:* aut quod ſcribit Tertullianus lib. de Præſcript. Hæret. cap. 24. *quemadmodum ſi & Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumciſionem, circumcidit ipſe Timotheum: viderint, qui de Apoſtolis judicant:* qui tamen cap. 23. dixerat de Paulo Apoſtolo: *cæterum ſi reprehenſus eſt Petrum, quod cum convixiſſet Ethnicis, poſtea ſe a convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu &c.* Sed undecunque manaverit ille error, Cyprianus hac in Epiſtola dat operam, ut oſtendat, quacunque in controverſia rationem eſſe cæteris rebus anteponendam, adeo ut etiam Petrus quamquam Apoſtolorum *primus* in diſſidio de circumciſione, vel potius de ſimulatione cum Paulo non objecerit, nec ſe defenderit primatu, cum poſſet; ſed rationi Pauli ceſſit, & conſilium veritatis admiſit: ac proinde etiam in altercatione de Hæreticorum baptiſmo non conſuetudinem opponendam, neque *conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum* dixit; quod & Zoſimus a Tharaſſa in Concilio III. Carthagin. autumavit, dum ait: *revelatione facta veritatis, cedat error* (ideſt conſuetudo, inquit S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 7.) *veritati; quia & Petrus, qui prius circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti.* Qua in re mihi ſatis appoſite viſus eſt Cyprianus rem conficere argumento a pari ducto; & ipſe Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 1. iſta ejus ad Quintum verba referens, & expendens nec ea improbat, nec falſam in eis argumentationem deprehendit. Sicut nec verum puto, Cyprianum, quum ad Quintum ſcripſit, Stephani ſententiam ignoraſſe; id certe ex ejus ad ipſum Stephanum Epiſtola non eruitur; quinimmo contrarium videntur ſonare illa Epiſtolæ verba: *cæterum ſcimus, quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare; ſed ſalvo inter Collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere.* Nam quod Cyprianus ſperaret, Stephanum ſibi conſenſurum; non probat, eum Stephani ſententiam ignoraſſe; ſed oſtendit, ea eum ſcripſiſſe Stephano, quibus ſperare poſſet, illum a ſententia, quam tenebat, abſtrahere; & ad ſuam, quam ſequendam prædicabat,

Digitized by Google

cabat, perducere. Sed & illud quo pacto permitti poteſt, unum Carthaginienſem Epiſcopum *jure Primatiali* cæteris Africæ Proconſularis fortaſſe etiam Numidiæ Epiſcopis præfuiſſe? quando certo conſtat, unicuique Provinciæ Africanæ ſuum præfuiſſe Antiſtitem, qui modo *Senex*, modo *Senior*, modo etiam *Primas* nuncupabatur; quibus tamen omnibus Carthaginienſis Antiſtes præerat velut Exarchus, & Archiepiſcopus? Quo circa in Collat. Carthagin. 3. diei cap. 247. S. Auguſtinus ait: *Megalius me ordinavit Primas Eccleſiæ Numidiæ Catholicæ*, ſeu a *Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo* ordinatus eſt, ut refert Poſſidius in Vita ipſius Auguſtini cap. 8., qui & Epiſt. 59. al. 217. ad Victorinum ſcribit: *legi in eadem Tractoria, etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum; quas Provincias ſcimus ſuos habere Primates:* & canon 17. codicis Eccleſiæ Africanæ habet: *Placuit, ut Mauritania Sitifenſis... ſuum Primatum habeat; quem conſentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Africanarum... habere permiſſa eſt:* ut plurimas alias ejuſdem Codicis auctoritates omittam, quæ Primatuum Africanorum mentionem apertam faciunt; cum & S. Leo IX. Epiſt. 9. ad Petrum, & Joannem Afros Epiſcopos tradat: *Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum eſt; quia in ſingulis ejus Provinciis antiquitus Primates inſtituebantur non ſecundum potentiam alicujus Civitatis, ſed ſecundum tempus ſuæ ordinationis: quibus tamen omnibus præerat unus ſcilicet Carthaginenſis Archiepiſcopus*. Quæ quum ita ſint; etiamſi illa Cypriani ad Quintum verba: *ut diceret ſe Primatum tenere &c.* referrentur ad unum aliquem Afrorum, vel extra Africam Antiſtitum, ubi *Primatus* plures extitiſſe liquet; adhuc ſtaret comparatio Petri cum aliis Primatibus eo, quo poteſt comparari, modo: & quidni potuit dici: ſi in cauſa circumciſionis, aut ſimulationis Petrus Paulo primatum non oppoſuit; etiam in cauſa baptiſmi Hæreticorum Antiſtes Afer, vel quiſpiam alius primatum opponere non debet? quo facto *Primatus* quidem plures exeruntur; ſed uti in Africa, ubi omnes uni ſubeſſe tenebantur. Ad id autem de reprehenſione a Paulo facta Petro, non Cephæ jam dixi alias ad II. Argum. cap. III., & proxime dictum eſt etiam, eo ſatis appoſite uſum eſſe S. Cyprianum in rem ſuam; non quo conſuetudinem circumciſionis, ſeu ſimulationis conſuetudini recipiendi Hæreticos

non

non iterato baptiſmate opponeret; ſed ut oſtenderet, quod ſi in facto ſimulationis convictus Petrus Paulum non retudit primatu; nec etiam in facto rebaptizandi Hæreticos Stephanum, vel quempiam alium ullo modo conſuetudinem objicere debuiſſe; ſed ut illum primatu, ita iſtum conſuetudine prætermiſſa rationem ultro complecti. Poſtremo, quod ad hanc Epiſtolam Cypriano afferendam facit, ad Propoſ. III. Theorem. II. palam demonſtravi, ipſam ad Quintum Epiſtolam S. Auguſtinum abſolute probaſſe, ac recepiſſe.

III. Similiter Epiſtolam Cypriani ad *Stephanum*, quam Auguſtinum non vidiſſe monui ad Propoſ. I. Theor. V., affert, & recipit S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, nec in ea reperiri dicit quamquam vir ſolers, & acutus puram, putamque hæreſim Donatianam. Quod enim in ea dicit Cyprianus: *Oportet Sacerdotes, & Miniſtros, qui Altari, & Sacrificiis deſerviunt, integros, atque immaculatos eſſe &c.:* nihil habet, quod non dixerint & Hieronymus, & Auguſtinus, & Gelaſius Papa, & ipſe Cyprianus in Epiſtolis certis, & minime controverſis, ut paulo ante de ejus Epiſtola ad Numidas oſtenſum eſt; nihilque, quod verum non ſit; præſertim cum ea in Epiſtola duo ſcribat a ſe decreta in Synodo condita fuiſſe; alterum de his, qui extra Eccleſiam ab Hæreticis, vel Schiſmaticis baptizati ſunt, cum ad Eccleſiam veniunt; ut baptizentur: alterum de his, qui in Eccleſia ordinati ad hoſtes transfugerunt; vel ab Hæreticis, & Schiſmaticis extra Eccleſiam ordinati fuerant, quum ad Eccleſiam aut revertuntur, aut veniunt; ut communicent Laicis: verba illa, *oportet enim Sacerdotes, & Miniſtros, qui Altari, & Sacrificiis deſerviunt &c.*, non adducit pro primo decreto, ſeu pro Miniſtro Sacramenti baptiſmatis, ſed pro ſecundo, nempe pro Miniſtris Sacramenti Euchariſtiæ, quos quidem oportet immaculatos eſſe, ac integros, ut *licite*, non ut *valide*, quod ajunt, Sacramentum conficiant. Etenim quid aliud autumat S. Innocentius I. Epiſt. 22. ad Macedones Epiſcopos, dum cap. 3. de ordinatis ab Hæreticis ſcribit: *atque ubi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus: nam ſi, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit &c.?* annon hoc ipſum habet & Paulus Apoſtolus 1. ad Timotheum 3. *oportet ergo Epiſcopum irrepre-*

reprehenſibilem eſſe... Diaconos ſimiliter pudicos... & ſic miniſtrent nullum crimen habentes? & S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 14. quid ait? *neque poteſt id rite offerri niſi per Sacerdotem juſtum, & ſanctum; nec niſi ab eis accipiatur, quod offertur, pro quibus offertur; atque id ſine vitio ſit; ut pro vitioſis mundandis poſſit offerri. Hoc certe omnes cupiunt, qui pro ſe offerri ſacrificium Deo volunt:* & Tract. 5. ſuper Joannem: *ſed miniſtros, inquiunt, tanti judicis juſtos oportet eſſe, per quos baptizat: & ego dico; & omnes dicimus, quia juſtos oportet eſſe tanti judicis miniſtros. Sint miniſtri juſti, ſi volunt &c.* Quæ ſane adeo mihi clara, & manifeſta videntur; ut mirum ſit, ea Cypriani verba in ſuſpicionem hæreſis Donatianæ a quoquam vocari potuiſſe. Quod enim Donatiſtæ & ipſi his authoritatibus ſacræ Scripturæ uterentur ad ſuam hæreſim conſtabiliendam; non proinde quicunque has authoritates adducebant, hæreſi Donatianæ adhærebant: quare S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 11. docet: *neque enim quicquid Hæretici perverſe fuerint imitati, propterea faciendum a Catholicis non eſt, quia illi ſimiliter faciunt.* Poſtea propterquid confingi debuit a Donatiſtis hæc ad Stephanum Epiſtola, ſi alterum de Clericis transfugis, vel extra Eccleſiam ordinatis decretum nihil concertationis cum Catholicis haberet, nihilque diſſidii; & ſi habuiſſet, contra ipſos Donatiſtas fuiſſet? continet enim, Clericos vel in Eccleſiam rebelles, vel extra Eccleſiam ordinatos, cum ad Eccleſiam accederent, inter Laicos tantum recipi: Donatiſtæ vero etſi primitus tales Clericos inter pœnitentes collocabant, ut refert Optatus Milevit. lib. 2. num. 2. & 5., tamen tempore S. Auguſtini, quo hæc Epiſtola confiſta putatur, Clericos lapſos, aut Catholicos ad ordines quoſcunque dimittebant, ut habetur ex ejuſdem Auguſtini Epiſt. 23., 108., 185., ex ejus lib. 3. contra lit. Petiliani cap. 38., & ex Collat. Carthagin. primæ diei cap. 198., & 201., at ſi a Donatiſtis iſtud commentum fuiſſet; morem quoque, & doctrinam eorum referre debuiſſet.

IV. Epiſtola tandem ad *Magnum* adulterina minime cenſeri debet, etiamſi Magnus Novarianenſes pro Hæreticis non haberet, ſed tantummodo pro *Schiſmaticis*; cum illi & Hæretici, & Schiſmatici vocarentur. Et primum non certo conſtat ex Epiſtola ea, ita Magnum ſenſiſſe; ſed Cyprianum

dum-

dumtaxat in ea Novatianum modo Hæreticum appellare, modo Schiſmaticum: Deinde ſenſerit ita licet Magnus; cur non potuit ignoraſſe, Cyprianum eos nominaſſe Hæreticos? aut ejus ſententia jam ſub Cornelio Papa probe patefacta, atque perſpecta; cur non potuit ipſe ſecus ſentire, atque ille? Novatianenſes certe etiam S. Baſilius Epiſt. can. ad Amphilochium cap. 1. Schiſmaticos nuncupavit, cum ait: *Qui ſe autem abſciderunt, qui Schiſmatici dicuntur.... Cathari ſunt & ipſi ex iis, qui ſunt abſciſſi... Schiſma autem eſt de Pœnitentia diſſentire ab iis, qui ſunt ex Eccleſia:* præcipuus autem Catharorum error erat de Pœnitentia: & Regenſe Concilium in Gallia anno 439. coactum can. 3. habet: *Quod ergo in quibuſdam Schiſmaticis magis, quam Hæreticis recipiendis Nicænum Concilium ſtatuit a ſingulis per territoria ſua; hoc etiam præſens Conventus in hoc ſtatuit ab omnibus debere ſervari:* quibus ſignificatur canon 8. Nicænus de Catharis recipiendis. Quinquod S. Epiphanius hær. 49. Donatianos dicit fuiſſe ejuſdem ſectæ, ac opinionis cum Novatianenſibus; Donatianos autem S. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmen. num. 5. & 10. Schiſmaticos eſſe pronunciat; quos tamen alii modo Schiſmaticos, modo Hæreticos appellarunt ob eam, quam ad num. XXXII. cap. I. dixi cauſam: enimvero Ruffinus Aquilejenſis in Præfatione expoſitionis Symboli Apoſtolorum, cum ait Romæ nullam hæreſim ortum habuiſſe; ſenſit aperte Novatianum non fuiſſe hæreticum, ſed Schiſmaticum; quandoquidem iſte & Romæ degebat, & ibi ſchiſma excitavit. Illud vero, ex quo deducitur, authorem Epiſtolæ, dum ex lib. Num. cap. 16. teſtimonia profert, Donatianæ hæreſi favere; non ſemel exploſum eſt, ac profligatum; cum ea ipſa Cyprianus teſtimonia adducat in ſuis Epiſtolis genuinis, & ab omnibus receptis, nimirum in 65. ad Rogatianum Epiſcopum, in 68. ad Emeritenſem, Aſturicenſem, & Legionenſem Eccleſias, & in libro de Unitate; ſicut & S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 18., tam abeſt, ut ea ſacrilegis Donatiſtarum direptionibus viam ſternant. Hæc denique ad Magnum Epiſtola, cum duas in partes ſecta ſit, ut vidimus ad Propoſ. IV. hujus Theorem. num. I., agatque de baptiſmo *Hæreticorum*, ac potiſſimum Novatianenſium; & de baptiſmo *Clinicorum;* ut quid excogitari debuit a Donatiſtis; ſi

pars

pars altera, quæ de Clinicorum lavacro diſſerit, nihil ad eorum hæreſim, aut ſchiſma, nihil ad diſſidium cum Catholicis pertineat? illam profectò videtur Auguſtinus recipere; dum ejus locum adducit lib. 6. de Baptiſmo cap. 7. ſcribens de Cypriano: *ſic in Epiſtola, quam ſcripſit ad Magnum, cum de baptiſmo tinctorum, & perfuſorum quæreretur, utrum aliquid intereſſet &c.* Quam quidem Epiſtolam adverto, antiquam rebaptizandorum Hæreticorum in Africa conſuetudinem prodere; cum inter Cyprianicas de hoc argumento prior ſit, ut paulo ante dictum eſt; incipit enim: *Pro tua religioſa diligentia conſuluiſti mediocritatem noſtram, fili chariſſime; an inter cæteros Hæreticos eos quoque, qui a Novatiano veniunt, poſt profanum ejus lavacrum baptizari, & ſanctificari in Eccleſia Catholica legitimo, & vero, & unico Eccleſiæ baptiſmo oporteat. De qua re... dicimus omnes Hæreticos omnino, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac juris: propter hoc Novatianus nec debet, nec poteſt excipi:* liquetque, Magnum de iis ſolum quæſiviſſe, qui a Novatiano fuerant baptizati; quaſi non ſatis conſtaret, an Novatianus hæreticus eſſet, vel ſchiſmaticus; & an ſicut Hæretici, quos jam noverat ex Afrorum more rebaptizari; ita & Schiſmatici rebaptizandi forent; proptereaque ex Cypriano ſciſcitatur Magnus, quamnam demum hæreſim docuerit Novatianus. Nec illud etiam omittendum puto; has omnes Epiſtolas eſſe S. Cypriani, & non confictas, ſuaderi poſſe ex contextibus ſacrarum Scripturarum in ipſis adductis; qui cum ſint ejuſdem verſionis antiquæ, atque illi Epiſtolarum, quæ certo S. Martyris eſſe noſcuntur; ut ex Epiſt. 70. ad Numidas, 72. ad Stephanum, & 74. ad Pompejum, 55. ad Cornelium Papam, & 68. ad Eccleſias Emeritenſem, & Aſturicenſem, ac Legionenſem; ſuadere videntur, Epiſtolas eas omnes ejuſdem Authoris eſſe.

THEOR. VII.

Ad Propoſ. I. *Pro Epiſtola ad Pompejum, ceteriſque Cypriano adjudicandis octo adducuntur argumenta, & ſingulatim refelluntur* =

Ad num. I. *Ex Libello ad Novatianum* =

Libellus, qui *ad Novatianum* hæreticum inſcribitur, ſive Cypriani ſit, ſive non, liquido non continet Cypriani de Hæreticis baptizandis ſententiam, quamvis habeat: *Sacramentum baptiſmatis, quod in ſalutem generis humani proviſum, & ſoli Eccleſiæ ratione conceſſum celebrare per os ſuum præoſtendit:* quod legitur & in Epiſt. 74. ad Pompejum: *baptiſma nonniſi unum eſt, & intus eſt, & ſoli Eccleſiæ divina dignatione conceſſum eſt:* nam etiam S. Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 30. de Luciferianis Schiſmaticis ait: *in eo enim, quod intelligunt baptiſmum Chriſti non eſſe repetendum, recte faciunt; ſentiunt enim Sacramentum ſancti lavacri nuſquam eſſe niſi ex Catholica Eccleſia; ſed eam formam ſecum habere ſarmenta præciſa, quam in ipſa vite, antequam præciderentur, acceperant:* & Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. *ex Catholica enim Eccleſia ſunt omnia dominica Sacramenta, quæ ſic habetis, & datis &c.:* S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. ſententiarum, vel de ſummo Bono cap. 24. *ſolam Eccleſiam Catholicam habere baptiſmum ad ſalutem Zacharias Propheta teſtatur... Hæretici autem id ſolum imaginaria oſtentatione faciunt:* Gennadius Præsbyter Maſſilienſis lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 52. *Baptiſma unum eſt, ſed in Eccleſia, ubi una fides eſt:* & S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos: *neque enim hoc modo quæritur.. ſed an Hæreticus baptiſma habeat: qui ſi, ut conſtat, baptiſma non habet; quomodo poteſt eſſe pœnitens antequam Chriſtianus?* & in cap. 4. Epiſtolæ ad Epheſ. ad illa Apoſtoli verba: *unum baptiſma:* ſcribit; *& contra Valentinum facit, qui duo baptiſmata eſſe contendit; & contra omnes Hæreticos, ut ſciant non habere ſe baptiſmata; ſed in una Chriſti Eccleſia fontem eſſe vitalem.* Quæ quidem verba minime errorem continent, ut perperam pronunciat Cornelius a Lapide; cum re vera baptiſmus Sacramentum ſit unius Eccleſiæ Chriſti, eique ſoli conceſſum

ad

Digitized by Google

ad ſalutem eorum, qui in ea perſiſtunt: Quod autem Hæretici, & Schiſmatici, aliique extra Eccleſiam commorantes baptiſmum conferre poſſint; id factum eſt Eccleſiæ conceſſu, cui viſum eſt ob magnam Sacramenti neceſſitatem omnibus quibuſcunque hanc poteſtatem facere; & facultatem ſuam aliis etiam delegare. Vel ſi quiſquam contenderet, illos aliunde poteſtatem hanc accepiſſe; illud ſaltem fateatur oportet, baptizandi quidem illos jus habere, ſed minime *ad ſalutem* ſibi, aut ſuis comparandam; quod prorſus Eccleſiæ Chriſti eſt; & quo explicanda ſunt & Cypriani, & Hieronymi; & aliorum Doctorum effata; quapropter S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 21. ait: *proinde conſentimus Cypriano Hæreticos remiſſionem dare non poſſe, baptiſmum autem dare poſſe; quod quidem illis & dantibus, & accipientibus valeat ad perniciem tanquam munere Dei male utentibus:* & lib. 6. cap. 5. *poteſt tamen tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus; ſed quam pernicioſe habere, tam pernicioſe tradere &c.* In iis vero, quæ ſine dubio Cyprianica ſunt, non deprehendi hanc de Hæreticis baptizandis ſententiam, omnino falſum eſt; quod enim in libris Teſtimoniorum ad Quirinum nihil ejuſmodi legatur, id eo factum eſt, quia in iis Cyprianus certa, & quæ omnibus communia erant, commemorare debuit; uti non erat opinio de Hæreticorum baptiſmo; quam ob cauſam ibi neque iſta de Hæreticis rebaptizandis; neque illa de Hæreticis ſine baptiſmi repetitione ſuſcipiendis habetur. Cæterum in libro *de Unitate*, ſeu de ſimplicitate Prælatorum annon de Schiſmaticis ſcribit: *Quando aliud baptiſma præter unum eſſe non poſſit, baptizare ſe poſſe opinantur. Vitæ fonte deſerto vitalis, ac ſalutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illic homines, ſed potius ſordidantur; nec purgantur delicta, ſed immo cumulantur. Non Deo nativitas illa, ſed Diabolo filios generat... Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli Sacerdotum? an ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur; qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur?* Extat & alia hac de re Cypriani Epiſtola *contra Hæreticos*, quam affert Gratianus 1. q. 1. cap. *ſi quis inquit;* ſed quoniam Romani emendatores Gratiani cenſent eſſe caput ex variis Cypriani Epiſtolis, Concilioque controverſis collectum, rem in medio relinquo. Veruntamen illud advertere non omittam, librum

de Unitate editum fuiſſe anno 251. ſedente Cornelio Papa; Romamque ad Confeſſores tranſmiſſum, ut Baronius, & Pagius tradunt; & licet eam, quam retuli, ſententiam de irrito, nulloque eorum, qui extra Eccleſiam ſunt, baptiſmate perſpicue doceat; nihil tamen in Cyprianum nec a Cornelio, nec a quoquam alio vel factum, vel dictum eſſe ſcitur, Euſebius quippe Rufini prodit quidem, a Cornelio contrariam Cypriano ſententiam in Concilio ſancitam eſſe, ſed *manente concordia* illius opinionem minime ſuſtuliſſe: Quare etiamſi Libellus ad Novatianum Hæreticum Cypriano adjudicetur, initio ſchiſmatis Novatiani conſcriptus aſtruatur, & Cypriani de Hæreticis rebaptizandis ſententiam habere dignoſcatur, adhuc Cyprianum ſub Cornelio eam ſententiam impune exercere potuiſſe, nil vetat, quin affirmari queat: & quidni impune, & ſi non ubique laudabiliter? primum potuit Libellus ille ad manus Cornelii nunquam perveniſſe: deinde falſum eſt, eo tempore Cypriani ſententiam fuiſſe *falſam, & periculoſam*, ut alibi commonſtratum eſt: ſed quemadmodum variam de die Paſchatis diſciplinam diu tulerunt Anicetus, aliique Romani Pontifices; quam demum tollendam, exſcindendamque Victor Papa judicavit; ita variam de Hæreticorum baptiſmo diſciplinam diſſimulare potuerunt & Cornelius, & alii Romanæ Sedis Antiſtites; quam proſcribendam tandem aliquando, & eliminandam duxerit Stephanus Papa.

Ad num. II. *Ex Canone VIII. Concilii Arelatenſis I.* =

DOnatiſtarum rebaptiſmum a Patribus Concilii Arelatenſis certo canone fuiſſe confixum teſtari S. Auguſtinum, & Euſebium; eſt mea quidem ſententia de S. Auguſtino plane falſum; de Euſebio vel omnino ignotum, vel etiam æque falſum: rebaptiſmum enim Hæreticorum, & Schiſmaticorum damnatum eſſe utique dicit pluribus in locis Auguſtinus a *Concilio plenario totius Orbis*, ac univerſæ Eccleſiæ; ſed illud Nicænum, non Arelatenſe fuiſſe, ſatis arbitror me demonſtraſſe ad Diſſert. I. Canonem autem VIII. Synodi Arelatenſis I., *de Afris, quod propria lege ſua utuntur, ut rebaptizent;* non habuiſſe *de Arianis;* uti perperam exſcripſit Gratianus diſt. 4. de Conſecr. cap. 109. *de Arianis*, ex quo quam-

plu-

Digitized by Google

plures errorem imbiberunt; ſed ubi tamen Romani emendatores adnotarunt, in pervetuſtis hujus Concilii codicibus legi *de Afris;* manifeſtum eſt; non quo nuſquam legatur, Arianos non conſueviſſe rebaptizare; cum id aperte tradat S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 49., de Symbolo lib. 2. cap. 13., & Tract. de Tempore barbarico; Vigilius Papa Epiſt. 2. ad Profuturum al. Eurherium Bracaren. Epiſcopum num. 3., & S. Ambroſius in Orat. de tradendis Baſilicis anno 386. dicta referat, Auxentium Arianum rebaptizaſſe eos, qui jam in nomine S. Trinitatis baptizati erant; ſed quia tempore Concilii Arelatenſis nondum Ariana hæreſis audiri, ac nominari cœperat; & ſi quoque audiri cœpiſſet, tamen rebaptizandi morem nonniſi circa tempora Ambroſii eos uſurpaſſe mihi compertum eſt. Neque etiam habere canon potuit *de Donatiſtis*, non quod invidioſo nomine Donati pars exaſperanda non fuerit; quando in Epiſtola ad Sylveſtrum Papam Synodi Patres dixerunt Donatiſtas *graves, ac pernicioſos legi noſtræ, atque traditioni, effrenatæque mentis homines;* ſed quia & ea nondum illi appellatione veniebant, nondum propriam legem eam habebant; & huic lectioni nullus codex ſuffragatur. Neque tandem legendum eſt, reſtituendumque *de iis Afris*, atque ita interpretandum de *Donatiſtis*, qui rebaptizabant; uti ſenſerunt Baronius ad ann. 314. num. 61., Lupus Differt. de S. Leonis IX. Actis cap. 6. crim. 3., Noris Hiſt. Donat. part. 1. cap. 9., & Fraſſen de Sacram. diſp. Proœm. art. 3. q. 3., cum id a vero tantopere abhorreat; nam quomodo de eis dixiſſent Patres Arelatenſes, *quod propria lege ſua utuntur, ut rebaptizent?* ſive enim ibi pro lege intellexerint morem, & conſuetudinem longo, & continvato multorum annorum uſu firmatam, falſum eſt, Donatiſtas rebaptizandi legem habuiſſe; cum ab eorum exordio vix triennium ad uſque celebratam Synodum Arelatenſem excurriſſet; ſive autem pro lege propria voluerint decretum aliquod, minus etiam verum dixiſſent; quoniam ad Macariana uſque tempora, ideſt anno 350., Donatiſtæ in Mauritania non iterabant baptiſmum, teſtimonium perhibente Donatiſta Tyconio apud S. Auguſtinum Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. num. 43., ac de ea lege, aut decreto, an unquam antea extiterit, non conſtat. Juenin Comment. de Sacram. diſſert. 2. q. 4. cap. 1. num. 6. putat *Afrorum* nomi-

nomine eo loco venire Sabellianos, Novatianos, Donatiſtas, cæteraſque peſtes in Africa graſſantes: at de Donatiſtis jam dictum eſt; cæteri vero Hæretici quo pacto *Afrorum* appellatione venire poterant; ſi neque in Africa ortum habuerant; & magis in Oriente, aliiſque Regionibus, quam in Africa graſſabantur? Donatiſtarum porro rebaptiſmum non fuiſſe proſcriptum a Synodo Arelatenſi I. hoc ipſo intelligi poteſt; quod Donatus Caſenſis Schiſmatis author in Romano judicio *confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe; & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe; quod ab Eccleſia alienum eſt*, inquit S. Optatus Milevit. lib. 1., duo igitur crimina cum ſit convictus perpetraſſe Donatus, ſi in Synodo Arelatenſi de manus impoſitione lapſis Epiſcopis ne verbum quidem factum eſt; cur ibi de ejus rebaptiſmo canonem editum eſſe dicetur? quamquam Baronius ad ann. 314. num. 62. & 63. tradit, canonem XIII. Arelaten. contra Donatum, quod lapſis Epiſcopis manum impoſuerit, conditum fuiſſe, ſed id omnino falſum eſt. Deinde Donatiſtarum erat rebaptizare potiſſimum *Catholicos*, quos ipſi Traditores indigitabant: id autem Patres Arelatenſes recte ne dixiſſent *legem?* errorem appellaſſent, & quidem immanem; immo *immaniſſimum ſcelus* dicit S. Auguſtinus Epiſt. 203. ad Maximinum, & *diabolicæ præſumptionis* lib. de unico baptiſmo cap. 13., dixiſſentne tunc: *placuit, ut ad Eccleſiam ſi aliquis Hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum?* perſcripſiſſent ipſi: *illicitam ſancimus rebaptizationem, & ſatis eſſe alienum a ſyncera fide, & catholica diſciplina;* ut in Concilio Carthagin. ſub Grato can. 1., vel *non liceat fieri rebaptizationes*, ut in III. Concilio Carthagin. Aurelii can. 38., nec dixiſſent *Placuit;* ſed *interdicit per omnia magna Synodus;* quemadmodum loquitur Nicæna Synodus I. can. 3.

Errandi cauſam Scriptoribus, quos dixi, dediſſe mihi videtur prava, ac perturbata hujus canonis lectio apud Baronium, & Binium a Gratiano memorato mutuata, quæ eſt: *de Afris, qui propria lege ſua utuntur, ut rebaptizentur, placuit; ſi ad Eccleſiam de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes Symbolum &c.:* perinde ac ſi Afri illi eſſent Hæretici, qui venientes ad Eccleſiam a Catholicis Sacerdotibus interrogari deberent; cum reipſa lectio pura, ac germana ita habeat: *de Afris autem, quod propria ſua lege utun-*

utuntur, ut rebaptizent, placuit; ut ad Eccleſiam ſi aliquis Hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum &c., ſicut extat in Epiſtola Synodi ad Sylveſtrum Papam, unde eruti ſunt Canones, & a quibuſdam ſciolis, ac literatulis, dum corrigere volunt, depravati. Erant igitur Afri illi Catholici; quorum propriam rebaptizandorum Hæreticorum legem circumſcribens Arelatenſe Concilium ſanxit, ut Interrogarent Hæreticos ad Eccleſiam venientes, utrum Evangelica forma eſſent baptizati, nec ne. Nam quod interrogatio ab ipſis Afris fieri deberet, & ipſa Canonis vera lectio demonſtrat; & alii hujus Concilii Canones ſimilis texturæ perſuadent: ſic can. 6. *de Præſidibus autem, qui fideles ſunt,... placuit; ut cum promoti fuerint, literas quidem accipiant &c.*, can. 9. *de his, qui Confeſſorum literas afferunt, placuit; ut ſublatis eis literis accipiant communicatorias:* can. 10. *de his, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, placuit; ut.... alias accipiant:* quare ita & can. 8. *de Afris autem, quod propria ſua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit; ut... interrogent eum &c.*: & ſi Afri illi Hæreticos ad Eccleſiam venientes interrogare jubentur ſuper ſymbolo; igitur illi non erant Hæretici, neque Schiſmatici; igitur nec Donatiſtæ; ſed Catholici illi, de quibus LX. annis ante S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium teſtificatur morem Hæreticorum rebaptizandorum vendicaſſe. At extat lex 4. Honorii adverſus rebaptizantes in cod. Theodoſ., adde & legem 5. ejuſdem Codicis tit. *de Hæreticis* n. 38., qui non *Afrorum*, ſed *Donatiſtarum* nomine deſignantur. Id ita quidem eſt; ſed leges illæ contra rebaptizantes eos, qui a Catholicis jam baptizati fuerant; & ideo adverſus Donatiſtas aperte latæ ſunt; & iis illi vetantur omnino, & indiſcriminatim *baptiſma ſacroſanctum iterare;* quod nonniſi erga Catholicos, aut Schiſmaticos hoc modo licet ſancire; nam erga Hæreticos, aut cum iis, qui illos rebaptizare conantur, ea uti animadverſione oportet, quam Patres Arelatenſes docuerunt; ut interrogent eos ſuper Symbolo. Cum autem adjicitur, rebaptizandi ritum temporibus Concilii Arelatenſis neque conſuetudinem, neque legem propriam Africæ fuiſſe, inde liquere, quod initium rebaptizandi factum ſit a Donato poſt Cæciliani ordinationem: id quidem etiam permitti poteſt de initio rebaptizandi *Chriſtianos*, & *Catholicos*, ut ait S. Auguſtinus in Pſalmo,

& lib.

& lib. 1. Retract. cap. 21., quod tamen a Novatianenſibus, aliiſque Hæreticis, & Schiſmaticis hauſiſſe videtur Donatus; ſed non de initio rebaptizandi *Hæreticos*, & *Schiſmaticos;* de quibus loquitur canon VIII. Arelatenſis; cum morem illum jampridem in Africam invectum ante tempora S. Cypriani ſatis ea, quæ hucuſque dicta ſunt, declarent: & Author Anonymus libri de Baptiſmo diu poſt Cyprianum ſcripti ritum, ſeu potius quæſtionem, quam deſcribit, novam quidem, ac repentinam appellat; ſed aliam prorſus ab iſta & Cypriani, & Donati conſuetudine; eamque in Africam inductam minime dicit, ut alibi vidimus.

Ad num. III. *Ex Tractatu Anonymi adverſus Rebaptizantes* =

DE hoc Authore Anonymo *Tractatus contra Rebaptizantes* multum jam diſſerui reſpondens ad Propoſ. II. Theorem. IV., ubi perſpicuum feci, Tractatum illius Authoris parum, aut nihil ad hanc rem, controverſiamque Cypriani cum Stephano pertinere, ſed in hoc unum incumbere, ut oſtendat baptiſmum *in nomine Jeſu Chriſti* ab Hæreticis collatum non debere iterari, quo valde diſcrepat a quæſtione Cypriani cum Stephano; hæc enim de Miniſtro baptiſmi diſputabat; ille vero de forma Sacramenti baptiſmi *in nomine Jeſu Chriſti:* & inter alia etiam iſta perhibet; *niſi forte in illo quoque ſuperiore Tractatu circa eos, qui tantummodo in* NOMINE JESU CHRISTI *baptizati fuerint, ſtatuas etiam ſine Spiritu Sancto poſſe ſalvos fieri:* & paulo poſt: *dei nobis conſilium, quod aut ex integro rite baptiſma obſervare; aut forte dato a quocunque* IN NOMINE JESU *baptiſmate, ſupplere id debeamus, cuſtodita* NOMINIS JESU CHRISTI, *ſicut pleniſſime expoſuimus, ſanctiſſima invocatione; cuſtodita præterea tanti temporis, tot virorum veneranda nobis conſuetudine, & authoritate. Quoniam autem prima pars diſputationis hujus videtur explicata, etiam ſequentem ejus propter Hæreticos debemus attingere; quia perquam neceſſarium eſt eum Tractatum, qui ſemel in manus incidit, non præterire; ne forte eos, qui ſunt ſimpliciores ex fratribus, aliquis hæreticorum verſutia ſua audeat attentare. Nam quia Joannes dixit, nos baptizandos eſſe in ſpiritu, & igni.., idcirco quidam deſperati homi-*

nes

nes auſi ſunt uſquequaque pravitatem ſuam porrigere &c.: pergitque refellere hæreſim eorum, qui baptiſmum ignis neceſſarium eſſe dictabant; ut dicuntur olim fuiſſe Hermiani, & Seleuciani teſtimonio Philaſtrii; nunc vero Jacobitæ in Oriente ex Sandero, & Prateolo. Duas itaque partes cum Tractatus iſte complectatur; in prima diſputat Author de Baptiſmo adminiſtrato *in nomine Jeſu Chriſti* etiam apud Hæreticos; in altera vero de baptiſmo *ignis;* de prima ait, *quæſitum apud Fratres*; de ſecunda vero *propter Hæreticos* ſe dicit ſcribere: quare apparet, quantus ſit error eorum, qui utramque confundentes adverſus Donatum, ac Donatiſtas editam fuiſſe arbitrantur. Illud demum addere placet; quod ſi quoque Author iſte ſcripſiſſet in controverſia Cypriani, & Stephani, parum apud eruditos viros authoritas ejus polleret; tanta eſt verborum ejus, ac ſententiarum ſtribligo, & totius orationis depravatio: poſtea quænam authoritas eſſe poteſt, cujus ne ipſum quidem nomen innoteſcit?

Ad num. IV. *Ex ſtylo Epiſtolarum S. Cypriani pro Rebaptiſmo* =

SEx illas pro rebaptiſmo Epiſtolas, quæ extant inter Cyprianicas, (Concilium enim III. Cypriani Epiſtola non eſt, ſed ſententiarum collectio) vere Cypriano adjudicandas eſſe nedum ſtylus arguit; ſed & ſenſus, ſententiaque ipſa plane Cyprianica, nec non Authores doctrina, & ſanctitate omnium maximi: Et ſtylus quidem is eſt, quem nec Auguſtinus ipſe inficiari potuit; ſenſus quoque, ac ſententia de rebaptizandis Hæreticis æque lucet in his Epiſtolis, ac in Tractatu de Unitate, qui certo Cypriani eſt; quibus cum accedat approbatio Magni Baſilii, Hieronymi, & Auguſtini, id eſt maximorum luminum Eccleſiæ, immo univerſæ etiam Eccleſiæ; quæ nunquam has Epiſtolas eſſe Cypriani negavit, nunquam proſcribendas edixit; neſcio quid majus iſtis afferri poſſit ad ipſas Cypriano abjudicandas? At, inquis, characteri locutionis refragatur character perſonæ: huic ego dicto pluribus occurri tum, quum ad Axioma II. pro S. Cypriani ſententia verba feci: addoque hoc loco, ſi character Cypriani, ut putatur, fuit incredibilis, planeque ſingularis unitatis amor, ex ejus Epiſtolis commemoratis &

Digitized by Google

controverſis unam ad Pompejum explodendam fore, & inter adulterinas connumerandam, propstereaquod una hæc *periculum habuit perniciosæ diſſenſionis* ex Auguſtini teſtimonio; cæteræ nequaquam: tametſi, quo pacto ea quoque ad Pompejum Epiſtola nonnihil in Stephanum acerba ſit Cypriani dicenda, demonſtrarum eſt ante ad Propoſ. IV. Theorem. II., ad Propoſ. vero VI. ejuſdem Theorem. explicare curavi, qua de cauſa, & quomodo ſcripſerit Auguſtinus: *porro autem Cyprianus aut non ſenſit omnino... aut hoc poſtea correxit in regula veritatis &c.* Nam quod ad ſtylum attinet, nolo nunc in controverſiam veniat, utrum Donatus, vel quiſpiam alius eas literas ad Cyprianicum ſtylum compoſitas effingere valuerit: illud mihi modo ſat erit; alias probatum eſſe, eas Epiſtolas a Donatiſtis neutiquam confictas fuiſſe.

Ad num. V. *Ex illuſtri exemplo S. Columbani* =

EA, quæ de S. Columbano referuntur hoc loco, ſimilia ſunt illorum, ac ſimili de cauſa relata, atque illa, quæ producta vidimus in Argum. II. Capitis III. Diſſert. I., & quæ ibi dicta ſunt de SS. Baſilio, Hieronymo, Paulino, Hilario, & Bernardo; hic quoque non minus appoſite dici poterunt de Columbano Scoto: cujus equidem Epiſtolam ad Bonifacium Papam pejori ſentio eam laborare vitio, atque Epiſtolam Cypriani ad Pompejum; veruntamen neque eam ipſam propterea abdicandam eſſe. Inter unam, & alteram tantum intereſt; quantum inter ſtudium fidei, & ſtudium diſciplinæ: ſtudebat fidei Columbanus; Cyprianus vero diſciplinæ: in utroque deprehendimus ſummum religionis ſtudium, & ſingularem erga Cathedram Petri reverentiam, ſed utrumque videmus exiſtimaſſe, ſucceſſorem Petri a recto tramite nonnunquam deviare poſſe. Quale eſt enim, quod Columbanus Bonifacio ſcribit, quod tam facile leniri poſſit? cum iſta hæc ingerat: *nomen Dei per vos contendentes utrimque blaſphematur inter Gentes... Vigilate, quia aqua jam intravit in Eccleſiæ navem, & navis periclitatur.... cauſa ſchiſmatis incidatur, quæſo, a cultello S. Petri, idest vera in Synodo fidei confeſſione, & Hæreticorum omnium abominatione, ac anathematizatione; ut mundes Cathedram Petri ab omni errore, horrore, ſi quis eſt, ut ajunt, intromiſſus... ſi*

& vos

& vos recipitis (Hæreticos), *ut dicitur; aut ſi & ipſum Vigilium ſcitis ſic infectum defunctum fuiſſe; quare illum contra conſcientiam recitatis? omne enim, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Jam veſtra culpa eſt, ſi vos deviaſtis de vera fiducia; & primam fidem irritam feciſtis; merito veſtri juniores vobis reſiſtunt; & merito vobiſcum non communicant... verſa vice filii veſtri in caput converſi ſunt, vos vero in caudam, quod etiam dici dolor eſt, ideo & veſtri erunt judices, qui ſemper orthodoxam fidem ſervaverunt... Non enim apud nos perſona, ſed ratio valet... Nos enim toti Heberi ultimi habitatores Mundi nihil extra Evangelium, & apoſtolicam doctrinam recipientes, nullus Hæreticus, nullus Judæus, nullus Schiſmaticus fuit, ſed fides Catholica inconcuſſa tenetur:* quas expoſtulationes, & contra Romanum Clerum querelas non accepit Columbanus ab Hiſtriæ, Tuſciæque Schiſmaticis, ad quos ipſe non acceſſit; & Tuſciæ Schiſmaticos uſque ad ejus tempora perſtitiſſe non liquet; ſed a Longobardis, Liguribuſque, quos inter degens ſcribebat; a Gallis, apud quos multis annis incola fuit; & ab Hibernis, a quibus natalem diem ſuſcepit, diuque educatus fuit; hi enim omnes Quintam Synodum nec dum receperant. At Columbanus cum dubitanter, tum non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia iſta pronunciavit: ſi alteri a Romano Pontifice iſta hæc ipſe quidem ſcripſiſſet, forſan permitti poſſet; ſed cum ipſi Romano Antiſtiti verba dirigere, & ad eum literas mittere noſcatur; ſuſpicari licet, officii cauſa eum quædam declinare, & amoliri, efferreque ſecus, atque eſſent; quemadmodum Felix Papa II. al. III. Epiſt. 1. ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſe geſſiſſe videtur, modo eum redarguendo, modo officioſe loquendo, quo ipſum demulceret, ſibique demereretur. Ecquis enim erit, qui in animum inducat, S. Columbanum Orientalium, & Italicarum rerum minus peritum fuiſſe; de iiſque nihil præter auditum habuiſſe? vir etſi alienigena valde tamen doctus, & eruditus, ut indicant ejus Epiſtolæ ea potiſſime, quam dedit Romano Pontifici de celebratione Paſchatis, ubi Anatolii, & Victorii *Cyclos* adducit; alioſque a ſe confectos deſcribit; *Canonem I.* Concilii Conſtantinopolitani de Eccleſiis Barbaricis in Nationibus conſtitutis allegat; *Paſtorale* Magni Gregorii laudat; & alia doctrinæ minime vulgaris documenta perhibet.

bet. Deinde qui fieri potuit, ut ea ignoraret, quæ paulo ante in Oecumenico Concilio adeo controverſo de tribus Capitulis agitata fuerant; de quibus & quamplures ſcripſerant, & omnes ſermocinabantur; ut nihil magis in ore hominum verſaretur; nihil crebrius in colloquiis audiretur, quam quæſtio, & cauſſa de tribus Capitulis; ob quæ tam dirum, diutinumque ſchiſma regnabat; extabantque complures etiam Romanorum Pontificum Epiſtolæ, quæ circunferebantur, Pelagii I. ad Tuſciæ Epiſcopos, Pelagii II. ad Epiſcopos Hiſtriæ, & Gregorii Magni ad Epiſcopos etiam *Hiberniæ*, quibus ſignificat per V. Synodum *nihil de fide convulſum, vel aliquatenus immutatum?* Tandem nonne poterat Bonifacius ipſi reſcribere id, quod S. Cyprianus Florentio Pupiano repoſuit Epiſt. 67. *tua mente, ac voluntate ſacrilega impia contra Sacerdotem facile audis, & libenter credis?* Ais, ſe non credere ea Columbanum ſcribere; legique tantum eum dubitaſſe. Utique dubitanter dicit, ſed ita tamen ac ſi crederet: credere ſe quidem dixit, *ſemper columnam Eccleſiæ firmam eſſe in Roma;* ſed non ſemper firmos eſſe Antiſtites Romanos in rebus, ut etiam ipſe judicabat, ad fidem attinentibus: præterquamquod dubitare, an Romanus Pontifex erraverit in fide; idque ipſi per literas quoque ſignificare, genus calumniæ, conviciique creditur. Quod enim S. Gregorius Magnus Epiſt. 37. lib. 3. ad Conſtantium Mediolanen. Epiſcopum ſcribit, in Synodo V. *de Perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum* eſſe; intelligendus eſt eo plane modo, quo tradit Epiſt. 36. lib. 2. ad Epiſcopos Hiberniæ: *nam in Synodo*, inquit, *in qua de tribus Capitulis actum eſt, aperte liquet; nihil de fide convulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum; ſed ſicut ſcitis, de quibuſdam illic ſolummodo perſonis eſt actitatum; quarum una, cujus ſcripta evidenter a rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injuſte damnata eſt:* cum certo conſtet, in ea Synodo Oecumenica actum eſſe in primis de *tribus Capitulis*, nempe de Theodoro Mopſveſtano, Theodoreto Cyrenſi, & Iba Edeſſeno Epiſcopo Neſtorii fautoribus; eorumque ſcriptis; quorum Theodorus cum ſcriptis ſuis penitus eſt condemnatus; Theodoreti vero, atque Ibæ ſcripta tantum nonnulla proſcripta leguntur, & ut impia funditus eliminata; hoc autem ad fidem pertinere ſcimus: ſed quoniam Neſto-

ria-

rianum dogma jam pridem in Epheſino Concilio fuerat reprobatum; & damnatione trium Capitulorum nihil in fide novi condemnatum extitit, nihilque fidei detrimenti accidit, ſed tantummodo Perſonis; inde Gregorius Magnus Epiſt. ad Conſtantium admonet: *ſcire vos volo, quia nihil contra quatuor ſanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſenſerit* [Synodus V.], *quippe quia in ea de Perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt*: adverſus trium Capitulorum aſſertores, qui prædicabant trium Capitulorum proſcriptione lædi ſummopere Chalcedonenſis Synodi authoritatem. Obiter autem hic adverto, Magnum Gregorium ibi quædam proferre, quæ minus Actis Synodi Chalcedonenſis conveniunt, ab aliquo forte depravato codice deceptum; ait enim, in V. Synodo actum eſſe *de his Perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil continetur; ſed poſt expreſſos Canones facta contentio, & extrema actio de Perſonis ventilata eſt*; idemque repetit Epiſt. 53. lib. 7. ad Secundinum: *S. Chalcedonenſis Synodus uſque ad definitionem fidei, & prolationem Canonum de generalibus cauſis locuta eſt; nam poſt prolationem Canonum ſpecialia Epiſcoporum certamina ſopire curavit*: cum tamen de Theodoreto, ac Iba actum ſit ibi Act. 8. multo ante Canones Act. 14. al. 15. promulgatos. Quamquam igitur Columbanus de rebus fidei ſermonem miſcebat; Cyprianus vero de cauſa diſciplinæ diſceptabat; tamen peracer quidem ille, ſed monitor tantum acceſſit; iſte vero, ſi quid aſperius effudit; alteri tamen, & privatim; non publice, & ad eum, quem percellebat, ſcribens effecit.

Ad num. VI. *Ex Epiſtola LXXVII. S. Cypriani ad Martyres in metallo* =

Sicuti Pearſonius non divinat, ſed temere, & perverſe verba Epiſt. 77. Cypriani ad Martyres in metallo conſtitutos, *contra Hæreticorum injurias ſimul ſletimus*, putat explicanda eſſe de abdicato Hæreticorum baptiſmo; cum nunquam Cyprianus, & Catholici ob eam ſententiam injuriarum quidquam ab Hæreticis pertulerint: ita non nugatur; eo quod ea Cyprianus Epiſtola non alloquitur univerſam fraternitatem, Virgines quoque, ac Pueros, ſed loquitur de

de omnibus etiam Virginibus, ac Pueris, cum tamen data ſit ad quoſdam tantum, quos alloquitur, nimirum *Nemeſiano, Felici, Lucio... Coepiſcopis, item Compresbyteris, & Diaconibus, & cæteris fratribus in metallo conſtitutis Martyribus Dei:* quibus quum dixiſſet: *denique exemplum veſtrum ſecuta multiplex plebis portio confeſſa eſt vobiſcum pariter, & pariter coronata eſt... cujus numero nec Virgines deſunt... in Pueris quoque virtus major ætate annos ſuos confeſſionis laude tranſcendit; ut martyrii veſtri beatum gregem & ſexus, & ætas omnis ornaret:* paulo poſt adjecit: *ut qui hic charitatis, & pacis vinculo copulati contra Hæreticorum injurias, & preſſuras Gentilium ſimul ſtetimus &c.:* quo loco alloquitur eos, qui contra Hæreticorum injurias ſtare potuerunt; & permoleſtas Gentilium ferre preſſuras. Neque etiam aperte maledicit Cypriano Pearſonius ita conjiciendo; nam perſtiterit licet Cyprianus in ſua de Hæreticis rebaptizandis opinione uſque ad vitæ exitum, ut verum eſt; tamen illud verum non eſt, eam opinionem tum errorem fuiſſe ab univerſa Eccleſia damnatum; ut eſt jam pluribus, ac pluries demonſtratum.

Ad num. VII. *Ex lib. 5. S. Auguſtini contra Donatiſtas cap. 1.* =

SAne ſi Epiſtola ad Pompejum Cyprianica cenſenda non eſſet propter acerbitatem, & animi commotionem, quam refert; non item illa ad Jubajanum, non cæteræ de Hæreticorum baptiſmo Epiſtolæ pro Cyprianicis negari poterunt; utpote quæ nihil acrimoniæ, contumeliarum nihil contineant; & quibus nihil magis valere ad refellendos Donatiſtas, & ad eorum prorſus ora claudenda ſcripſit S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 18. At alia quoque obſtant: & iſtis quoque occurrimus; jamque de ſingulis ita tractatum eſt, ut putem ſupervacaneum de ipſis rurſus verba facere; nec aliud eſſe, niſi crambem recoquere: præſertim de ea ad Jubajanum, de qua ſatis diſſerui ad Propoſ. V. Theorem. V., & ad Propoſ. V. Theorem. VI. oſtendi, ipſam apertiſſimæ repugnantiæ minime ab Auguſtino convinci. Cæterum Auguſtino quidem muniriſſimum, ac invictum in Donatiſtas propugnaculum erat Maximianiſtarum factum ex lib. 1.

con-

contra lit. Petiliani cap. 27., monebatque Catholicos ſubinde: *hoc unum Maximianiſtarum factum tenete :* ſed cum illi probandum eſſet, *communione malorum bonos non pollui ;* quod etiam egregie firmabat illo Epiſtolæ ad Jubajanum loco lib. 5. de Baptiſmo cap. 1. relato: verum quum illis inſinuare volebat *unitatem, & pacem ;* ac ob baptiſmi controverſiam minime ſchiſma faciendum fuiſſe; & Epiſtolæ ad Jubajanum, & Concilii III. Carthagin. locis potiſſimum utebatur; ajebatque, *nihil ſic valere ad refellendos Donatiſtas, & ad eorum prorſus ora claudenda, quomodo literas, factumque Cypriani ;* & Epiſt. 93. al. 48. ad Vincent. Rogat. literas ſe Cypriani iccirco recipere ſcribit, *& quod ibi magis contra vos noſtra cauſſa demonſtratur invictior, veſtraque ſeparationis præſumptio :* quibus plane e medio ſublatis, haud parvo, ſed maximo præſidio nudatus Auguſtinus conqueri poſſet.

Ad num. VIII. *Ex præcipuo, quod per baſce literas ſummæ Romani Pontificis poteſtati in univerſam Eccleſiam affertur præſidium* =

NEmini dubium eſſe debet, quin, ſi Cyprianicæ Epiſtolæ, de quibus ſermo, & controverſia eſt, Romani Pontificis Primatum, ut putant, extollunt; ipſi quoque derogari quodammodo poſſit; quoties ipſæ ſuppoſititiæ dicantur: tanta eſt unius Cypriani antiquitas ſimul, & authoritas. Nam quod ex ipſis vel Epiſtolis lædi non parum judicetur Sedis Apoſtolicæ ſumma poteſtas ob Stephani *dogmaticum decretum* mordicus oppugnatum, & contumeliis exceptum, inquinatumque: primum id afficit ſolum Epiſtolam ad Pompejum, & Concilium III. Carthagin. poſt Stephani decretum edita, non cæteras Epiſtolas antea conſcriptas: deinde non ſemel oſtenſum eſt, decretum Stephani minime dogmaticum fuiſſe, & de re ad fidem Catholicam pertinente; ſed ad diſciplinam privatam; quodque *non definitivum* vocat Card. Brancatus Lauræanus tom. 3. de Fide Diſp. 5. art. 8., num autem ejuſmodi decreto Cyprianus obſiſtere poſſet; & quæ facta ſunt, & quæ quoque dicta, ſatis, ſuperque declarant. Non dicam ego Donatiſtas; quos tantum abeſt non eſſe auſos ſummam Romani Pontificis poteſtatem imminuere; ut S. Auguſtinus lib. 2. contra lit. Petiliani c. 51. ſcri-

ſcripſerit: *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? ... quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam?* ſed commonitorium afferam Vincentii Lirinenſis editum anno 434. pro Semipelagianorum opinione, quam tamen antea nedum S. Auguſtinus, ſed & S. Cœleſtinus Papa Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos anno 431. miſſa jam compreſſerat; cui ſcilicet Vincentius, qui in Romano Martyrologio colitur, adeo obediens fuit, ut eam Epiſtolam etiam in rem ſuam traxerit, ac ſententiæ ſuæ favere pronunciaverit. Afferre quoque poſſem, quid ad decreta Siricii, ac Leonis Magni, aliorumque Romanorum Pontificum de baptiſmo diebus dumtaxat Paſchæ, & Pentecoſtes miniſtrando factum fuerit; quid ad Synodi V. ſanctionem, ac Romanorum Antiſtirum conſtituta de tribus Capitulis actitarum; ſed iſta etiam ad not. XXVII. cap. II., & ad num. III. Propoſ. IV. Theorem. VI. videri poſſunt: quid itidem Azorius Inſtit. Moral. par. 1. lib. 5. cap. 4. q. 3. animadvertit, multas nimirum leges etiam Pontificias extare, quæ quamquam a majore Provinciarum parte uſu receptæ ſunt; quibuſdam tamen in Provinciis Catholicorum vim nullam habere; quoniam in illis non ſunt receptæ: Quare Gratianus ad diſt. 4. cap. *In iſtis* adjecit: *Leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur: ſicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt; ita moribus utentium ipſæ leges confirmantur. Unde illud Teleſphori Papæ, qui decrevit, ut generaliter Clerici a Quinquageſima a carnibus, & deliciis jejunent; quia moribus utentium approbatum non eſt, aliter agentes tranſgreſſionis reos non arguit:* ita & ad cap. *Denique Sacerdotes*. Videtur enim Cyprianus animo concepiſſe id, quod poſtmodum literis mandavit S. Hieronymus Epiſt. 87. ad Lucinium Bæticum ſcribens: *Sed ego te breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas eſſe, ut a majoribus traditæ ſunt: nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti... ſed unaquæque Provincia abundet in ſenſu ſuo; & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur:* & S. Auguſtinus Epiſt. 55. al. 119. ad Januarium: *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus; quæ quidem toto Terrarum Orbe obſervantur; dantur intelligi vel ab ipſis*

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri: ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in Cælum, & adventus de Cælo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur; & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia. Alia vero, quæ per loca Terrarum, Regioneſque variantur; ſicuti eſt, quod alii jejunent Sabbatho; alii vero non... & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt; totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur; indifferenter eſt habendum; & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt: pauloque poſt ſubjungit, eos ſibi diſplicere, *qui in rebus hujuſmodi, quæ neque Scripturæ ſanctæ authoritate, neque univerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum poſſunt terminum pervenire; tantum quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis... tam litigioſas eccitant quæſtiones; ut niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment... quid aliud ille niſi conſuetudinem ſuam conſuetudini alterius præponere conatur? ... Faciat ergo quiſque, quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit... His enim cauſis ideſt aut propter fidem, aut propter mores vel emendari oportet, quod perperam fiebat; vel inſtitui, quod non fiebat: ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat: quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt:* S. etiam Gregorius Magnus Epiſt. 75. lib. 1. ad Epiſcopos Numidiæ ſcribit: *nos conſuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil uſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedimus:* idemque fere habent & Nicolaus I. Epiſt. 2. ad Photium, & S. Leo IX. Epiſt. I. ad Michaelem Aug. cap. 29. Iraque Cyprianus, quod videret conſuetudinem rebaptizandi eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniebant, vigere in Africa tota, ac in majore Orientis, Aſiæque parte; oppoſitam Stephani ſententiam, conſuetudinemque nunquam judicare potuit *vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis* inſtitutam eſſe; ac proinde genus illud conſuetudinis liberam ita habere obſervationem cenſuit, ut ſibi, & cæteris integrum eſſet, cujuſcunque decreto ſuæ opinioni contrario non obtemperare. Quam ob cauſam nemo non dubitabit ejuſcemodi

modi Epiſtolas Donatiſtis attribuere; quæ quum diligenter excutiuntur, non ſolum Cyprianici ſtyli, ſeu ſeculi ſaporem; ſed etiam quædam continere deprehenduntur, quæ Cypriani Martyris eſſe poſſunt, non Donatiſtarum Schiſmaticorum; ut alias cumulate demonſtratum eſt: tantum a vero diſtat, ut Cyprianicæ Epiſtolæ purum, putumque errorem, ſchiſma, ingeniumque Donatianum redoleant. Et hæc ſunt demum ea, quæ ad hanc de S. Cypriani ad Pompejum Epiſtola Diſſertationem dici debuiſſe ſum arbitratus.

AD

Digitized by Google

AD DISSERTATIONEM III.

De Canonibus vulgo Apoſtolorum ad Vindicias &c.,

Et

De Papæ judicio comparate ad Concilium pro vindicando S. Auguſtino &c.

ETſi ſuaſus eſſe potes, optatiſſime Paulle, forſan & faſtiditus ſuperioribus Diſputationibus; ſatiſque ex illis intelligere quiſque valet, quæ vera, ac genuina S. Cypriani, & Firmiliani de Hæreticorum baptiſmo ſententia fuerit: tamen ne mihi quidam vel negligentiæ vertant, quod reliqua non perſequor; vel alii exprobrent, quod promiſſis non ſatisfacio omnibus; dicendum putavi etiam ad ea, quæ a Cypr. Vindice adjecta ſunt *de Canonibus Apoſtolorum, & de judicio Papæ comparate ad Concilium*, utpote illis quodammodo connexa. Ego quidem, cui tutius plane eſſet, ac minus laborioſum a ſcribendo ceſſare; quoniam vereor, ne ſi nihil de iis ſcripſerim, veritati videar quandoque defuiſſe; ſin autem omnia, quæ ſentio, perſcripſerim, ne refricem ingenia quorundam; uſque mihi temperare conſtitui, dum perducerem eo rem, quo & veritas afferta credatur; & ingenia ſua ſponte conticeant. Ut perducatur autem, ſiquidem magnæ tum diligentiæ eſt, tum etiam laboris; nec labor erit ullus, nec ullum diſcrimen, quod pro veritate vel refugiam, vel deprecer: de diligentia quoque enitar nihil remittere, nihilque non facere, quo rem propoſitam, quoad fieri poteſt, omnino conficiam. Quamquam hæc ipſa abs te, aliiſque exiſtimati malo, quam a me apertius ſcribi: tantumque commonere libet, me Diſſertationem hanc ab Authore perpetuo ſermone, ac in modum *Epiſtolæ Apologeticæ* compoſitam in duas partes, & plures numeros methodi clarioris cauſſa diviſiſſe.

 PARS I.

PARS I.

De Canonibus vulgo Apoſtolicis &c.

I. *Canones XLV. & XLVI. Apoſtolorum neque a Donatianis, aliisſve Hæreticis, neque poſt Collationem Carthaginienſem commenti ſunt, Collationique Canonum obtruſi* =

UT igitur ad id, quod eſt dicendum, veniam; Vindex Cyprianicus, quo quæſtioni ſibi per *criticam Epiſtolam* propoſitæ reſpondeat, demonſtretque, *Canones* XLV. & XLVI. Græcis, Latinis vero XLVI., & XLVII., quorum altero Hæreticorum, altero impiorum baptiſmus improbatur, in Canonum Collectionem, quæ *Apoſtolorum* dicitur, intruſos fuiſſe ab Hæreticis, iiſque præſertim Donatiſtis; multa intermiſcet, diſſeritque; quorum pleraque etiam in prioribus Diſſertationibus congeſſit. Et primum non inficiatur, apud Orientales Martyris Cypriani temporibus, & Stephani Papæ Pontificatu aliquam fuiſſe altercationem de Hæreticorum baptiſmo, ſed eam extitiſſe dicit longe aliter, atque narratur ab Euſebio: rebaptizaſſe quidem *Montaniſtas* in Oriente Philaſtrio teſte, & *Marcionitas* antea, ut apud Epiphanium eſt; ſed non Helenum, non Firmilianum, non Patres Iconienſis, & Synnadenſis Concilii: deinde *Canones* XLV., & XLVI. commemoratos, quibus Hæreticorum baptiſma reprobari videtur, Donatiſtarum fraude, ac verſutia in eam Collectionem olim *Apoſtolis* adjudicatam intruſos fuiſſe poſt Collationem Carthagine anno 411. habitam, ex eo conjicit; quod in ipſa Collatione a Donatiſtis callidiſſimis ad ſuum errorem confirmandum neutiquam fuerint uſurpati. De quibus quidem, & ad quæ dictum eſt alias, & pluries etiam; ac modo de *Canonibus* ajo, nullam eſſe cauſſam, quin illi duo extare potuerint; etiamſi ante tempora Donatiſtarum de Hæreticorum baptiſmo inter Catholicos nuſquam fuerit altercatio: non enim Canones ſemper conduntur ob contentiones exortas, ſed interdum ob contentiones, quæ exoriri poſſent: Quæſtionem vero priſcorum Orientalium, Afrorumque eam ipſam omnino fuiſſe, quam exponit injuria ſuſpectus Euſebius;

bius; Hæreticorum nempe quoruncunque, ac generatim baptiſma irritum, nullumque exiſtimandum; Hæreticos ut ipſos nullam habere baptiſmatis adminiſtrandi poteſtatem, Sacramentorumque Chriſti miniſtros eſſe non poſſe; ac controverſiam eam demum de Miniſtro, non de forma baptiſmi fuiſſe: idque palam teſtificari SS. Dionyſium Alexandrinum, Baſilium Magnum, Hieronymum, & Auguſtinum omnium in Eccleſia maximos; qui quum de Hæreticis utcunque, ac generaliter loquantur; ſi quis eſt, qui putet, eos de nonnullis tantum Hæreticis Montaniſtis iis, aut Pauliniſtis interpretandos eſſe; locutoſque velit de illis ſpeciatim, non de Hæreticis univerſaliter; reſpondeat oportet, cur non hoc ipſo modo interpretatus ſit etiam Canones 45. & 46. de quibuſdam videlicet Hæreticis, non vero de omnibus? Porro quod *Marcion* rebaptizaret, non eſt ad rem iſtam, de qua tractatur: alius enim erat Marcionis rebaptiſmus; alius vero ille, de quo Canones Apoſtolorum agunt, & de quo præſens diſputatio inſtituta eſt: ille rebaptizabat ſuos, quos criminis labe pollutos bis, terque reperiſſet; Canones autem decernunt rebaptizandos alienos, & qui apud Hæreticos jam aqua tincti fuerant: illum Marcionis rebaptiſmum univerſa Eccleſia Catholica ſemper abominata eſt; iſtum vero Canonum diu inter adiaphora fuiſſe legimus. Diverſi generis quoque fuerunt rebaptizationes *Ebionitarum*, & *Cerinthianorum*, quorum illi etiam in die pluries; iſti pro ſuis ſine baptiſmo vita defunctis rebaptizabantur, uti memoriæ prodidit S. Epiphanius hær. 28. & 30., *Abiſſini* vero in Æthiopia, ſi vera nobis narrant, qui de ipſis ſcripſerunt, quotannis in die Epiphaniæ baptiſmum iterare dicuntur ob memoriam Chriſti: quæ ſane baptiſmi repetitiones ab univerſa Eccleſia Romana, atque Catholica ſemper alienæ fuerunt, & ſemper deteſtatæ. Sed *Novatianenſes* rebaptizaſſe modo, quo & *Donatiani*, eos nimirum omnes, qui extra eorum ſectam eſſent, ſcriptis tradidit Hilarius ille author Commentarii in Epiſtolas Pauli S. Ambroſio olim adjudicati in cap. 1. Epiſt. 1. ad Corinth., S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 6., & Theodoretus lib. 3. Hæret. Fabul., ubi inter alios ipſorum errores & hoc recenſet *rebaptizaſſe Catholicos;* ut omittam S. Cypriani ad Jubajanum Epiſtolam 73. *Canones* autem 45. & 46. Apoſtolorum tam falſum eſt, obtruſos fuiſſe

Col-

Collectioni Canonum a Donatiſtis, vel aliis Hæreticis; quam quod id factum ſit poſt Collationem Carthaginienſem: ſemel enim ac oſtenſum eſt, morem, conſuetudinemque Hæreticorum rebaptizandorum viguiſſe in Oriente ſeculo Eccleſiæ III., & IV. tum apud Catholicos, tum apud Hæreticos; non video, cur Canones 45. & 46. ſint potius his aſcribendi, quam illis; qui pro ſuis eos ſemper agnoverunt, & cæteros Collectionis Canones condiderunt, idque ante Concilium Nicænum, ortumque hæreſis Donatianæ? Si quidem Canones Apoſtolorum pars ultima dicuntur eſſe, ſeu clauſula libri VIII. Conſtitutionum Apoſtolicarum, ut eſt apud Photium in Bibliotheca cod. 113., ubi de Clemente Romano agitur; & ut adnotavit Franciſcus Turrianus, & alii ex antiquis MſſI. codicibus; id quod etiam elici puto ex can. 28. græco: *ſi quis Epiſcopus per pecunias &c., exſcindatur ut Simon Magus a me Petro:* quæ locutio eſt Authori Conſtitutionum Apoſtolicarum uſitata: hæ vero Conſtitutiones referuntur non ſolum a SS. Athanaſio, Epiphanio, & Joanne Chryſoſtomo, ſed etiam ab Euſebio in Hiſtoria ante Nicænam Synodum conſcripta: tametſi nonnulli, levi tamen de cauſa, ut infra videbitur, in dubium vocant; an, quæ modo extant, Conſtitutiones ſint illæ ipſæ a prædictis Scriptoribus commemoratæ. Cæterum quod in Collatione Carthaginienſi nulla horum Canonum ſit facta mentio; contigit ob ea, quæ antea indicavi; nimirum & quod in ea Donatiſtæ quæſtionem de rebaptiſmo refugerent; & quod multis Græcorum Operibus Africa careret: propterea Lactantius Firmianus lib. 5. Divin. Inſtitut. cap. 1. eos recenſens, qui contra Gentes pro Religione Chriſtiana ſcripſerunt, Latinos tantum memorat Minutium Felicem, Tertullianum, & Cyprianum; non Græcos Juſtinum Martyrem, Melitonem Sardenſem, Tatianum Syrum, Quadratum, Ariſtidem, & Athenagoram Athenienſes, Apollinarem Hierapolitanum, & Clementem Alexandrinum: & S. Auguſtinus Epiſt. 8. ad S. Hieronymum ſcribit: *Petimus ergo, & nobiſcum petit omnis Africanarum Eccleſiarum ſtudioſa ſocietas, ut interpretandis eorum libris, qui Græce ſcripturas noſtras quam optime tractaverunt, curam, atque operam impendere non graveris: potes enim efficere, ut nos quoque habeamus illos tales viros &c.:* quippe quod lateat, num eo tempore latinum in ſermonem ex

Con-

Digitized by Google

Conſtitutiones, & Canones converſi eſſent; & num adhuc in Africam perlati: tum quod ſi quoque exraſſent ibi; non magnæ, ſed dubiæ fuiſſent authoritatis; quando apud ipſos Græcos varlæ, ac incertæ noſcuntur fuiſſe exiſtimationis, & poteſtatis; ut mox conſtabit. Extabant igitur hi Canones, vel certe extare poterant initio ſchiſmatis Donatiſtarum, etiamſi ab iſtis nunquam pro ſua cauſa fuerint producti; nec eſt, quod quis ex eo conjicere velit, eos ab illis ipſis confictos fuiſſe.

II. *Prius apud Græcos extiterunt, & ante Nicænum Concilium, quam in Latinorum notitiam devenerint Apoſtolorum Canones* =

NOn Dallæus tantum, ſed quotquot iſta ſedulo revolvunt, & candide nobis ediſſerunt, iſtud hoc affirmabunt; *Apoſtolorum Canones* prius apud Græcos evulgatos fuiſſe, quam in Latinorum notitiam devenerint; cum a Græcis ſeculo IV., a Latinis vero ſeculo exeunte V. commemorati legantur. Neque huic refragatur, quod decretum Gelaſianum de Libris recipiendis, & rejiciendis; in quo Romanus Pontifex hos Canones adducit, improbatque; quibuſdam in Codicibus Damaſo Papæ aſcribatur; nam idem decretum a multo pluribus codicibus adjudicatur Gelaſio, atque etiam Hormiſdæ; quorum inſuper nonnulli Canones ipſos non habent, uti codices Juſtelli, & Fontanini. At id quomodocunque ſe habeat; illud nobis cum ex Dionyſio Exiguo conſtet, ante ſuam e Græco Canonum verſionem aliam extaſſe latinam e Græco translationem; perſpicuum eſt quoque, initio Græce primum extitiſſe Canones, & a Græcis ad Latinos traductos, quoniam parum veriſimile videtur, ſi a Latinis, & pro Latinis conditi, collectique fuiſſent, eos Græco ſermone conſcriptos fuiſſe. Et ſane eam Canonum Collectionem ante Concilium Nicænum extitiſſe, facile deducitur ex ejuſdem Collectionis canone I., qui eſt: *Epiſcopus a duobus, vel tribus ordinetur:* canon vero IV. Nicænus habet: *Epiſcopum oportere ab omnibus, qui ſunt in Provincia conſtitui; & ſi hoc difficile fuerit... tres omnino ordinationem* facere debere, conſentientibus etiam abſentibus: quis autem ſibi perſuaſerit, poſt tam dilucidum Nicænæ Synodi

nodi decretum fuiſſe, qui aut uſurparet, aut canonem ab illo diverſum conderet, vel conditum colligeret, omiſſo eo, qui ubique utpote Concilii Oecumenici ſervari debebat? id quod itidem probat, eam collectionem factam etiam ante Arelatenſe Concilium I., cum hujus canon XX. ſtatuat, ne quis præſumat *Epiſcopos ordinare, niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis: ſi tamen non potuerit ſeptem, infra tres non audeat ordinare*. Quod enim Canones illi dicti ſint *Apoſtolorum*, non eſt magno argumento, creditos fuiſſe ab Apoſtolica Sede potius, quam a Græca aliqua Eccleſia proficiſci; perinde atque Roma ſola extiterit Apoſtolica Sedes, & non etiam Antiochia, Alexandria, Hieroſolyma, Epheſus, Theſſalonica, aliæque apud Græcos, & Orientales: verum Apoſtolorum Canones nuncupati ſunt, eo quod ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus ſint ordinati, & in Eccleſiis Apoſtolicis, ſeu ab Apoſtolis in Oriente fundatis recepti, ac uſurpati. Quocirca Joannes XIX. Papa Epiſt. 1. ad Jordanem Lemovicenſem, cæteroſque Galliarum Antiſtites de S. Martiali Galliarum Apoſtolo, poſtquam retulit præter XII. Chriſti Apoſtolos alios etiam nomen Apoſtoli meruiſſe, aſcribit: *Romani Pontifices quia vice Apoſtoli funguntur, Apoſtolici nominantur: cum igitur Apoſtoli nomen non ſit numeri, ſed ſuffragii; quicunque revelante Deo ad prædicandum mittitur, & ſua pia exhortatione, & exemplo commiſſum ſibi divinitus populum a poteſtate Diaboli liberat, non incongrue Apoſtolus dici poteſt, quia Apoſtolus miſſus dicitur:* S. etiam Gaudentius Epiſcopus Brixien. ſerm. 5. & 16. *Sacerdotes Apoſtolicos*, & *Apoſtolicos viros* appellat Epiſcopos, & S. Paulinus Nolanus in Epithalamio Juliani, & Jæ hanc ob nuptias cum Juliano contractas vocat *gentis Apoſtolicæ filiam factam*, ideo quod Julianus filius eſſet Memoris Epiſcopi; nec alia de cauſa *Canones Gangrenſes* Symmachus Papa in VI. ſua Synodo Romana pronunciavit *Apoſtolica authoritate conditos*, quam quod ab Epiſcopis editi fuiſſent, & ab Eccleſiis Apoſtolicis recepti, non autem quod authoritate Romani Pontificis promulgati fuerint, ut arbitratus eſt Baronius ad ann. 361. num. 44. Porro Canones vulgo Apoſtolorum in Actis Concilii Nicæni dicuntur vel *Canones* tantum, ut canone I., quo laudatur *canon*, qui eſt can. 20. al. 21. Apoſtolorum; canone 5., quo 12. al. 13., canone

none 15., quo 13. al. 14., & canone 17., quo 43., al 44. canon Apoſtolorum innuitur; vel *Canones Eccleſiaſtici*, ut canone 2. Nicæno, quo memoratur ille, qui eſt 79., & canone 16., quo 14. & 15., al. 15. & 16. Collectionis Apoſtolorum; Alexander etiam Epiſcopus Alexandrinus in Epiſtola ad cognominem ſuum de Ariana hæreſi ante Nicænam Synodum data nominat *Canonem Apoſtolicum*, qui eſt 31. al. 33. Collectionis prædictæ; & Conſtantinus Magnus & ipſe ante Nicænum Conventum ad Euſebium Cæſarienſem Cathedram Antiochenam recuſantem ſcribens *Eccleſiæ Canonem, & Apoſtolicum Eccleſiæ Canonem* producit, qui eſt 13. al. 14. Canon Apoſtolorum, *Canones* etiam tantum dicit Magnus Baſilius Epiſt. 1. ad Amphilochium can. 3., & 12., ubi innuuntur Canones 12., & 24. Apoſtolorum. Id enim, quod Dallæus in Opuſc. de Pſeudepigraphis Apoſtolicis, aliique poſt eum tradunt, eam collectionem ex multis Nicænis, Antiochenis, Epheſiniſque Canonibus refertam eſſe; vellem nobis probaſſent: ſiquidem cum Nicæni, dictorumque Conciliorum Patres adducant Canones Eccleſiaſticos, & Apoſtolicos, quos jam vidimus ad Collectionem Canonum Apoſtolorum pertinere; quis non videt, illos potius ex iſtis, quam hos ex illis eſſe deſumptos; & Apoſtolicos, ſeu Eccleſiaſticos ante Nicænos, alioſque extitiſſe? *Clementi* vero Papæ ii Canones a nonnullis attributi leguntur, iccirco forſitan quod hic interdum confundi potuit cum Clemente Alexandrino; apud quem aliqua reperiri dicuntur, quæ etiam in Conſtitutionibus Apoſtolicis extent; quemque ferunt Euſebius in Hiſtoria, S. Hieronymus in Scriptor. Eccleſ., & Photius in Bibliotheca *Canones Eccleſiaſticos* edidiſſe, vel collegiſſe: ſeu etiam aliquis nomine *Clemens* Collectionem illam Canonum cum Conſtitutionibus Apoſtolicis potuit adornaſſe, dictam propterea *Clementinam doctrinam*, & a quibuſdam creditam Clementis Romani Antiſtitis utpote Apoſtolorum diſcipuli: quemadmodum Opuſcula Sexti Philoſophi ſunt a Ruffino Aquilejenſi putata eſſe Sixti Papæ Romani, ejuſque nomine Hieronymo ridente divulgata. Similiter quod ante ſeculum integrum quam in Eccleſia Occidentali, horum Canonum mentio in Orientali facta ſit; in cauſſa non fuit turbulentum, ac mobile, novarumque rerum cupidum Græcorum ingenium; quoniam toto ſeculo Eccle-

ſiæ IV. in magna illa tot hæreſum Arianorum, Semiarianorum, Eudoxianorum, Pneumatomachorum, Anomæorum, Photinianorum, & Apollinariſtarum colluvione non ea, quæ diſciplinæ eſſent, ſed quæ dogmatis, ventilata fuerunt: & ſi qui extiterunt, qui primigeniam Eccleſiæ diſciplinam movere ſint niſi; hi quocunque ſeculo primo etiam, & ſecundo, tertioque tumultuarunt, compreſſique ſunt Canonibus illis Eccleſiaſticis, quos vidimus in Nicænis commemorari: & ſi, quod ſeculo V. apud Occidentales cœperint nominari Canones Apoſtolorum, in cauſſa ſtatui nequit fuiſſe turbulentum Latinorum ingenium; neque de Græcis id puto ſtatuendum eſſe.

III. *Celebre Decretum de Libris recipiendis, rejiciendiſque diverſis adjudicatum Pontificibus. Varia de his Canonibus Iſidori Mercatoris authoritas examinatur* =

Eſt quidem *Decretum* de Libris recipiendis, & rejiciendis & Damaſo, & Gelaſio, & etiam Hormiſdæ Papæ juxta varios codices Mſſ. attributum; pluribuſque Gelaſio adjudicatur a Pagio ad ann. 494., non ita tamen, quin aliquid additamenti ab Hormiſda ipſi factum affirmari queat: ſicut nec etiam Damaſo abjudicari omnino poteſt ex eo, quod multa ſunt in Decreto, quæ poſt Damaſum conſcripta fuerunt; cum hæc addi Decreto quiverint a Gelaſio, vel ab aliis; & forſan Hincmarus Rhemenſis Antiſtes Opuſc. 53. c. 24. hujus Decreti talem ſine additamento codicem habuit, quales habuere Juſtellus, & Fontaninus, in quibus ea *Canonum Apoſtolorum* Collectio deſideratur: Verum enimvero utcunque ſe res habeat, non prorſus ex decreto Gelaſiano pendet, quo ſeculo Canonum Apoſtolorum collectio Latinis innotuerit; ſed ex Canonum Collectione Dionyſii Exigui ante ſeculum VI., ut paulopoſt oſtendam, facta; qui in Epiſtola ad Stephanum Epiſcopum circa tempora Gelaſii Papæ ſcripta, & ſuæ elucubrationi præfixa ſignificat, ſe Collectioneam eam e Græco in Latinum ſermonem convertiſſe hortatu etiam *Laurentii confuſione priſcæ translationis*, ut putabat, *offenſi:* quapropter ſi ante Dionyſii verſionem jam extabat vetus alia translatio, manifeſtum eſt, multo ante ſeculum VI. eos Canones Latinis notos fuiſſe; ſed quo tempore,

pore, & an ſedente Damaſo Papa Latini eos haberent, adhuc incompertum: vetus ſane Canonum Collectio Græca, quæ & quinquaginta Canones Apoſtolorum complectebatur, teſtimonio prædicti Dionyſii deſinebat in Canonibus Concilii Chalcedonenſis; verumtamen aliunde ii Canones innoteſcere Latio potuerunt ex operibus vel Euſebii, Athanaſii, ac Epiphanii. Cætero ſi Canonum Apoſtolorum mentio in Gelaſiano Decreto non extaret, authoritas Iſidori apud Gratianum diſt. 16. cap. 1. *Canones qui* nequaquam oſtenderet, & Collectionem eam ante Dionyſium Eccleſiæ Romanæ innotuiſſe; & neque ab Apoſtolis, neque ab Orientalibus Conciliis fuiſſe confectam: primum quia authoritas illa, qua *Canones Apoſtolorum* dicuntur nec a *Sede Apoſtolica* recepti, nec a *SS. Patribus* approbati, ſed *ab Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti*, non eſt magni illius Hiſpalenſis Epiſcopi S. Iſidori, ſed Iſidori Mercatoris malarum mercium exportatione notiſſimi in ea præfatione ſuæ Conciliorum Collectioni præmiſſa, quæ ex Bibliotheca Toletanæ Eccleſiæ deſcripta Romam tranſmiſſa fuit, ut Romani emendatores Gratiani adnotarunt: in vulgata vero ejuſdem Iſidori Mercatoris præfatione ex codice omnium antiquiſſimo, teſte Baronio ad annum 102. num. 11., oppoſitum habetur; quod affert & Gratianus ibi diſt. 16. cap. 4. *Placuit huic*, ubi Iſidorus ait: *Propter eorum auctoritatem cæteris Conciliis præponimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licet a quibuſdam apocryphi dicantur; quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum ſententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas poſuerunt Conſtitutiones:* utrumque enim codicem nactus Gratianus exſcripſit, & in ſuam Decretorum Collectionem retulit; ſed Baronius probe cenſuit, priorem codicem falſatum fuiſſe, & poſteriorem retinendum eſſe. Deinde cujuſvis Iſidori ſit caput illud *Canones qui;* non ex eo elicitur, Canonum Apoſtolorum Collectionem ante Dionyſium Exiguum Eccleſiæ Occidentali, Romanæque innotuiſſe; nam etſi habeat, Canones eos a Sede Apoſtolica, ac SS. Patribus rejectos fuiſſe; non tamen quo Romano Pontifice factum prodit utrum Damaſo, vel Gelaſio; cum id fieri potuerit etiam ab Hormiſda Papa in Additamento, ut quidam arbitrantur: cumque incertum ſit, quo tempore Dionyſius novam Canonum interpretationem adornaverit,

an ante Gelaſii Pontificatum, vel ſedente eo, & poſt ejus memoratum Decretum; ſit, ut authoritas illa Iſidori, etiamſi intelligenda foret de Gelaſiano Decreto, minime probaret hanc Canonum Collectionem ante Dionyſium Romanæ Eccleſiæ notam fuiſſe; niſi demonſtretur, decretum illud a Damaſo Papa conditum probari. Sicut nec ea Iſidori authoritate pervelli poteſt vulgata illa opinio, qua Canones vulgo Apoſtolorum ab Orientalibus Conciliis compoſiti dicuntur: quamquam enim in ea aſſeruntur remoti ab *auctoritate Apoſtolica*, *atque Canonica*, quin & *ab Hæreticis compoſiti*; tamen non ab *authoritate Eccleſiaſtica* penitus remoti affirmantur ita, ut in Eccleſiis nullo modo haberentur: etſi non uti Divini, & Apoſtolici, veteris, ac novi teſtamenti Libri magni fierent, eſſent nihilominus ea exiſtimatione, qua regulæ ab Epiſcopis traditæ, & in diverſis Eccleſiis uſitatæ; ab Hæreticis licet fuiſſent conſcripti ſecundum quorundam criticorum placitum, qui, ut Pagius ad ann. 314. num. 25., de Laodiceno Concilio obſervant; mirum non eſſe, Concilium ab Hæreticis coactum codicis Canonum univerſæ Eccleſiæ partem conſtituere; cum ab Eccleſia receptum fuerit, velut quod ejus moribus, ac legibus contrarium nihil continet; id quod etiam de Concilio Gangrenſi ab Euſebianis habito dici poſſet. Sed quoquo modo illud ſe habeat; jam dictum eſt, caput illud Iſidori, vel Iſidoro affixum *Canones qui* ſpurium eſſe, ac depravatum, prorſuſque falſum: & quidem quo pacto potuit Iſidorus, quicunque fuit ille, Canones Apoſtolorum aſſerere non recipi ab Apoſtolica Sede, ab Hæreticis eſſe compoſitos, & a SS. Patribus aſſenſum illis non præberi? & ſi unquam aſſeruiſſet, quanti faciendus eſſet? ſi jam in Hiſpania ipſa fuerat recepta Dionyſiana Collectio eos Canones in primis exhibens, ut liquet ex 1. al. 2. Bracarenſi Concilio anno 560. congregato, in quo recitata eſt, atque recepta *Apoſtolicæ Sedis Epiſtola*, nempe Vigilii Papæ ad Profuturum Bracaren. Epiſcopum data anno 538., qua præ reliquis proponit obſervandos 49. & 50. *Canones Apoſtolorum* Dionyſianæ verſionis; nec non ex Martini Bracarenſis Collectione Canonum anno circiter 570. vulgata, in qua num. 26. ipſe refert *Canonem* 18. *Apoſtolorum*; ut omittam Eccleſiam Romanam, quæ Caſſiodori teſtimonio Dionyſianam Collectionem *uſu celeberrimo* complecteba-

ſtebatur. Ex quibus etiam apparet, quam falſus ſit Natalis Alexander, dum ſec. 1. differt. 18. Propoſ. 2. tradit & Martinum Bracaren. non meminiſſe, vel uſurpaſſe Canones Apoſtolicos; & iſtis in Regionibus ſeculo VI. eoſdem Canones non extitiſſe, aut minime adhibitos fuiſſe. Quantum igitur falſum eſt, *Sinveſſanum* Concilium a Donatiſtis eſſe confictum, ut alibi demonſtravi; tantum a vero diſtat, canones 45. & 46. Apoſtolorum ab Hæreticis præſertim Donatiſtis excogitatos, totique Occidenti obtruſos fuiſſe.

IV. *Cum Græcis nullum unquam Donatiſtis commercium fuit, & nulla ſocietas* =

CUm Græcis porro nedum non magnum, ſed nec ullum unquam Donatiſtis fuiſſe commercium, affeverare non dubito: illud quidem tentatum fuerat tempore Concilii Sardicenſis ab Euſebianis, ſeu Semiarianis in Conciliabulo Philippopolitano anno 347., ut etiam ex S. Auguſtino notavit Baronius ad eum annum num. 71., ſed res ſucceſſu caruit, Donatiſtis mortales omnes præter ſuos abominantibus; dictumque eſt ad num. XIX. cap. I. Differt. I., quomodo ſenſerit S. Auguſtinus de Arianorum cum Donatiſtis commercio: quod ipſum ſane nullum penitus fuiſſe, ex hoc etiam elucet; quod apud Græcos, & Orientales Scriptores illo ſeculo multos, & magnos, ac diligentes rerum Eccleſiaſticarum veſtigatores de eo commercio, atque amicitia ne verbum quidem legitur; ſed nec ulla Schiſmatis Donatiani mentio, ſi unum excipias Epiphanium de hæreſi Catharorum, parciſſime tamen: Qua de cauſa & Auguſtinus ipſe dubitavit, an unquam cœperit illa conjunctio, ac ſocietas; dum lib. 3. contra Creſcon. cap. 34. inquit: *Deo gratias, quod nec valuit, ſi tamen cœpta eſt illa conſpiratio hæreticorum Orientalium cum Afris hæreticis, prævalere.* Quare tametſi Canones illi duo de Hæreticorum baptiſmo extaſſent in Græca Sylloge ante Collationem Carthaginienſem; non tamen ex eo argumentari licet, minus veriſimile videri, ab Arianis mature non fuiſſe Donatiſtis communicatos; quo opportunas, & utiles fœderatis ſuis ſuppetias ferrent; quandoquidem nullum inter eos intercedebat fœdus, nec intercedere poterat; ſcripſerat enim Donatus, ut refert S. Augu-

ſtinus

ſtinus lib. 1. Retract. cap. 21., Epiſtolam, in qua agebat, *nonniſi in ejus communione baptiſma Chriſti eſſe;* ejuſque aſſeclæ jactabant, *Eccleſiam Chriſti propter crimina Cæciliani de toto terrarum Orbe periiſſe; ubi futura promiſſa eſt, atque in Africana Donati parte remanſiſſe; in aliis terrarum partibus quaſi contagione communionis extinctam*, teſtificatione ejuſdem Auguſtini lib. de Hæreſ. cap. 79., idque quoniam prædicabant *communione malorum bonos pollui;* ut aſſeruit Faſtidioſus Arianus apud S. Fulgentium Epiſt. 9. Quibus ex rebus elucet, Donatiſtas neque Catholicis, neque Arianis, aliiſque Hæreticis, Schiſmaticiſve unquam communicare voluiſſe. Poſtea & ſi quoque fœderis nonnihil Ariani cum Donatiſtis iciſſent; quomodo Canones illos veluti utiles fœderatis præbere potuiſſent; ſi illi de *Hæreticis* agebant; Donatiſtæ vero Hæreticum nullum agnoſcebant, ſed omnes, quotquot eſſent, præter ſe ipſos pro non Chriſtianis habebant, vocabantque *Paganos?* Qua in re S. Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmen. num. 11. de iiſdem ſcribit: *hominibus Chriſtianis etiam Clericis dicitis: eſtote Chriſtiani... adhuc Paganus, adhuc Pagana?* & Claudianus Epiſcopus Donatiſta *Paganos fuiſſe vel præteriti temporis Epiſcopos, vel præſentis* dicebat in Epiſt. Epiſcoporum Italiæ ad Gratianum, & Valentinianum Imperatores; S. vero Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 9. tradit, eos *in hæreditate Chriſti toto Orbe diffuſa* contendiſſe *non eſſe Chriſtianos;* ac dixiſſe lib. 2. de Baptiſmo cap. 7., uti & Epiſt. 35. *bonus homo eſſes, ſi non eſſes traditor: conſule animæ tuæ; eſto Chriſtianus.* Quantum autem ad veterem Orientis diſciplinam Conciliorum Iconienſis, & Synnadenſis, ad quam merito eruditiſſimus quiſque provocare poteſt, ea ſane fuit, quam non Euſebius, ſed S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus illius temporis, ac diſciplinæ ſcriptor apud Euſebium perhibet: is autem edocet fuiſſe, Hæreticorum quorumcunque, & indiſcriminatim baptiſma rejiciendum eſſe, utpote nullum; non vero de ſolo Cataphrygum, aut Paulianorum lavacro reſpuendo; ut jam oſtendi ad num. XV. cap. I. Diſſert. I.

V. *Obje-*

Digitized by Google

V. *Objectionibus Epiſtolæ criticæ haud ſatis factum eſſe demonſtratur* =

Ad id vero, quod Author *Epiſtolæ criticæ* ſcite animadvertit, & officioſe objecit, prædictos Canones uti qui diſciplinam, doctrinamque inducerent contrarias ei, quæ per Orientis Regiones ſemper obtinuiſſet, difficillime ita obtrudi potuiſſe, ut Græcorum nemo fraudem detegeret, nemo reclamaret; non video ſatis reſponſum eſſe; id magis confirmare nondum in illorum Canonum album duos iſtos fuiſſe relatos: cum id probet, eoſdem nunquam in albo illo ſcriptos fuiſſe; quandoquidem conſtat, nunquam Græcos fraudem detexiſſe, & nunquam reclamaſſe. Ad alteram quoque obſervationem, ſimul & objectionem, quod ſit veriſimilius, præmemoratos Canones iccirco in ea Collectione vel ab initio toleratos, quod eam diſciplinam exprimerent, quæ alicubi in Oriente olim fuerat obſervata; dicere, conjecturam hanc fieri vetare in Oriente Nicænum, & Conſtantinopolitanum I. Concilia; rectæ rationi minus conſentaneum eſſe videtur, quin & a vero prorſus alienum: in Nicæno enim, ut alias oſtenſum eſt, conſtitutum fuit de uno Paulianiſtarum baptiſmo, non de baptiſmo Hæreticorum generatim; ſeu de forma, aut materia, non de Miniſtro baptiſmi, ut in binis Canonibus Apoſtolicis; quapropter cauſa nulla fuit, ob quam Nicænum, cum de baptiſmo Paulianorum ageret, Canones illos adducere, & exponere de corrupta Evangelica forma deberet. Et ſane annon Trullana, ſeu *Penteſte* in Synodo vulgo Quiniſexta Conſtantinopolitana exeunte ſeculo VII. celebrata, quando jampridem ii Canones apud Græcos, & Latinos celeberrimo uſu ferebantur; editus eſt canon XCV. de Hæreticorum baptiſmo, ſeu de modo recipiendi Hæreticos ad Eccleſiam venientes ad verbum fere idem, atque VII. ille canon, qui Conſtantinopolitano I. adjudicatur; & tamen in ea Canones illi duo nequaquam ſunt commemorati ſpeciatim, ſed generatim ſolum canone II., neque de corrupta Evangelica forma explicati fuerunt; etſi canone XCV. proſcribitur præ cæteris Paulianiſtarum baptiſma? id quod etiam de Conſtantinopolitano I. Concilio dici poſſet; niſi alio loco demonſtratum eſſet, nihil ibi de baptiſmo Hæreticorum fuiſſe ſancitum. Sed quod in alio Conſtantinopoli anno

anno 394. convocato Concilio legamus judicatum eſse *ex canonibus Apoſtolicis;* non indicatur canon 73. Apoſtolorum, quamquam id judicium factum eſt ſecundum canonem illum; verum innuitur in eo Eccleſiaſtico cœtu judicatum fuiſse juxta regulas Eccleſiaſticas, quæ interdum & nomine canonum Apoſtolicorum veniebant; quæque vel omnibus, vel aliquibus Eccleſiis probari cernebantur: propterquod ibi non dicitur judicatum eſse *ex canone Apoſtolico*, quo innueretur canon 73. prædictæ Collectionis, ſed *ex canonibus Apoſtolicis:* quo etiam modo Anaſtaſius, ſeu Author Libri Pontificalis in Vita Bonifacii II. ſcribit, eum, cum in Romana Synodo ſibi ſucceſsorem ordinaſset Vigilium Diaconum ſuum, alia in Synodo declaraſse Conſtitutum illud irritum, & *contra canones* factum; quod & repetit in Vita Agapiti Papæ; id autem ſignificare videtur canonem 75. Apoſtolorum, & can. 23. Antiochenum; quod tamen vix credere poſsum, canones illos videlicet tantam vim habuiſse Romæ, ut conſtitutum Summi Pontificis labefactare valerent. Quo quidem Conſtantinopolitanæ Synodi loco ſi libet, plane licere non puto, obſervare ibi *primam* canonum Apoſtolicorum Collectionis mentionem factam fuiſse, ut opinatus eſt Tillemontius; cum multo ante ſi non Tertullianus adverſus Praxeam ſcripſit, *canones Apoſtolorum eſſe nobis per manus traditos*, ut nonnulli volunt, tamen non diſſimilia illi S. Athanaſius Epiſt. ad Orthodoxos dixerit: *non nupera, aut novitia res eſt canonum Eccleſiaſticorum inſtitutio, ſed a primis uſque temporibus per manus tradita eſt, & fundata in Eccleſiis:* & Julius Papa I. Epiſt. ad Orientales pro eodem Athanaſio adduxerit *canones Apoſtolorum*, juxta quos Eccleſias regi exoptarit; qui & antea dixerat: *in rebus enim Eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiæ, ſed canones Apoſtolici requiruntur:* & poſtea de Euſebianis, qui Gregorium in locum S. Athanaſii Alexandrini Eccleſiæ Epiſcopum conſtituerant *præter canonem Eccleſiaſticum* utpote hominem peregrinum neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque a Præsbyteris poſtulatum, conqueſtus *nequaquam ex illis, qui nunc Apoſtolorum canones violant*, illum aſsumi debuiſse: Eccleſiaſticos enim canones vocat S. Athanaſius, quos Julius P. dicit canones Apoſtolorum in eadem cauſsa ſcribentes: ubi ſi quis contenderet, aliud ibi vel Tertullianum, vel Athanaſium,

naſium, & Julium indicare, atque Collectionem Canonum, de qua modo diſputatur; non multum repugno; ſed illud quoque aſſerere non ambigam; aliud pariter in memorato judicio, ſeu Conventu Conſtantinopolitano innui, quam *Collectionem* 85. Canonum Apoſtolorum primum a Jo: Scholaſtico alias Antiocheno ſeculo VI. publicatam, cujus 73. locum occupat canon ille, juxta quem ibi judicatum fuit: qui quidem canon continetur & in eo canone VI., qui aſcribitur Concilio Conſtantinopolitano I. anno 381. celebrato; & quo decernitur, Epiſcopum reum accuſari primum apud Epiſcopos ſuæ Provinciæ, deinde apud majorem Synodum Diœceſis illorum Epiſcoporum, & qui ita agere contempſerit, cenſeatur *Canonibus* injuriam feciſſe: porro canon ille VI. laudatur a Nicolao I. Epiſt. 8. ad Michaelem Auguſtum. Ex quibus perperam utique facit, qui affirmat, duos illos canones XLV. & XLVI. in album canonum Apoſtolorum ante Donatianam hæreſim obrepſiſſe; ſed in eo albo ſcriptos fuiſſe ante Donatianam hæreſim, ſi quis certo aſſeverare non poteſt, atque demonſtrare; neque ſcriptos non fuiſſe demonſtrare poterit. Illud vero Regeſtum nullo delectu verorum a falſis circumlatum fuiſſe, minus etiam permittitur; quippe etſi in eo nonnulli canones extent, quos Romana, & Occidentalis Eccleſia circumſcripſit; & nonnulli, quos penitus proſcripſit; nullus tamen eorum canon fuit, qui in Græca, ac Orientali Eccleſia verus non eſſet; & vel ubique, vel ſaltem alicubi non uſurparetur; ut can. 65. de *Sabbato* non jejunando, excepto uno. Erant enim *canones Apoſtolorum* leges, & conſuetudines partim univerſæ Eccleſiæ; partim vero totius Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis; & partim etiam alicujus, non totius Eccleſiæ Orientalis; ut eruitur ex can. 25. Græco, & 27. Latino *de promotis ad Clerum, ſi velint, uxorem ducant ſed Lectores, & Cantores ſoli:* quocirca quum canon XIV. Concilii Chalcedonenſis habeat: *Quoniam in quibuſdam Provinciis conceſſum eſt Lectoribus, & Pſalmiſtis uxores ducere &c.*, liquet, canonem 25. al. 27. Apoſtolicum in quibuſdam Eccleſiis invaluiſſe, non omnibus vel Orientis fuiſſe communem. Et quid aliud ſonant ea, quæ Innocentius I. Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ ſcribit num. 5., *Fuiſſe regulas veteres, quas ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris traditas Eccleſia Romana cuſtodit, cuſtodien-*

daſque mandat his, qui eam audire conſueverunt? attamen Epiſt. 29. ad Clerum, populumque CP. in cauſſa S. Joannis Chryſoſtomi hæc habet: *Canonibus porro obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti, quos ſolos conſectari decet Eccleſiam Catholicam, & juxta eos judicare:* & Epiſt. 31. ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum eadem in cauſſa: *juxta Nicæni Concilii canones, & decreta contende; alios Romana non admittit Eccleſia.*

VI. *Quo pacto Dionyſius Exiguus duos Canones pro rebaptiſmo inter Apoſtolicos recenſuerit poſt expreſſam Rebaptiſmi per Arelatenſe Concilium damnationem* =

PRæterea non eſt difficile captu, quo pacto Dionyſius Exiguus; qui non omnium *primus* eorum canonum, qui tum patebant, ſeriem adornavit; ſed novam e Græco in Latinum translationem effecit, ut ipſe ſcribit in Epiſtola ſuæ Collectioni præfixa; unum, & alterum pro rebaptiſmo inter Apoſtolicos recenſuerit poſt compertam, ac expreſſam Arelatenſis Concilii damnationem: quoniam primum falſum eſt, compertum fuiſſe Dionyſio Arelatenſe Concilium; ſi enim ille comperiſſet, Collectioni ſuæ hujus Concilii Canones ſubnexiſſet eo modo, quo attexuit illos Sardicenſis, & Carthaginienſis Conciliorum: deinde eo pacto ipſe binos illos canones recenſuit, quo Romana Eccleſia eoſdem recepit, probavitque: præterquamquod Dionyſii erat, Collectionem canonum Græcorum in Latinum transferre ex fide, & uti ſe habebat apud Græcos; non illam mutilare, aut, ut quidam ſolent, adulterare: quod enim ad Conſtantinopolitanum I. Concilium attinet, dictum eſt ſuperiori diſputatione, nihil in eo ſtatutum de baptiſmo Hæreticorum fuiſſe: quam ob cauſam Dionyſiana Collectio canonem VII. de ea re Concilio illi perperam attributum non habet. Cæterum quot enumerantur, qui Opera Scriptorum hæreſi laborantium e Græco Latina fecerunt etiam poſt damnatam hæreſim? Hæreſis certe Arianæ arguitur initium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii Cæſarienſis; eodemque vitio premi dicuntur ejus libri de Præparatione, & Prædicatione Evangelica; & tamen poſt Concilia Nicænum, & Conſtantinopolitanum I., in quibus profligatus eſt Arianus error, illam Latinam reddidit Ruf-

Digitized by Google

Ruffinus Præsbyter Aquilejenſis; iſtos vero alii; idemque Ruffinus tranſtulit e Græco libros Recognitionum S. Clementi aſcriptos; de quibus nihilominus in Apologia Origenis ſcribit ipſe: *in aliquibus tamen ita Eunomii dogma ſcribitur, ut nibil aliud quam ipſe Eunomius diſputare credatur filium Dei creatum ex nullis extantibus aſſeverans:* etſi conſtabat Eunomium cum aliis hæreſum Anteſignanis in Synodo CP. I. condemnatum. Itaque canones illi duo ſi falſitatem continebant, aut hæc erat de re ad variam diſciplinam pertinente, nec penitus ubique proſcripta; aut in ſpeciem tantum erat, & facilis interpretationis, ob quam etiam ipſa Romana, & Occidentalis Eccleſia non dubitavit eos demum admittere. Ac iſtud quidem ſi ſecus ſe haberet; quomodo, poſtquam Leo Magnus Epiſt. 93. ad Turibium Aſturicen. Epiſcopum num. 15. ſignificaverat: *Apocryphæ autem Scripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolum interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ:* Romana, & Occidentalis Eccleſia paucis poſt annis hos canones recepiſſet? Illud etiam, ex verbis utriuſque canonis 45. & 46. Donatianam ſcabiem præſentiri, non arbitror ſatis hoc loco demonſtrari: quod enim in priori dicatur: *quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars Fidelis cum Infideli?* & quod hac authoritate uſus ſit S. Cyprianus Teſtim. lib. 3. cap. 62., explicaveritque de matrimonio cum Infideli non jungendo; quum alias in Epiſtola ad Jubajanum eam exponat de Hæreticorum baptiſmo: primum non iego, Epiſtolam ad Jubajanum authoritatem illam referre: deinde non video, cur non potuerit Cyprianus eandem explicare modo de matrimonio, modo de baptiſmo Hæreticorum ſine verborum repugnantia? Etenim vulgata Paulinæ Epiſtolæ lectio habet: *nolite jugum ducere cum Infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* laudatus vero Cyprianus legit: *Nolite conjungi cum Infidelibus; quæ autem participatio eſt juſtitiæ, & iniquitatis? aut quæ communio eſt lumini ad tenebras?* quæ quidem Pauli verba nonnulli ex SS. Patribus interpretati ſunt de matrimonio; nonnulli vero de quocunque alio commercio, ac ſocietate: nam S. Hieronymus Epiſt. 28. ad Lucinium verba illa, *qui conſenſus Chriſti*

Digitized by Google

ad Belial? adducit pro explicatione illorum: *non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ:* & S. Auguſtinus lib. poſt Collat. cap. 20. illud: *nolite jugum ducere cum Infidelibus:* nequaquam de matrimonio exponit, ſed ſicut lib. 2. contra Parmeniani Epiſt. cap. 18. inquit: *non enim intelligunt, neminem conjungi cum Infidelibus, niſi qui facit peccatum Paganorum, vel talia facientibus favet:* lib. vero de fide, & operibus cap. 12. ſimilia ſcilicet, *quæ compoſitio Templi Dei cum Idolis?* affert contra peccatores adulteros, qui baptizari volunt. Patres etiam Synodi V. Oecumenicæ Collat. 8., cum dixiſſent, impiam Ibæ Edeſſeni Epiſtolam in Chalcedonenſi Concilio minime ſuſceptam fuiſſe, addiderunt: *quæ participatio eſt juſtitiæ, & iniquitatis? & quæ ſocietas luci cum tenebris? quæ autem conventio eſt Chriſti cum Belial?* ſic & Synodus VIII. Act. V. adverſus Photii intruſi dictum. Sed & Luciferianus in Dialogo S. Hieronymi adverſus Luciferianos probans Arianos, & Hæreticos Epiſcopos ad Eccleſiam venientes in ſuis non eſſe recipiendos honoribus ait: *& ubi eſt illud... quæ communicatio luci ad tenebras? qui conſenſus Chriſti ad Belial?* eam autem Auguſtini interpretationem velut abſurdam hujus canonis teſtimonio Donatiſtas ludificatos non eſſe, non arguit tum canonem hunc non extaſſe; ſed aut Donatiſtis nondum innotuiſſe; aut cognitum fuiſſe uti canonem non Apoſtolorum, ac univerſæ Eccleſiæ; verum Eccleſiarum Orientis, ac proinde non magnæ authoritatis, & cui S. Auguſtinus ſtare non teneretur; quando tam verſatilem ſenſum referret. Verba vero poſterioris canonis; *aut pollutum ab impiis non baptizaverit* non intelligo, cur potius ſummam hæreſis Donatianæ complectantur, quam hæreſis Novatianenſis; quæ ſuos tradebat tantummodo vocandos *Catharos*, ideſt puros; alios vero quoſcunque immundos, ac pollutos? quin & Cataphryges, & fere omnes Hæretici hoc ipſum de ſe jactitare conſueverant: præterea annon id eſt, quod S. Cyprianus libro de Unitate cenſuit, Schiſmaticos baptizare non poſſe: *Vitæ fonte deſerto, vitalis, ac ſalutaris aquæ gratiam pollicentur: non abluuntur illic homines, ſed potius ſordidantur &c.?* & Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. cap. 15. de baptizatis ab Hæreticis: *qui ab iſtis baptizati ſunt, non baptiſmo initiati, ſed inquinati ſunt; qui non veniam peccatorum, ſed vinculum ini-*

qui-

quitatis accipiunt? Quod & Catholici ipſi dicunt, vel plane dicere poſſunt de illis Hæreticis, qui nequiter, ac impie, depravateque baptiſma miniſtrare dicuntur.

VII. *Explicatio Severini Binii vindicatur, eaque Hadriani I. fuiſſe oſtenditur. Proſecutio argumenti numeri ſuperioris* =

Quare neque explicationem, quam pro duobus his *Canonibus* vindicandis offert Binius, dicere poſſumus nec veram eſſe, nec veriſimilem; cum eam longe antea attulerit Hadrianus I. Papa in Epitome Canonum ad Carolum Magnum tranſmiſſa num. 41. & 42. ita priorem canonem interpretatus: *Epiſcopus, Presbyter baptiſma Hæreticorum non in nomine Trinitatis baptizantium ſuſcipiens damnetur:* alterum vero canonem hoc modo: *Epiſcopus, Presbyter, qui recte baptizatum rebaptizaverit; vel non recte baptizatum non baptizaverit, deponatur:* quo quidem modo explicandos eſſe ſenſit etiam S. Theodorus Studita Abbas Græcus in literis ad Neucrationis quæſtiones ſuper can. 2. Trullano, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ Patrum. Nequaquam igitur difficillimum eſt intellectu, cur Dionyſius Exiguus poſt notiſſimam, ac repetitam Donatiani erroris, vel potius Africani moris proſcriptionem ambos illos canones reliquis 48. annexerit, ob ea, quæ in hanc rem attuli numero ſuperiori: atque etiam proptereaquod non hos binos ſolum, ſed & plures alios in ſua Collectione Dionyſius canones admiſcuit, quos Romana Eccleſia aut nunquam ſuſcepit; aut nonniſi diu poſt, nec ſine interpretationis lenimento; uti can. 1. 5. al. 6., & 49. al. 50. Apoſtolorum, 1. 35. & 49. Laodicenos; 3. & 7. Neocæſarienſes; 2. Gangrenſem; 3. al. 4. Conſtantinopolitanum; & 9. Chalcedonenſem; quoſque ipſe ad variam Eccleſiarum diſciplinam dumtaxat ſpectaſſe aut didicerat, aut exiſtimabat; nam quos ad fidem pertinuiſſe cognovit; ut canonem græcum 60. Concilii Laodiceni, quo Canonici Libri *Thobiæ*, *Judith*, *Eſther*, *Apocalypſis &c.* omittuntur; nullo modo memoravit, tranſtulitque. Mirari equidem quempiam, vel etiam unumquemque maluiſſem de Occidentali Eccleſia, Romanaque in primis diſciplinæ chriſtianæ magiſtra, quæ Dionyſianam Collectio-

ctionem & ſtatim, & uſque adeo ſuſcepit, ut Caſſiodorus Divin. Lection. cap. 25. de ea tradiderit: *hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur:* tametſi antea quoque utebatur veteri Græcorum canonum Collectione, atque verſione; quam adhibuiſſe legimus Symmachum Papam in *6.* Synodo Romana anno circiter 504., ubi 7., & 8. canonem Gangrenſem produxit. Certe Joannes II., qui ſedit Romæ ab anno 532. ad 535., Epiſt. *6.* ad Cæſarium Arelaten. Epiſcopum in cauſſa Contumelioſi Antiſtitis attulit *canones* 25. *&* 29. Apoſtolorum Dionyſianæ Collectionis; poſtea Vigilius Papa Epiſt. ad Profuturum Bracaren. Epiſcopum anno 538. data duos Apoſtolorum *canones* 49. *&* 50. prædictæ Collectionis ſectandos propoſuit: tum S. Gregorius Magnus Epiſt. 39. lib. 7. ad Romanum defenſorem laudans *canonem* 5. al. *6.* Apoſtolorum ejuſdem interpretationis, quamplures vero Zacharias Papa in Epiſtola, quæ codicis Carolini quinta eſt, vel reſcripto ad Pipinum, Gentemque Francorum edito. Deinceps Stephanus III. al. IV. Romana in Synodo anno 769. Act. 4. id decretum edidit: *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum canonum prolata per S. Clementem niſi quinquaginta Capita; quæ ſuſcipit S. Dei Catholica Romana Eccleſia:* pauloque poſt Hadrianus I. in Epitome canonum ad Carolum Magnum edidit Collectionem canonum Dionyſianam interpolatam, in qua & 50. Apoſtolorum canones 45. numeris comprehenſos deſcripſit, eoſque teſte Hincmaro Remenſi Antiſtite de Var. capit. Eccl. cap. 18. cuſtodiendos mandavit. Seculo autem inſequenti Leo IV. Epiſt. ad Angliæ Epiſcopos de Regulis Eccleſiaſticis conſultus reſpondit, Sedem Apoſtolicam has decretalium regulas admittere, *quæ habentur apud nos cum illis in canone: quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, Nicænorum &c... iſti omnino ſunt, & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur, & Clerici.* Sed & paucis poſt annis Anaſtaſius Bibliothecarius in VII. Synodi præfatione ad Joannem VIII. inquit: *Apoſtolatu veſtro decernente non ſolum quinquaginta priores Apoſtolorum Canones Eccleſia recipit, ſed omnes eorum utpote Spiritus Sancti tubarum.* Seculo tamen XI. Humbertus Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, & S. Leonis IX. Legatus in reſponſione ad libellum Nicætæ Græci contra Latinos editum habet:

habet: *Apoſtolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta Capitibus, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda:* & Urbanus II. Epiſt. ad Lucium S. Juventii Ticinen. Præpoſitum ſcribit: *Canones Apoſtolorum, quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Eccleſia:* ut omittam Concilium Tridentinum, a quo ſeſſ. 25. cap. 1. de Reformat. laudantur *canones Apoſtolorum*, can. nimirum 37. al. 39., & VII. Synodum Oecumenicam, quæ & Act. VII. al. VIII. in canone XII. profert canonem 37. al. 38. Apoſtolorum, & Act. 1. adducit *canonem* 53., qui nunc Græcis eſt 51., Latinis vero 52. Non igitur inconſiderantia, non conniventia, ſed, quam dixi, facilis ſententiarum, ac verborum interpretatio in cauſſa potiſſimum fuit, cur etiam num illi duo canones de Hæreticorum baptiſmo in quinquageſimo numero deſcribantur.

VIII. *De tempore, quo Dionyſius Exiguus ſuam Eccleſ. canonum Collectionem compoſuit: & de Canonibus Apoſtol. in Gelaſiano Decreto notatis* =

De Canonum Apoſtolorum authoritate ajo; hos, etiamſi decreto Gelaſii, vel alterius Romani Pontificis paulo ante Dionyſianum opus confixi fuiſſent, eam Dionyſii temporibus authoritatem nacturos apud pleroſque, vel omnes; quam habuiſſent, ſi decretum ullum in eos non exiiſſet. Ac in primis adverto, Dionyſium ſuam *canonum Collectionem* edidiſſe circa tempora Gelaſii Papæ; incertum tamen eſſe, an ante, vel poſt ejuſdem Gelaſii Pontificatum, an vero eodem Eccleſiam gubernante; ideoque an ante, vel poſt decretum de Libris recipiendis, ac rejiciendis. Hanc quidem Collectionem elucubravit pauloante, quam aliam *Collectionem Decretorum Pontificum* adornaſſet, ut ipſe ſcribit in Epiſtola ad Julianum Præsbyterum eidem Collectioni præmiſſa, in qua laudat mirifice Gelaſium Papam jam mortuum anno 496., terminavitque memoratam Collectionem in Decretis Anaſtaſii ſummi Pontificis initio anno 497. promulgatis: quare ſuſpicari licet, eam Collectionem Decretorum editam fuiſſe inter ann. 497., & 499., alioquin Symmachi Papæ decreta initio anni 499. vulgata in Romano Concilio, aliaque quamplura ab eodem Pontifice & in Conciliis, & in Epi-

Epiſtolis paulopoſt conſtituta non omiſiſſet Dionyſius! qui quum prædicta in Epiſtola ſcribat *ſe dudum de Græco ſermone Patrum canones* tranſtuliſſe; conjicere eſt etiam, ante annum 498., & forſan ante annum 496., quo Gelaſius vivere deſiit; edito eo, vel præcedenti anno decreto de Libris authenticis, & apocryphis; compoſuiſſe canonum Collectionem; quam neſcio, unde quidam deducant editam fuiſſe ſub Hormiſda Pontifice Romano, fortaſſe ex eo quod, ut dictum eſt, Symmachus anteceſſor Hormiſdæ uſus ſit veteri Collectione, verſioneque canonum: at minime opus fuit, ipſam Dionyſii verſionem ſtatim, ac facta eſt, a Romanis Pontificibus adhiberi. Quovis autem tempore prodierit ea Collectio ante, vel poſt Gelaſianum decretum; non eſt ob id exiſtimandum, ipſam aliquid detrimenti ſubiiſſe: primum ex eo quod non ſatis liquet, an decretum Gelaſianum loquatur de hac *canonum Collectione*, de qua præſenti ſermone diſſeritur; an vero de *Conſtitutionibus Apoſtolicis*, quæ & ipſæ aliquando Canonum Apoſtolorum nomine veniſſe leguntur, ut apud S. Joannem Chryſoſtomum hom. 53. in Matthæum extat: *quomodo autem*, inquiens, *quidam Sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeſte in libro octavo canonum Apoſtolorum dicitur: qui autem ex hominibus ordinatus eſt, quantum ad Deum non eſt Diaconus, aut Sacerdos:* quæ quidem ſententia legitur cap. 2. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum; quas quoque quidam volunt intellexiſſe S. Jo: Damaſcenum, cum lib. 4. de Fide orthodoxa cap. 18. inter libros Canonicos, probatoſque Catholicis recenſet lib. *canonum SS. Apoſtolorum*. Etenim cum duo potiſſima ſint Opera, quæ tribuuntur S. Clementi Papæ, quantum quidem ad molem, Libri X. *Recognitionum*, ſeu Itinerarium, vel Circuitus Petri; & Libri VIII. *Conſtitutionum Apoſtolicarum;* quæque adulterina noſcuntur; & cum Gelaſianum Decretum notet hos tantum: *Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur S. Clementis, libri 8. al. 10. apocryphum; & liber, qui appellatur Canones Apoſtolorum, apocryphus:* ſi nomine canonum Apoſtolorum ibi non venirent Conſtitutiones Apoſtolicæ, omiſiſſet Gelaſius unum ex præcipuis Operibus nota expers; præſertim quod canones 50., atque etiam 85. Apoſtolorum extiterunt pars ultima libri 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum, ut paulo ante dictum eſt, & mox num. XII. confirma-

firmabitur; quo fit parum veriſimile videri, notatam fuiſſe, a Romano Pontifice partem hanc longe minorem; quæ aut nihil, aut minus errorum continet; & non opus majus octo Librorum, quod fere nunquam ſine Scriptorum nota commemoratum ſcitur; quodque a Trullana Synodo maxima prorſus repudiatum eſt. Deinde ſi quoque Gelaſius, vel quiſquis fuerit author Decreti, aut additamenti ad Decretum Gelaſianum de Libris, notaverit ſolummodo canones L., aut LXXXV. Apoſtolorum ut apocryphos, non propterea illis authoritatem ademit, quam & antea habuerant, & poſtea etiam habuiſſe novimus: quoniam quod eos dixerit apocryphos, eruditis quibuſdam obſervatum, varias in eo decreto claſſes apocryphorum eſſe; & Baronius ad ann. 102. num. 12. ideo librum illum cenſet dictum *apocryphum* ob nomen incertum, veritatem autem, & firmitatem rei eſſe in omnibus exploratam; perinde atque Romanus Pontifex admonere voluerit, canones illos eſſe quidem veros, & obſervandos; falſum tamen Apoſtolorum eſſe. Accedit ad hæc, non deeſſe, qui tradant, librum canonum Apoſtolorum, qui in pluribus codicibus Gelaſiani Decreti non habetur, minime notatum a quoquam Romano Pontifice, ſed a quibuſdam temere additum eſſe libris ære excuſſis; ut omittam Turriani in defenſione canonum horum cap. 15. ſententiam jam ab aliis abunde confutatam. Utcunque autem ſe res habuerit, illud apparere videtur, cum paulopoſt Decretum criticum Dionyſiana canonum Collectio fuerit recepta, & *uſu celeberrimo a Romana Eccleſia* complexa; aut non Canones memoratos a Romano Pontifice nota inuſtos fuiſſe, ſed Conſtitutiones Apoſtolicas; aut ſi illi nota affecti, eo tamen, quo ex Baronio dicitur, modo factum eſſe.

IX. *Pergitur demonſtrare Canones in Gelaſiano Decreto proſcriptos non fuiſſe L. Canones Apoſtolorum, ſed Apoſtolicas Conſtitutiones* =

Mihi equidem, ſi quod ſentio, plane dicendum ſit; in Gelaſiano Decreto neutiquam omiſſos, ſed recitatos ajo Canones Apoſtolorum; hoſque nil aliud eſse quam *Apoſtolicas Conſtitutiones;* & iſtas utique confixas ibi fuiſſe, non vero canones L. Quomodo autem hi, quos partem diximus

 effice-

efficere libri octavi Conſtitutionum, eam effugerint cenſuram; paulopoſt videbitur. Mihi enim nunquam probari potuit aut Baronii proxime memorata interpretatio; aut quod Marca, Schelſtratius, & Pagius opinati ſunt; ideo canones eos eſſe ſubnotatos, apocryphoſque a Romano Pontifice nuncupatos; quod in eis ſint nævi quidam; quemadmodum Hiſtoria Euſebii, quam apocryphis accenſet Gelaſius, cum tamen antea non uſquequaque reſpuendam dixerit: propterea quod, quum Pontifex, relatis Libris authenticis, probatis, recipiendiſque, tranſit ad apocryphos, rejiciendoſque, iſthæc præmittit: *Cætera, quæ ab Hæreticis, ſive Schiſmaticis conſcripta, vel prædicata ſunt, nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia; e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & a Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda:* enumeratiſque plurimis Libris apocryphis, atque damnatis Hæreticorum ſcriptis, decretum claudit hoc modo: *Hæc, & omnia his ſimilia... non ſolum repudiata, verum etiam ab omni Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia eliminata... confitemur eſſe damnata.* Quamobrem neſcio, quo pacto quis exiſtimare velit, volenſve poſſit, Canones illos L. minime proſcriptos a R. Pontifice; ſed apocryphos tantummodo vocatos vel ob Authoris nomen incertum, vel ob nævos quoſdam? annon incertum eſt, quis ſcripſerit *Actus S. Sylveſtri Papæ*, & tamen hic Liber non improbatur ibi? & nævi ubinam ſunt; ſi omnes L. canones Eccleſia Romana ſuſcepit uti regulas ad judicandum certas? & Libros, quos ſemel apocryphos judicavit Gelaſius, vel quis alius nomine Gelaſii, nunquam legimus adhibitos a Romanis Pontificibus pro judicio ferendo, ſeu authoritate firmanda: illi vero, in quibus nævi quidam inerant, emendati quidem legi permittuntur, ut Euſebii Hiſtoria, & Opuſcula quædam Origenis, atque Ruffini; ſed neque illis unquam uſa eſt Romana Eccleſia ad eum, quem dixi, finem. Poſtea cum anno 520. Hormiſda Pontifex Romanus interrogatus a Poſſeſſore Epiſcopo Afro, quid de Fauſti Rejenſis codice ſentiendum eſſet, ad illum reſcripſerit Epiſt. 70. *Neque illum recipi; neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei.. Fixa ſunt a Patribus, quæ fideles ſectari debeant inſtituta... non improvide Patrum ſententia fideli poſteritati, quæ eſſent Catholica dogmata, definiit, certa Li-*

bro-

brorum etiam veterum in auctoritatem recipienda S. Spiritu inſtruente præfigens &c.: quæ verba tum Baronius, tum Noris, & Pagius, aliique plures de Gelaſiano decreto interpretantur; & cum tam codex Fauſti Galli, quam Liber canonum Apoſtolorum legantur inter libros *apocryphos*, & *quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei:* perſpicuum eſt, L. canones Apoſtolorum confixos non fuiſſe, aut nota affectos ab ullo Romano Pontifice, ſed Conſtitutiones Apoſtolicas; quibus nunquam Romana, & Apoſtolica Sedes uſa eſt in judiciis Eccleſiaſticis; nunquam authoritatem ex illis interpoſuit, ut illam L. canonum Apoſtolorum. Qua in re haud immerito pronunciatum cenſeo, prædictos canones nunquam tantum authoritatis adepturos fuiſſe; quantum adeptos vidimus; ſi Pontificio decreto confixi fuiſſent: quandoquidem eos authoritatem Eccleſiaſticam aſſecutos eſſe, qualem habere ſcimus alios canones Synodorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſis &c., idque penes pleroſque omnes, aperte docent Epiſtolæ Romanorum Pontificum præſertim Leonis IV. ſupra n. VII. relatæ, quarum illa Joannis II. ſuadet etiam tempore Dionyſii Exigui eam obtinuiſſe authoritatem; etſi non Apoſtolicam, atque Canonicam, divinamque uti libri veteris, ac novi Teſtamenti: Gelaſianum autem decretum iis, quos *apocryphos* declarat, utramque authoritatem adimit Apoſtolicam, ſeu Canonicam, & Eccleſiaſticam, ſemel ac dicit*: nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia:* vel ut ait Hormiſda: *in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei*. Porro eo quod recentes canonum Collectores etiam poſt damnatas ſententias, & decreta Romanorum Pontificum in eas lata, adhuc canones proſcriptos evulgant, & cæteris veris admiſcent; non licet argumentari tantundem præſtitiſſe Dionyſium poſt Gelaſianum decretum; nam Collectores iſti ſibi ipſis conſtituunt eruditionis gratia colligere, unaque divulgare & vera, & falſa; quæ materiam, & propoſitum concernant: Dionyſius vero non aliud dare voluiſſe videtur, quam canones certos, qui Eccleſiaſtica authoritate pollerent, cæteroquin ſi incertos, ac falſos edere voluiſſet, multo plures, quam fecit, edidiſſet. Et tandem in Epiſtola ad Stephanum Epiſcopum admonet, plurimos quidem iis *conſenſum non præbuiſſe facilem;* ſed non ait nullum præbuiſſe

conſenſum; ideo vero non facilem ſcribit conſenſum præſtitum canonibus; & quod vulgarentur *Apoſtolorum* nomine, perinde atque canonica, apoſtolicaque doctrina eſſet; & quod non omnes univerſalis eſſent Eccleſiæ, ſed nonnullarum aliqui Provinciarum, Eccleſiarumque; tum quod ſcirentur eſſe pars VIII. libri Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſeu doctrinæ Clementinæ; de qua etiam in Oriente dubitabatur, & cui contradicebatur; denique quod eorum nonnulli a Conciliis Nicæno, Antiocheno, aliiſque poſterioribus circumſcripti viderentur: attamen *poſtea quædam conſtituta Pontificum ex ipſis canonibus aſſumpta* fuiſſe docet; poſtquam nimirum cogniti ſunt authoritatem Eccleſiaſticam habere, uti regulæ certæ ab Eccleſiis Orientalibus ad judicandum conſtitutæ.

X. *De Trullanorum Patrum mente, ac opinione in Canonibus II., & XCV. condendis*

QUod autem ad *Trullanos* Patres attinet, non multum quidem curandum eſſet de eorum decretis, eorumque Synodo; quippe quæ neque Oecumenica ſit, neque a Romana Eccleſia unquam probata fuerit, atque recepta: tamen quoniam Synodus maxima, ac pene Oecumenica extitit, cui nec primæ Sedes, nec Romani Pontificis Legati defuerunt; non ineptum, incongruumque erit internoſcere, quæ fuerit tantorum virorum mens, ac opinio. Nam quod *canone XCV.* Hæreticorum alios ſine baptiſmo admittendos ſanxerint, alios vero rebaptizandos: non inde manifeſtum ſit, eos baptiſmum dumtaxat improbaſſe ſine expreſſa *SS. Trinitatis* invocatione miniſtratum; cum *canone II.* admittant, probentque canones Baſilii Magni, & Synodum Cypriani, qui baptiſmum Hæreticorum etiam Evangelica, legitimaque forma collatum repudiarunt. Utique videri poſſent Patres illi canones Apoſtolorum 45. 46. & 77. ſuſcepiſſe cum interpretatione, uti Latini faciunt; parique interpretatione Synodum quoque III. S. Cypriani; niſi vetarent non ſolum apertiſſima canonis 47. Baſilii M., ac Cyprianicæ Synodi verba, verum etiam ipſius Trullani Concilii ſanctio canonis II., quo Patres inter cæteras Synodos, & Canones aſſerunt ſe etiam recipere *& a Cypriano, qui Afrorum Regionis fuit Archiepiſcopus, & Martyr;*

tyr; & Synodo, quæ ſub ipſo fuit, emiſſum canonem, qui in prædictorum Præſulum locis ſolum ſecundum traditam eis conſuetudinem ſervatus eſt. Quiſnam autem erat ille canon, qui in *Afrorum locis ſolum* ſervabatur? non quidem de baptiſmo Hæreticorum depravato, ſeu ſine expreſſa SS. Trinitatis invocatione adminiſtrato; cum is non ſolius Africæ, ſed ſi non univerſæ Eccleſiæ, certe Romanæ etiam, ac totius Occidentis eſſet: igitur de baptiſmo Hæreticorum, & Schiſmaticorum generatim proſcribendo; ut & Synodus, & literæ S. Cypriani dilucide loquuntur. Et appoſite ſatis ajunt Trullenſes Patres, eum Canonem in *Afrorum locis ſolum* ſervatum fuiſſe; quibus præiviſſe videntur Patres Concilii Arelatenſis I., dum can. VIII. *propriam legem Afrorum* appellant rebaptizare; quia quamvis in Oriente Hæreticorum omnium baptiſmus rejiceretur; ille tamen Schiſmaticorum admittebatur; quod ex Afris uni Optato Milevitano placuiſſe videtur: in Africa vero *ſolum* neque Hæreticorum, neque Schiſmaticorum baptiſmus ullo modo probabatur; in quam poſtmodum ſententiam deſcendiſſe dicitur Firmilianus Ceſareæ Cappadociæ Antiſtes, uti prodit Epiſtola Baſilii Magni ad Amphilochium cap. 1., nec non S. Dionyſius Alexandrinus, quantum quidem conjectura aſſequor: cur enim Hieronymus in Script. Eccleſ. de eodem Dionyſio tradit: *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens de Hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas*: nec dicit eum potius in Orientalium dogma conſenſiſſe; niſi quia Orientales rebaptizabant Hæreticos, non Schiſmaticos; Afri vero & illos, & iſtos? Dionyſium porro Cypriani, & Afrorum morem amplexum eſſe, ut & Hæreticos, & Schiſmaticos rebaptizandos crediderit, oſtendi ad num. VI. cap. I. Niſi quis arbitretur, rebaptizare dictam eſſe propriam legem Afrorum, aut quod Afri ſoli inter Latinos hunc morem uſurparent; aut quia ipſi omnes, ac univerſi rebaptizarent; in aliis vero Regionibus aliqui quidem, aliqui vero non. Exiſtimandum eſt igitur, Trullanos Patres S. Cypriani Synodum ſuſcepiſſe ea plane ratione; qua, ut etiam obſervavit Lupus in notis ad can. II. Trullanum, ſeu Quiniſexti Concilii, ſe recipere profitentur & Canones Magni Baſilii; quorum I., & XLVII. ſententiam Orientalium, & Afrorum exponit, & amplectitur; videlicet Hæreticorum, & Schi-

& Schiſmaticorum baptiſma improbandum eſſe, atque iterandum; quamquam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti miniſtratum; eo quod Regionum morem ſequi neceſſe ſit, conſuetudinique ſerviendum; ut idem Baſilius judicat. Quo demum intelligimus, Trullanos Patres *canone II.* voluiſſe, quæſtionem de Hæreticorum, Schiſmaticorumque baptiſmo adiaphoram haberi; & diſcrepantem ea de re diſciplinam ita unicuique permittere, ut quilibet pro Regionum more, atque Eccleſiarum conſuetudine baptiſma miniſtraret: *canonem* vero XCV. condidiſſe pro illis, quibus altera opinio probabatur de quorundam Hæreticorum baptiſmate admittendo, & de illo quorundam abdicando. Qua in re tamen ipſi non decreverunt, juſſeruntque Hæreticorum iſtos rebaptizandos, illos vero nequaquam; ſed exceptis Pauliániſtis, indicarunt, quem ipſi Orientales morem uſurparent in his, vel illis Hæreticis, cum ad Eccleſiam venirent, recipiendis, dicentes: *eos, qui ab Hæreticis ad rectam fidem accedunt, Arianos... recipimus dantes Libellos... De Paulianis autem a Catholica Eccleſia ſtatutum eſt, ut ii omnino rebaptizentur. Eunomianos quoque, qui in unam demerſionem baptizant, & Montaniſtas... ut Gentiles recipimus... & baptizamus:* ubi nullam interminati ſunt pœnam iis, qui Arianos, Macedonianos, ſimileſve rebaptizarent Hæreticos; ut in aliis canonibus conſueverunt. Et hæc quidem de Trullanis Patribus. Sed quid de Joanne VII. Papa, qui horum Patrum, Synodique Quiniſextæ canones, cum poſſet, non cribravit, non caſtigavit etiam a Juſtiniano juniore Imp. adhortatus? Sane libri Pontificalis Author ſcribit, Pontificem *humana fragilitate timidum eos tomos nequaquam* emendaſſe: ego tamen exiſtimo, eum, quod intelligeret canones eos & variæ diſciplinæ eſse, & rectam aut probabilem ferre interpretationem, omnes admittendos judicaſse; uti & Stephanum III., & Hadrianum I., & Joannem VIII. feciſse vidimus.

XI.

XI. *Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ mos, atque diſciplina diverſa. Canones Trullani non evertunt Euſebii de Cypriano rebaptizante narrationem, Stephanique Papæ decretum* =

Illud enim hoc loco meminiſse juvat; aliam fuiſse Orientalis Eccleſiæ diſciplinam, aliam vero Occidentalis, ut cap. *Aliter* diſt. 31. Stephanus Papa docet: Orientalis Hæreticos fere omnes paucis exceptis, cum ad Eccleſiam Catholicam converterentur, Eccleſiæ lavacro initiandos, purgandoſque cenſebat; quos magna ex parte Occidentalis non iterato baptiſmate admittebat. Quocirca canon XCV. Trullanus ſine baptiſmi iteratione recipi dicit *Arianos, Macedonianos, Novatianos, Teſſaradecatitas, & Apollinariſtas;* baptiſmate vero iterato *Paulianos, Eunomianos, Montaniſtas, Sabellianos, & omnes alias hæreſes, quoniam multi hìc ſunt, & maxime qui ex Galatarum Regione profecti ſunt:* qui ad verbum eſt canon VII. Conſtantinopolitano I. Concilio affixus; niſi quod in illo canone VII. recenſentur etiam *Sabbatiani*, qui in Trullano deſiderantur; & in illo *Pauliani* deſunt: huic vero additamentum eſt factum de *Manichæis, Marcionitis, Valentinianis, Neſtorianis, Eutychianis, & Severianis:* & quidem Marcionitas ab Orientalibus rebaptizatos fuiſſe, teſtatur Theodoretus Epiſt. 45., qua ſcribit, notumque facit ſe decem millia Marcionitarum ſalutari aqua baptizaſſe: ex Galatia autem veniſſe, Provinciamque illam dilaceraſſe *Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, Manichæos, Paſſalorincitas, Taſcodrogos, Artotyritas, & cætera* (nempe *Hermianos, Seleucianos, Marcellianos, Photinianos &c.*) ſcriptis tradidit S. Hieronymus lib. 2. Comment. in Epiſt. ad Galatas. Similiter Timotheus Præsbyter CP., qui anno 511. patriæ ſuæ Patriarcha eſt pronunciatus, in Tractatu *de differentia Hæreticorum ad Orthodoxam Eccleſiam accedentium;* qui extat in Auctario Bibliothecæ PP. Combefiſii tom. 2., & apud Cotelerium tom. 3. veterum Eccleſiæ Græcæ monumentorum; omnes Hæreticos, quorum catalogum accuratum, ac bene magnum deſcribit, rebaptizandos monet; his dumtaxat exceptis, qui referuntur in VII. canone Conſtantinopolitano, & in XCV. Trullano, nimirum *Arianis, Macedonianis, Novatianis, Sabbatianis, Quartodecimanis, &*

Apol-

Apollinariſtis; quos tamen ungi debere dicit; & aliis, quos nec ungi, nec rebaptizari tradit, nempe, *Meletianis*, *Neſtorianis*, *Eutychianis*, *Dioſcoritis*, & *Acephalis*, quod & docet Theodotus Studita Epiſt. 4. ad Naucratium, & quibus exploditur Thomaſſini doctrina, nullos alios Hæreticos præter *Paulianiſtas* tempore Nicænæ Synodi prava forma baptiſmi contaminaſſe myſterium, tom. 2. Theol. dogmat. diſſert. 2. num. 19. Nihilo tamen ſecius S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos refert, Romanam Eccleſiam baptiſmate non iterato ſuſcepiſſe eos Hæreticos, quos Orientales rebaptizaſſe dicuntur, Ebionitas, Cherinthianos, Praxeanos, & Manichæos; cum Hilario Diacono Romanæ Eccleſiæ inquit: *Diaconus eras, o Hilari, & a Manichæis baptizatos recipiebas: Diaconus eras, & Ebionis baptiſma comprobabas:* falſuſque eſt Baronius, dum ad ann. 277. num. 41. ſcribit, Hieronymum crimini dare Hilario Schiſmatico, quod baptizatos a Manichæis ſine alio baptiſmate recepiſſet: exprobrat enim Hieronymus Hilario, quod cum eſſet Diaconus Romanus, pro more ſuæ Eccleſiæ etiam Manichæorum, etiam Ebionitarum baptiſmata probaret; factus vero Schiſmaticus nedum Arianos, ſed nec quemquam alium Hæreticorum ſuſciperet ſine baptiſmi repetitione: additque, Romanam Eccleſiam, ut & Nicænum Concilium *omnes Hæreticos in pœnitentiam* ſolum ſuſcepiſſe, *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis:* certe etiam S. Cyprianus Epiſt. ad Pompejum ait: *cur in tantum Stephani fratris noſtri obſtinatio dura prorupit; ut etiam de Marcionis baptiſmo, item Valentini, & Apellis, & cæterorum blaſphemantium in Deum Patrem contendat filios naſci?* Et in Concilio III. Carthagin. pro hac quæſtione celebrato Saturninus a Tucca dixit: *in hunc* (Deum Patrem) *Marcion blaſphemat; & quidam non erubeſcunt Marcionis baptiſmum probare:* Eccleſia namque Occidentalis ac in primis Romana aut unam in hac re rationem habere ſolebat, aut eam ipſam potiſſimam formæ videlicet Evangelicæ; Orientalis vero alias iniiſſe rationes ſemper viſa eſt, ut alias oſtendi: etſi S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo ſcribit cap. 47.: *cæterum quis neſciat, non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica, quibus Symbolum conſtat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur Hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.* Quin quod & inter ipſos Occi-

Digitized by Google

Occidentales aliquando diſcrepantia de nonnullis Hæreticis deprehenditur: nam cum Arelatenſe II. Concilium can. 17. ſtatuerit: *Bonoſiacos autem ex eodem errore* [Photini, & Pauli Samoſateni] *venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit:* tamen Magnus Gregorius Epiſt. 61. lib. 9. ad Epiſcopos Iberiæ ſcripſit paulopoſt; *Bonoſianos, & Cataphryges minime in Trinitatis nomine baptizari;* ideoque baptizandos eſſe, quando ad Eccleſiam venirent: & Gennadius Præsbyter Maſſilienſis; qui in Catal. Vir. Illuſtr. Eccleſ. de Audentio Epiſcopo tradidit, ſcripſiſſe eum *contra Photinianos, qui nunc Bonoſiaci dicuntur;* lib. de Eccleſ. Dogmatibus cap. 52. hæc habet: *Neque enim credendum eſt, eos fuiſſe baptizatos, qui non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juxta regulam a Domino poſitam tincti ſunt, ut ſunt Pauliani, Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonoſiani, Photiniani, Montani, & Manichæi, variaque impietatis germina, vel cæteræ iſtorum origenis, ſive ordinis peſtes, quæ duo principia ſibi ignota introducunt, ut Cerdon, & Marcion; vel contraria, ut Manichæus; vel tria & barbara, ut Setianus, & Theodoſius; vel multa, ut Valentinus; vel Chriſtum hominem fuiſſe abſque Deo, ut Cerinthus, Ebion, Artemon, & Photinus. Ex his, inquam, ſi qui ad nos venerint, non requirendum ab eis, utrum baptizati ſint, an non; ſed hoc tantum, ſi credant Eccleſiæ fidem, & baptizentur Eccleſiaſtico baptiſmate.* Quidquid autem eſt illud, id mihi plane conſtitit; ex Canonibus Trullanis non concidere & Hiſtoriam Euſebii de Cypriano rebaptizante, & Stephani P. decretum, ſed valde confirmari: non ignoraſſe Patres Græcos ſeculo VII. Cypriani diſſidium, ſed probe noviſſe, ac credidiſſe: neque etiam latuiſſe eos Cypriani cum Orientalibus commercium, aut majorum ſuorum de Hæreticorum baptiſmo rejiciendo ſententiam ex his, quæ hucuſque adducta ſunt.

XII. *Canones Apoſtolorum pars ſunt Conſtitutionum Apoſtolicarum: hæ vero ſunt illæ eædem, quæ antiquis ſeculi III., & IV. Eccleſiæ Scriptoribus innotuerunt quamquam interpolatæ* =

NEc mirum eſſe debet, ſi Tillemontius horum *Canonum Apoſtolorum* tractationem cum *Apoſtolicis Conſtitutionibus* conjunxit; quandoquidem ipſi Canones non aliud ſunt, quam ultima pars, ac clauſula libri octavi, ultimique earundem Conſtitutionum; ut ex Bibliotheca Photii, & ex Mſſ. Codicibus advertiſſe plures, jam dixi num. I., idque etiam ex eo colligi licet, quod & ipſæ Conſtitutiones Apoſtolicæ a nonnullis *Canones Apoſtolorum* indigitentur, ut vidimus num. VIII., & in VII. Oecumenica Synodo Act. I. cum Taraſius Patriarcha CP. legi mandaſſet librum *Canonicarum Inſtitutionum*, ſeu *Conſtitutionum* (διατάξεων), ex illis lectus eſt *Canon Sanctorum Apoſtolorum quinquageſimus tertius: Si quis Præsbyter &c.:* quodque tum Conſtitutiones, tum Canones S. Clementi Papæ aliquo modo tribuuntur; Scriptoreſque IV. ſeculi Euſebius, S. Athanaſius, Epiphanius, ac Hieronymus Opera Clementi Papæ adjudicata & vera, & ſuppoſita recenſentes; necnon ea, quæ Apoſtolorum nomine circumferebantur; Apoſtolicas quidem *Conſtitutiones*, ſeu *Inſtitutiones*, al. *Doctrinam Apoſtolorum*, ſeu *Clementinam; & Circuitum*, al. *Periodum*, vel *Itinerarium Petri*, ac *Recognitionum* opus commemorant; *Canones* vero *Apoſtolorum* nunquam meminiſſe leguntur utpote a Conſtitutionibus minime ſejunctos. At iſtæ *Conſtitutiones* fere ab omnibus Græcis, & Latinis Romana etiam Eccleſia ſuppoſititiæ judicantur, & in Gelaſiano decreto inter apocrypha, ac reprobata, ut ſupra docui, ſunt enumeratæ; igitur eo ſpectabunt & *Canones*, ſi pars illarum extitiſſe dicantur. Verum id quidem eſſet, ni ipſum, quod S. Athanaſius, vel alius quiſpiam ejus nomine in Synopſi tradit, factum fuiſſet, nimirum *ex illis veriora, & a Deo inſpirata electa eſſe, & translata*, differens de libris *novi Teſtamenti*, *quibus contradicitur*, quos inter enumerat *Circuitum Petri*, & *Doctrinam Apoſtolorum Clementinam:* Quo ſane factum eſt, ut Conſtitutiones Apoſtolicæ nunquam a Romana Eccleſia ſint probatæ; Canones vero Apoſtolorum ex illis ſelecti, & ſeparati ſumme ſemper, & cum

Digitized by Google

cum honore ſuſcepti fuerint. Sed credere, ac judicare cum Tillemontio, nonnulliſque aliis, *Conſtitutiones Apoſtolicas*, quas nunc habemus, eas non eſſe, quæ Eccleſiæ ſeculo IV., & ineunte V. legebantur; eo quod in quibuſdam aliter a Scriptoribus illorum temporum citentur, atque hodie habeant; videant, ne ſeverioris judicii ſit, quam veri: nam eadem ex cauſa prope nullum antiquorum opus haberemus, quod cum prototypo idem eſſet; non ſacra Biblia, non Sanctos Patres, non alios bene multos; quorum libri, qui modo vulvuntur, ſæpenumero variare deprehenduntur pro varietate codicum; & varie etiam ab antiquis Scriptoribus aliquando citati leguntur: quippe quod interpolationes iſtæ ſunt, atque ſcribarum vitia, vel negligentiæ, vel nonnunquam audaciæ; quæ prorſus vitari ſi poſſint, magis fortunæ dandum, quam induſtriæ: ac mirum profecto eſſet, ſi opus aliquod Authoris vetuſti, quantæcunque ſit ipſe authoritatis, invariatum, & ab archetypo minime diſſidens ad nos perveniret; idque eo magis, quo idem antiquius, & illuſtrius eſſe reperitur. Qua de cauſa legere eſt in Canonum Collectione Martini Bracarenſis anno circiter 570. elaborata num. XXVI. *Canonem Apoſtolorum* 17. Græcis, Latinis vero 18., quam ſit apud illum Collectorem auctior, ac diverſus præ eo, qui in Græca, ac Dionyſiana vetuſtioribus Collectionibus extat, non quidem ab Hæreticis ita factus, auctuſque; cum nihil in eo, quod hæreſim oleat, contineatur; ſed ob eam, quam dixi, interpolationem, immutationemque, cui Scriptorum Opera celebriora ſunt ſine ulla dubitatione obnoxia.

XIII. *Conſtitutionum Apoſtolicarum interpolatio, ſive variatio quævis, incertum, an ab Hæreticis patrata: de Canonibus vero Apoſtolorum non item* =

Ea itaque *Conſtitutionum* harum interpolatio, ac in ipſis ſententiarum variatio an ab Hæreticis patrata fuerit, ut Patres Trullani Concilii exiſtimarunt, viderint alii, ac judicent: facile id quidem dictu video, ſed non ita facile probatu. Nam illud plane inter omnes convenire ſcio, Conſtitutiones Apoſtolicas ante Nicænum Concilium extaſſe, eaſque ſub nomine *Doctrinæ*, vel *Inſtitutionis Apoſtolorum* afferri ab Euſebio in Hiſtoria lib. 1., & 3., ubi inter eas

novi Teſtamenti Scripturas, *de quibus a nonnullis dubitatum eſt*, ipſas recenſet; ut & S. Athanaſius in 39. Epiſtola feſtiva ad Ammonem, & in Synopſi ei adjudicata; ſæpius a S. Epiphanio proferri hær. 45. 70. 75., & 80., ſemelque a S. Jo: Chryſoſtomo hom. 53. in Matthæum: quorum Epiphanius tantum, & Chryſoſtomus ex illis ipſis loca producunt; iſte ex libro octavo, habeturque cap. 2. libri prædicti; ille vero hær. 45. contra Severianos adducit ſententiam, quæ legitur in Procemio, al. cap. 1. libri primi; hær. 75. contra Aerium affert locum, qui extat cap. 16. & 19., al. 18. & 21. libri 5., hær. 80. contra Maſſalianos authoritatem laudat, quæ habetur cap. 3. al. 4. libri primi, tandem hær. 70. adverſus Audianos duo loca citat de non jejunando Dominica die, & de *Paſchate* concelebrando; quæ occurrunt in Conſtitutionibus cap. 16. al. 18., & 19. al. 21. libri 5., unuſque ſolum locus, nimirum qui de Paſchate eſt, contradicit hodierni contextus lectioni; habet enim Epiphanius hær. 70., ſeu apud ipſum Conſtitutionum lectio: *Vos ne ſupputetis, ſed facite, quum fratres veſtri, qui ex circumciſione ſunt, faciunt; cum ipſis ſimul facite: & ſi illi erraverint, nihil vobis curæ ſit:* quæ quamquam ipſe in orthodoxum, Catholicumque ſenſum trahere conatur; ego tamen valde perſuaſum habeo, Conſtitutiones has ab illis editas fuiſſe Orientalibus, qui & plurimi, iique Catholici ante Nicænum Concilium cenſebant cum Aſianis, Epheſinoque Concilio Paſcha celebrandum eſſe luna XIV. menſe Martio more Hebræorum; propter quod etiam Nicænum congregari oportuit, ut ſupra ad not. IX. cap. II. demonſtratum eſt. Ea vero verba neutiquam extant hodie in Conſtitutionibus vulgatis; quinimmo oppoſitum omnino legitur cap. 16. al. 18. libri 5., ubi *præcipitur celebrari Paſcha poſt Æquinoctium caventes, ne cum Judæis feſtum agatur:* quæ ſane interpolatio, ac ſententiæ totius immutatio non ab Hæreticis, ſed a Catholicis viris facta nullo negotio ſuadetur utpote Catholica; & ex eo, quod idem Epiphanius habet in Ancorato, ubi Jeſum fleviſſe tradit, ſcribitque; *velut in Evangelio ſecundum Lucam habetur in incorrectis exemplaribus; & utitur eo teſtimonio S. Irenæus in Opere contra hæreſes adverſus eos, qui Chriſtum in apparentia apparuiſſe dicunt. Verum Orthodoxi ſuſtulerunt verbum timentes, & non intelligentes ipſius finem, ac*

vim,

vim, *& robur*. Quædam alia vero, quæ in ipſis Conſtitutionibus eſſe videntur, vel etiam ſunt hæretica, orthodoxæque fidei contraria, aut interpretari poſſunt, ac ſolent; aut quæ quidem hæretica ſunt hodie, propterea quod ita Catholica declaravit Eccleſia; ſed antea, quum illæ conſcriptæ fuerunt, non item; quoniam quia de iis nihil adhuc ab Eccleſia ſtatutum fuerat, integrum quoque erat quibuſcunque Eccleſiis id ſentire de iiſdem, quod vellent, & ſuas unamquamque conſuetudines ſervare. Quam ob cauſam potuit vere a S. Epiphanio loco memorato hær. 70. de Apoſtolorum Conſtitutione ſcribi: *quæ apud multos in ambiguo eſt, ſed non eſt reprobata; omnis enim regularis ordo in ipſa habetur, & nihil a fide adulteratum, neque a confeſſione, neque ab Eccleſiaſtica gubernatione, & regula:* Atque eo, quem dixi, modo Trullani Patres explicari poſſent; cum eas Conſtitutiones ab Hæreticis corruptas fuiſſe dicunt; nimirum quoſdam in ipſis aliqua conſcripſiſſe, quæ poſtmodum Eccleſia Catholica non probavit, quinimmo proſcripſit; & eos, qui illa mordicus tueri voluerunt, ut Quartodecimani, Audiani &c., hæreticos pronunciavit. Non eſt porro idem judicium de Conſtitutionibus, ac de Canonibus ferendum; ut quemadmodum illæ variatæ, ac interpolatæ deprehenduntur fuiſſe; ita iſti corrupti, perturbati, intruſique exiſtimari poſſint; quandoquidem *canones L.* Apoſtolorum illos ipſos habemus uſque V. ſeculo, quos Dionyſius Exiguus iterum Latinos fecit, tranſtulitque ex veteri Græca Collectione; *Conſtitutiones* vero primus e Græco dicitur vertiſſe Jo: Carolus Bovius Oſtunenſis Epiſcopus, qui eas publici juris fecit anno MDLXIII., illi ſelecti fuere, atque probati ſemper ab Eccleſia; iſtæ contra rejectæ, atque proſcriptæ: proptereaque iſtas vitiatas fuiſſe conſtat; illos minime oſtendi poteſt. Sed nec ulla etiam perturbatio in ipſis Canonibus facta perſuaderi poteſt ex canone 73. Apoſtol., quod credatur uſurpatus in Conſtantinopolitano Concilio anno 394., cum ibi non canon, ſed canones citentur, judicatum enim aſſeritur *ex canonibus Apoſtolicis*, ideſt ſecundum regulas Eccleſiaſticas, quæ habebantur, aut ducebantur ex Conciliis, vel ex Eccleſiarum conſuetudinibus, priuſquam conditus, aut in aliorum numerum, collectionemque relatus eſſet canon ille 73., ut etiam dictum eſt num. V.

Qua-

Quapropter apparet, cur Dionyſius Exiguus non poſt ſexquiſeculum, ſed vix poſt ſeculum, aut ne vix quidem, ſed ante ſeculum exactum in albo *Canonum L.* Canonem illum 73. non deſcripſit; nimirum quia nec Græca Collectio, quam ipſe in Latinum ſermonem convertit, illum habebat; quando Canonum illorum incrementum, aliorumque 35. additamentum noſcitur factum fuiſſe poſt Dionyſium anno circiter DL. ab Joanne Antiocheno.

XIV. *Canones duos pro Rebaptiſmo memoratos cur neque Marcionitæ, neque Cataphryges, aut Novatianenſes, aliive Hæretici fingere valuerint* =

QUæ cum ita ſint, conſtetque nos modo habere & Dionyſianam *L. Canonum* Collectionem, & acceſſionem *XXXV. Canonum* Jo: Antiocheni eo quidem modo, quo primitus illæ prodierunt; majorem in eis perturbationem noviſſimis temporibus a Scriptoribus factam videre non queo, niſi id eorum annotationibus, commentariiſque tribuatur. Quemadmodum extra omnem controverſiam eſſe debet, Canones duos, de quibus in præſentia diſputatur, ab Hæreticis non fuiſſe confictos præſertim a Marcioniſtis, quorum rebaptizandi ratio prorſus diverſa erat ab ea, de qua Canones illi perhibent; ut alias etiam indicavi: S. enim Epiphanius hær. 42. ita de Marcione ſcribit: *Non ſolum autem unum lavacrum apud ipſum datur, ſed etiam tria, & ultra dare licet apud eos, ſi quis velit. Contigit autem hoc fieri, ut tria lavacra dari permitteret propter ludibrium, quod ſuſtinuit a diſcipulis ſuis... Excogitavit præſtigiator ſibi ipſi ſecundum lavacrum aſſerens, licere uſque ad tria lavacra, hoc eſt baptiſmos dare in remiſſionem peccatorum; quo ſi quis lapſus eſſet poſt primum, pœnitentia acta accipiat ſecundum; & tertium ſimiliter, ſi in delicto poſt ſecundum comperiatur.* Quare cum Marcionitæ ſuos, qui deliquiſſent, pluries baptizare inſtruerentur, excogitare non potuerunt hos duos rebaptiſmi admodum diverſi Canones: Sed nec etiam Cataphryges, nec Novatianenſes, nec alii, quos certo rebaptizaſſe alienæ ſententiæ ſectatores liquet: primum eo quod antiquorum, qui literis aliqua tradiderint, nemo unus id illis affixit; ſed ne ſuſpicatus quidem eſt: deinde cum ſit non ſemel oſtenſum;

& Ter-

& Tertullianum, cum adhuc Catholicam fidem profiteretur, nondumque transfuga factus eſſet; & Firmilianum cum Orientalibus, antequam Novatianus Schiſma conflaſſet, ſententiam duorum Canonum de Hæreticis rebaptizandis propugnaſſe: non eſt, cur illis potius, quam iſtis aſcribendi ſint Canones memorati; qui quoniam orthodoxi erant id temporis, ſanæque opinionis ſaltem in Oriente nequaquam condemnatæ, immo compluribus Conciliis confirmatæ; jure ac merito tribui magis poſſunt Orthodoxis aliorum Canonum Collectoribus, quam Hæreticis præſertim Donatiſtis, quibus ſuperiori num. IV., & alias demonſtravi id nullo modo convenire poſſe; tametſi Cypriani, & Firmiliani Epiſtolas, Synodoſque confinxiſſent. At oſtendi non poteſt, ante Donatiana tempora eos Canones in græco vel codice fuiſſe deſcriptos: Utique, ſed neque contrarium a quoquam probari poteſt; & ſi dictum eſt, atque probatum, ante Donati Schiſma ſententiam Canonum extaſſe; Canones ipſos quoque cur non dicemus, vel quid vetat dicere in codice deſcriptos fuiſſe? Quicunque porro Canones prædictos, aliaque ad hanc quæſtionem attinentia Hæreticis tam facile adſcribere non veretur; videat, ac ſibi timeat, ne non injuria ſubiratus Hieronymus id ei ingerat, quod etiam Ruffino Clementis Romani, Clementis Alexandrini, & Dionyſii item Alexandrini Opera ab Hæreticis corrupta cauſanti repoſuit Apol. I. adverſus eum: *Si conceditur, ut quicquid in libris omnium reperitur, ab aliis corruptum ſit; nihil eorum erit, quorum fertur nominibus; ſed his deputabitur, a quibus dicitur eſſe vitiatum: quamquam & illorum non erit, quorum incerta ſunt nomina; atque ita fiet, ut dum omnium omnia ſunt, nihil alicujus ſit... Et dum omnia ad Hæreticos refers, quid Eccleſiaſticis tribues, quibus proprium nihil relinquis? Et quomodo, inquies, in libris eorum vitioſa nonnulla ſunt? Si me cauſas vitiorum neſcire reſpondero, non ſtatim illos Hæreticos judicabo: fieri enim poteſt, ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint &c.* Equidem miſſos facio *Bonoſianos*, alioſque Hæreticos ex can. 31. Concilii III. Aurelianenſis; & *Bogomilos* in Oriente rebaptizantes, ut refert Euthymius Monachus 2. par. Panop. tit. 23. num. 16., ſed quid quod *Euſebiani*, ſive Semiariani, qui quibuſdam quoque Ariani ſunt; quique potiſſimum in Oriente graſſabantur;

tur;

tur; ut primum ab Eccleſia Orientis in Concilio CP. anno 381., paucisve ante annis in Romano anno 372., atque aliis Provincialibus Occidentis, & Orientis Conciliis condemnati ſunt, & velut hæretici proſcripti; rebaptizare cœperunt Catholicos, quos & ipſi pro hæreticis habere cœperunt? quoniam antea diu inter Catholicos commixti magis Paraſynogæ, aut Schiſmatici, quam hæretici habebantur; propterquod ſcribit S. Epiphanius in fine Operis de Hæreſ., & in Anacephal. num. 8. *Alii ... audent citra univerſalis Synodi approbationem rebaptizare eos, qui ad ipſos accedunt nimirum ab Arianis; quum nondum ſit res ex cenſura Synodi, velut dixi, deciſa; eo quod populi ſint bodieque inter ſe permixti; & multi quidem ſint orthodoxi, verum per ſimulationem Sacerdotibus addicti; donec ſeparatio facta fuerit talis blaſphemæ hæreſis, & tunc contra ipſam decretum ſiet*. Quid quod *Græci* omnes, ac Orientales ſemel ac ab Eccleſia Romana, atque Occidentali ſchiſmate ſeparati ſunt, ſemper rebaptizaſſe dicuntur eos, qui ab Occidentalibus tincti fuiſſent; ut refert Card. Humbertus in Diſput. de Azimo, & Ferment., necnon canon 4. Concilii Lateran. IV. ſub Innocentio III., quod & *Armenos* patrare teſtatur Guido Carmelita lib. de Hæreſ., ut & *Ruthenos* utpote a Græcis edoctos; nec non *Æthiopes*, qui nunc Abiſſini vocantur? Undenam morem hunc hauſerunt? ex Cataphrygibus, ex Novatianenſibus, ex Donatianis, aut conſimilibus, quorum commercium, & errores omnino refugiebant Græci? plane non arbitror; ſed ex immemorabili illa conſuetudine in Synnadenſi, & Iconienſi, aliiſque pluribus Conciliis ſeculo Eccleſiæ III. ineunte firmata ab orthodoxis Antiſtitibus; unde & Canones duos de hac ipſa re prodiiſſe credendum eſt.

XV. *Donatiſtis itidem ut horum Canonum confictio aſcribi non poteſt, ita nec Sinveſſanæ Synodi commentum* =

ID vero, quod objectum eſt; (neque enim fieri poterat, quin objiceretur;) Canones illos duos a Donatiſtis minime confingi potuiſſe; cum nunquam illos Donatiſtæ poſt Collationem Carthaginienſem in ſuam ipſorum defenſionem attulerint; grave quidem eſt, ac opportune dictum: tamen quoniam nonnullus, perſpicax qui ſit, aut pervicax, reſpondere

dere poſſet, confictos illos a Donatiſtis poſt Carthaginienſem Collationem, atque etiam fortaſſe productos, quamquam id ignoratur; non enim omnia omnibus innoteſcunt; vel ſi non producti; confictos nihilominus animo producendi eos, quoties occaſio ferret; quandoquidem etiam poſt memoratam Collationem diu ſecta illa duraſſe pernoſcitur: extant graviora momenta, quæ Canones prædictos Donatiſtis abjudicant; quæque jam alias ſatis explicata fuerunt; opuſque non eſt, nec etiam placet toties recoquere dicta. Nam quod *Sinveſſanæ* Synodi confictio ſumma eruditorum conſenſione Donatiſtis magnis, multiſque argumentis adjudicetur; id ſibi habeant, ut volunt: ita quidem ſenſiſſe dicuntur ex Heterodoxis Magdeburgenſes, & Angli; ex Catholicis vero nonnulli apud Baronium, poſtea & Lupus in Schol. ad V. Concilium Romanum S. Gregorii VII. Can. XIV., & Noris in Hiſt. Donat. par. 1. cap. 7., ſed iſti dicunt arbitrarie, vel potius conjiciunt, quam quicquam probent; tam abeſt, ut multis, magniſque argumentis id faciant: neque enim neceſſe eſt, ſi Donatiſtæ calumniarum in Marcellinum artifices fuerunt, quod itidem fuerint & Actorum Synodi Sinveſſanæ. Præclare mihi ſane, ac erudite videntur feciſſe nuperi Veronenſes Operum Card. Noriſii editores, iidemque adnotatores, dum tom. IV. in additamento ad locum Hiſtoriæ Donatianæ proxime laudatum negant, Donatiſtas Concilii Sinveſſani confictores eſse potuiſse; ſuſpicanturque illud excogitatum eſſe poſt Acta purgationis Sixti Papæ III. in Romano ejuſdem furfuris Concilio factæ; quæ ex eodem fonte ſcatere judicantur ex ſtylo. Ego autem habeo, quo probem, initio ſeculi VI. nondum Romæ, ac in Occidente commentitia illa Sinveſſana Marcellini, & Romana Sixti Papæ Acta innotuiſſe, ac publicata fuiſſe; nam Ennodius Ticinenſis Diaconus in Libello Apologetico pro Symmacho Romano Pontifice anno 502. compoſito, & in Romana ejuſdem Symmachi Synodo V. recitato, unaque ab omnibus Italiæ Epiſcopis approbato inquit: *Sedis Apoſtolicæ Præſulem minorum nunquam ſubjacuiſſe ſententiæ:* adjecitque; *novam deinde culpam, & quam inveſtigatio noſtra tranſierit, recluſiſti. Quare Papa ſine exempli inſtituto præcedentis Synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognoſceret:* Similiter Epiſcopi Italiæ in Relatione ad Regem Theodori-

doricum, quæ legitur poſt ipſius Symmachi Concilium III., ſcribunt: *maxime quia res nova eſt; & Pontificem Sedis iſtius apud nos audiri, nullum conſtat exemplum*. Ex quibus manifeſtum eſt, Acta illa Sinveſſana aut nondum anno 502. conficta fuiſſe, aut nondum palam producta; alioquin Italici Epiſcopi non dixiſſent rem novam eſſe, & ſine præcedenti exemplo, Symmachi Romani Pontificis cauſſam audiri, cognoſcique in Synodo a ſubjectis Epiſcopis; ſi jam innotuiſſet ipſis, Marcellini Papæ cauſſam olim in Sinveſſana diſcuſſam Synodo fuiſſe. Cujus quidem impoſtoris tanta imperitia eſt, confuſio, atque dictorum repugnantia tanta; ut neque Catholicis, neque Hæreticis ipſis etiam Donatiſtis ea uſui eſſe dignoſcatur; quum inter alia habeat: *nemo enim unquam condemnavit Pontificem, nec Præſul Sacerdotem ſuum; quoniam prima Sedes non judicabitur a quoquam*: & tamen antea dixerat: *ſubſcripſerunt igitur in ejus* [Marcellini PP.] *damnationem, & damnaverunt eum extra Civitatem. Sacerdos nomine Melchiades Epiſcopus ſubſcripſit primus in ejus damnationem non tantum pro hoc tempore, quod exigebat ordo, ſed etiam in exemplum futuri temporis*. Et cum Melchiadem; quem Donatiſtæ, a quo judicati ſunt, atque damnati, maxime traditionis, & thurificationis cum primis criminabantur; præ cæteris reum facere Acta illa debuiſſent; de eo criminis inſimulato ne verbum quidem habent: adeo a vero diſtat, ea Acta a Donatiſtis commenta fuiſſe, quorum ad cauſſam nihil conducere noſcuntur.

PARS II.

Digitized by Google

PARS II.

De Papæ judicio comparate ad Concilium pro vindicando S. Auguſtino ab oppugnatione nuperrimi Defenſoris Gallicanæ Declarationis.

I. *Ad dictum S. Auguſtini, quo Gallicanus Defenſor ad Romani Pontificis poteſtatem extenuandam abutitur, ſupervacaneum eſt hypotheticum ſyſtema* =

AD factum S. Cypriani, quo is in controverſia de Hæreticorum baptiſmo Stephano Papæ refragatus eſt; & quo ſumma Romani Pontificis poteſtas, ac authoritas lædi putatur; poſtquam facile ſe ſe Cypr. Vindex extricavit, exilivitque conatus oſtendere falſas, ſuppoſitaſque omnes Epiſtolas, in quibus illud factum invenitur: ad dictum S. Auguſtini, qui Cypriani factum conceſſiſſe probatur; & quo nuperus *Declarationis Gallicanæ* Defenſor abutitur ad Romani Pontificis comparate ad Concilium authoritatem, ac in judiciis certitudinem, ſeu, ut ajunt, *infallibilitatem* extenuandam; hypotheticum ſyſtema excogitavit; quo & Auguſtini doctrinam, & Romani Pontificis authoritatem in tuto collocaret. Nobis autem illud faciendum erit, ut quemadmodum ad ſuperiores Diſſertationes demonſtravimus, & Cypriani Epiſtolas veras eſſe; & ſummam Romani Antiſtitis authoritatem nullo modo ex Cypriani facto labefactari: ita hoc loco doceamus, & Auguſtinum hypothetico ſyſtemate ea in quæſtione nequaquam uſum eſſe; & nihilominus tamen ex dictis ejus nullum Pontifici Romano negotium creari. Quapropter, cum Auguſtinum abſolute, non in hypotheſi factum Cypriani cum Stephano admiſiſſe; & hypotheticum illud ſyſtema falſum ſimul, & ſupervacaneum eſſe, jam ad Propoſ. II. Theorem. II. ſit demonſtratum; nil mirum, ſi duplex Auguſtini adverſus Donatiſtas ſyſtema abſolutum, & hypotheticum a Defenſore *Declarationis Gallicanæ* minime perſpectum fuerit; quando quidem nullum erat, quod perſpici poſſet; & ſi quoque fuiſſet ab aliquo commentum, vidiſſet homo nequaquam tardus, & obtu-

obtuſus, nihil ex eo confici potuiſſe pro Romani Pontificis authoritate tuenda. Sunt enim plurima loca, & authoritates S. Auguſtini, quibus in quæſtione baptiſmi Hæreticorum ipſe ad Eccleſiæ Concilium, non ad Stephani Papæ decretum confugit, ut vidimus ad Propoſ. II. Theorem. VI., quarum duas tantum retulit Gallicanus Defenſor ex lib. 2. S. Auguſtini de baptiſmo cap. 4. & *9.*, & quas omnes velle hypothetico ſyſtemate explicare, eſt rem a vero prorſus detorquere; obliquam adhibere interpretationem; illicque trepidaſſe *timore, ubi non erat timor:* nullus enim hic nodus eſt, & nullus Oedipus neceſſarius; cum facilis, & obvia ſit Auguſtinianæ lectionis interpretatio; quam quidem, mirari eſſet, a Defenſore Gallicano acuto, & erudito viro non eſſe mente perceptam; niſi ſuſpicari quis poſſit, eſſe potius ab eo diſſimulatam, quam ignoratam; ut poſtea clarius videbitur. Itaque quum dicitur, neutiquam fieri potuiſſe; ut quiſquam ex hypotheſi tam firmum ad probandum erueret argumentum, quin inde quicquam incongruens ſequeretur; non ſane intelligo, quomodo probetur, aut probari poſſit. Nam quod ex falſo abſolute ſumpto falſum abſolute ſequatur; nemo eſt, qui neget, nemo, qui dubitet: ſed ex falſo in hypotheſi ſumpto & verum abſolute nonnumquam dignoſci poteſt, & non ſemper inde quidquam inconveniens conſequi neceſſe eſt. Quid enim amabo incongruens exſurgit ex hac hypotheſi, quæ falſum aſſumit; *ſi Deus Pater non gigneret, adhuc diceretur ingenitus*, ut eſt apud S. Auguſtinum lib. 5. de Trinit. cap. *6.*? tunc quidem ſequeretur inconveniens, cum falſum ſumeretur in hypotheſi, ex qua alterum conſequi natura ſua, &, ut ajunt, per iocum intrinſecum repugnaret; velut *ſi Deus non eſſet, adhuc Sol orietur*, orbeſque ſuos ageret: Quare etiamſi ponatur Auguſtinus ſumere falſum in facto Cypriani, cum id ponatur ſumere in hypotheſi prioris modi; non eſt neceſſe, ut inde quicquam incongruens ſequatur; tametſi quantum hæc ab illa hypotheſi diſtet certo quodam genere, nemo non videt. Cæterum in priori Diſſert. cap. I. eſt quidem nodus a Vindice ſolutus, ſcilicet Auguſtini locus de *Concilio Plenario*, cui Cyprianus acquieviſſet, eſt de Arelatenſi I. explicatus; ſed ibi nos quoque demonſtravimus, Concilium Plenarium, de quo loquitur Auguſtinus in ea Cypriani quæſtione contra Do-

Donatiſtas fuiſſe *Nicænum*, non Arelatenſe; & ſi etiam Arelatenſe fuiſſet; ex eo tamen præſidii nihil haberetur pro Auguſtinianæ cauſſæ defenſione: nam agat Auguſtinus ibi quantumvis de Arelatenſi Concilio Donatiſtis, qui a Romano Melchiadis Papæ ad majus judicium provocarint, concedendo; perſequaturque etiam hypotheticum ſyſtema, non abſolutum; non propterea ad conciliandum intellectum admittit Stephani Papæ decretum, & authoritatem ſuffeciſſe; immo contrarium aſtruit, dum ait, non tam vecordem, ac pervicacem fore Cyprianum, ſi factum fuiſſet plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ut illi refragaretur; quando Stephani decreto refragatum eſſe concedit. Replicas: *in hypotheſi* loquitur Auguſtinus: id jam permiſſum eſt; ponit igitur, putatque Cyprianum Stephani decreto repugnare potuiſſe, non potuiſſe Concilio ſaltem in hypotheſi; ſed quorum? Donatiſtarum; ſi id ipſi nunquam aſſeruerunt?

II. *Gallicani Defenſoris*, & *Cypriani*, *Firmilianique Vindicis lapſus collatio. Hujus hypotheticum ſyſtema convellitur* =

UTique defenſionis *Gallicanæ declarationis* Author ex verbis S. Auguſtini aſtruit plenarii Concilii neceſſitatem, ne Cyprianus in quæſtione ea de baptiſmo Hæreticorum erraret; & etiam verum eſt, ſummæ Romani Pontificis authoritati nihil Auguſtini verba derogare; ſed id non ideo, quod Auguſtinus ſit in hypotheſi locutus; verum alia de cauſa, quæ poſtea dicetur. Nec memoratus Defenſionis Author miſere permiſcet, aut doloſe duo Auguſtini ſyſtemata abſolutum, & hypotheticum; cum iſtud hoc non extaret, cui alterum miſceri poſſet; ſed perperam ex ea plenarii Concilii neceſſitate cenſet, ſcribitque ſummam Romani Pontificis authoritatem imminui. Ipſe quidem Cypr. Vindex hic cauſſam duplicem, quam Auguſtinus adverſus Donatiſtas agitavit, volens, nolenſve permiſcet, & cauſſam ſchiſmatis, ſeu Cæciliani, & cauſſam rebaptiſmi, ſive Cypriani: Non enim eo loco a Defenſore Gallicano producto agit Auguſtinus de Concilio Arelatenſi Donatiſtis dando, qui in cauſa Cæciliani a judicio Meltiadis ad plenarium Concilium provocaſſent; ſed de Cypriano in cauſſa rebaptiſmi, quem dicit

cit non erraturum, ſi plenarium Concilium ſuo tempore factum fuiſſet, uti factum fuerat tempore Donatiſtarum; qui tamen in ea quæſtione adhuc errabant. Et quum iſti Catholicis objiciebant *Cypriani literas*, *Cypriani ſententiam*, *Cypriani Concilium*, id erat in cauſſa rebaptiſmi; quum autem judicio *Meltiadis Papæ* non acquieſcebant, erat in cauſsa ſchiſmatis, ac Cæciliani; in qua quoniam Donatiſtæ Plenarium Concilium non appellarunt præſertim poſt Romanum judicium, ut quibuſdam, ipſique Vindici placet; non video, cur illis proponi debeat hypotheticum Cypriani exemplum, qui Stephani decreto in cauſsa rebaptiſmi non acquievit, acquieviſset autem Concilio Plenario, ſi factum fuiſset? maxime etiam quod Schiſmatici illi nunquam refragati ſunt judicio Miltiadis uti Papæ, ſed ut unius ex XIX. Judicibus Romanis: dictum eſt enim ad num. XXIV. cap. I. Diſsert. I. eum in Romano judicio ſediſse velut privatum judicem, non ut ſummum Pontificem, ac controverſiarum Eccleſiæ ſupremum Judicem; propterquod S. Auguſtinus Epiſt. 43. al. 162. Romanum XIX. Epiſcoporum judicium pro Cæciliano factum cum judicio Africano LXX. Antiſtitum contra eum acto conferens inquit: *conferte nunc iſtam paucitatem cum illa multitudine Epiſcoporum; neque numerum numero, ſed pondus ponderi comparate: hinc modeſtiam, inde temeritatem; hinc vigilantiam, inde cæcitatem:* cur non oppoſuit Romani Pontificis authoritatem, quæ ſola omnes oppreſſiſset? Ais, Auguſtinum agere in hypotheſi Donatiſtarum, qui Schiſmaticorum, & Hæreticorum more Romani Pontificis ſententiæ non ſteterunt. Verum Donatiſtæ ſive agnoverint, ſive non, ſummam Romani Antiſtitis authoritatem, & Primatum nunquam inficiati ſunt; & Melchiadem Papam ſummam poteſtatem non habere nunquam dixerunt; ſed traditoris labe conſperſum dumtaxat eſse voluerunt: quocirca initio eorum diſsenſionis cum a Romana, ac univerſa Eccleſia nondum defeciſsent; ideoque cum nedum Hæretici, ſed nec etiam Schiſmatici eſsent; ſe enim *a Catholica præciderunt*, poſtquam victi fuerunt in judicio Conſtantini Imp., ideſt poſt Arelatenſe judicium, teſte S. Auguſtino lib. I. contra Parmen. cap. II., murmurarunt non de unius Melchiadis judicio, ſed de Judicibus Epiſcopis, qui Romæ judicarant, admodum *paucos* fuiſse; & ſuam cauſam ab eis *non penitus* cognitam extitiſ-

titiſse: quod non dixiſsent, ſi ibi Melchiadem uti ſummum Pontificem judicaſse crediдiſsent; qui cum ſit Epiſcopus Epiſcoporum, ſupremuſque cauſarum Eccleſiaſticarum Judex, ubi ipſe judicium fert, omnes Epiſcopi judicare cenſentur. Qua in re hypotheticum ſyſtema excogitatum non aufert abſurdum, ſed auget; ponit namque Cyprianum pluris factürum fuiſſe Plenarii Concilii ſententiam, quam ſententiam Romani Pontificis; ſi quidem illi acquieviſſet, huic vero nequaquam: nec potuiſſent Donatiſtæ reprehendi, quod Melchiadis Papæ judicio non ſteterint, quippe qui Auguſtino repoſuiſſent: nobis concedis, licuiſſe Cypriano Stephani PP. decreto non obtemperare; igitur & illud concedas oportet, nobis licuiſſe, Melchiadis PP. judicio repugnare: itemque; ſi potuit ille, ut permittis, Romani Pontificis ſententiæ refragari; cur non potuit & refragari ſententiæ Plenarii Concilii? aut ſi huic reſiſtere non potuiſſe dicis; igitur ſentis authoritatem Concilii majorem eſſe authoritate Papæ; cenſeſque Cyprianum pluris facturum eſſe Concilii, quam Papæ judicium, ac ſententiam. Quare quod S. Auguſtinus ſcripſerit ad Glorium, & alios Epiſt. 43. al. *162.*, *dedit ille aliud Arelatenſe judicium aliorum ſcilicet Epiſcoporum*, *non quia jam neceſſe erat &c.*, non evertit ea, quæ hactenus dicta ſunt; cum ad num. XXIV. cap. I. ſit explicatum, propterquid Arelatenſe judicium neceſſe non erat: Nec ſatis conſtat; an B. Melchiadis ſententia, quam ibi Auguſtinus *ultimam* appellavit, ultima dicenda ſit, quia peremptoria; vel quia ultimo loco, & poſt omnes alios judices prolata ſit. Nam ſi ea in cauſſa alterius judicii permiſſio illicita fuiſſet; non dixiſſet Auguſtinus, aliud judicium Arelatenſe datum eſſe, non quod *jam neceſſe* eſſet; id enim de iis, quæ ſupervacanea ſunt, aſſeritur; at dixiſſet, non quod jam *decens, licitumque* eſſet; addidiſſetque id præpoſtere, ac perverſe, impieque factum. Et ſi Melchiadis PP. ſententia peremptoria fuiſſet; num ipſe Melchiades, aut ejus ſucceſſor Sylveſter ſiviſſet, a Conſtantino aliud Donatiſtis judicium dari in futurorum temporum, judiciorumque Eccleſiaſticorum detrimentum, ac deteſtandum exemplum? num ipſe Conſtantinus Imperator piiſſimus id indulſiſſet?

III.

III. *Provocationem a Papæ judicio ad Concilium in cauſſa meri facti fruſtra fieri non colligitur ex loco Epiſt. 43. S. Auguſtini ad Glorium &c.. Defenſoris Gallicani, & Vindicis Cyprianici paralogiſmus* =

PОrro verum eſt quidem, Auguſtinum eo loco ſententiam Romani judicii pro Cæciliani cauſſa latam vindicare, non cauſſam Rebaptiſmi; & Arelatenſis Concilii neceſſitatis inficiationem factum, non jus ſpectare: ſed perſpicuo Auguſtini judicio ſupervacaneam eſſe provocationem a Papæ judicio ad Concilium in cauſſa meri facti, falſum eſſe dico, id colligi ex memorato loco: nam non iccirco ipſe ſcripſit, aliud Arelatenſe judicium poſt Romanum non fuiſſe neceſſarium, quod jam in Romano judicio *ultima* ſententia per Melchiadem Papam eſſet pronunciata; ſed alia de cauſſa, quæ paulo poſt videbitur. Quoniam quum omnes in id conſpirent, ut ultro fateantur, Romanum Antiſtitem in cauſſa meri facti errare poſſe, ac erraſſe; quis unquam ſibi perſuaſerit, Auguſtinum docuiſſe, irritam, ac inanem fore in ea cauſſa provocationem a Papæ judicio ad Concilium? præſertim quum diſputabat cum Donatiſtis, aliiſque conſimilibus, quibus interdum conceſſit, vel concedere potuit licuiſſe provocationem a Papæ judicio ad Concilium nedum in cauſſis factis, ac diſciplinæ, verum etiam in cauſſis juris, & fidei, habita temporum, ac perſonarum, cum quibus diſceptabat, ratione. Propterea perperam quidem *Declarationis Gallicanæ* Defenſor ex eo quod; quum Romæ Cæciliani cauſſa coram Melchiade Papa cognita fuiſſet, ejuſque judicio Donatiſtæ victi, atque damnati; S. Auguſtinus ea Epiſt. 43. ſubjungat: *reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium:* deducit abſolute; ergo ex Auguſtini mente licet a Papa ad Concilium provocare: ſed nec minori paralogiſmo laborat ipſe Cypriani Vindex, dum ex ejuſdem Auguſtini verbis Epiſt. 105. ad Donat. cap. 2. *iterum Imperator alios judices Epiſcopos dedit apud Arelatem Galliæ Civitatem; & ab ipſis veſtri ad ipſum Imperatorem appellarunt &c.* exputat, aliquem poſſe contra Gallicanum Defenſorem ita argumentari; ergo ex Auguſtini mente licet a Concilio ad Imperatorem appellare. Nam Defenſor facile reſpondebit; valde diſparem eſſe rationem; Epiſt. 43. ſcribere Auguſtinum,

quid

quid agendum eſſet in hypotheſi, quod Epiſcopi Romæ non recte judicaſſent; Epiſt. vero 105. narrare ſolum, quid egerint Donatiſtæ poſt Arelatenſe judicium in eos actum: primo loco haberi mentem Auguſtini; at ſecundo loco haberi factum Donatiſtarum ab Auguſtino relatum: qui non ait, poſt judicium Arelatenſe reſtaſſe adhuc judicium Imperatoris adeundum, ut inde quiſpiam ducere poſſet, & inferre: ergo ex Auguſtini mente licet a Concilio ad Imperatorem appellare; ſed ſcribit, Donatiſtas ab eo judicio ad Imperatorem appellaſſe: primo autem loco ex hypotheſi, quod Romæ non bene judicatum eſſet, probe dicit Auguſtinus reſtaſse adhuc plenarium Concilium, proptereaquod a minori ad majus judicium provocare fas eſt; & juxta canonem XII. Antiochenum minus Concilium a majore cognoſci, judicarique oportet; Conciliaque *priora ſæpe a poſterioribus* emendari tradit S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 3. Neque id fuiſset a Papa ad Concilium appellare, ut perperam exiſtimat Defenſor Gallicanus; ſed a Concilio ad Concilium, & a Papa ad Papam; atque, quod ajunt, *iterum audiri;* tam enim Romano judicio, quam Arelatenſi præfuit Romanus Pontifex illi quidem per ſe ſe, iſti vero par Legatos. Sic nec arbitror, Defenſorem Gallicanum hypotheſim Auguſtini, *Ecce putemus omnes Epiſcopos &c.*, diſſimulaſse; quippe quæ adeo manifeſta eſt, ut diſſimulari non poſſit: ſed air, ex ea Auguſtini hypotheſi probe elici, Papæ judicium ab univerſali Concilio retractari poſse: neque peccat, quod ex falſo in hypotheſi aſsumto conſecutionem eruat abſolutam: ex hac enim hypotheſi falſa, *ſi Deus non eſſet Trinus, eſſet adhuc omnipotens;* annon eruitur conſecutio abſoluta, & vera, *ergo omnipotentia appoſitum Deitatis eſt, non Trinitatis?* ſed quod puter ex ea haberi, ſemper, & quibuſcunque in cauſis Papæ judicium a Concilio reformari poſse, ac retractari.

IV. *Variæ S. Auguſtini hypotheſes adducuntur, & expenduntur. Tam ipſe, quam Jo: Duns Scotus explicantur* =

Quantum autem ad duas alias S. Auguſtini hypotheſes, quæ hic adducuntur a Vindice; primum ajo, Auguſtinum primo loco ex lib. 1. de Baptiſmo cap. 1. de-

promto loqui magis abſolute, quam hypothetice: quia quamvis particula *ſi* plerumque nota ſit hypotheſis, conditionaliſque conjunctio, non tamen ſemper ita eſt; & quidem eo Auguſtini loco æquipollet theſi abſolutæ: quippe quod dicere; *ſicut autem baptizatus, ſi ab nnitate receſſerit, Sacramentum baptiſmi non amittit*; idem eſt perinde, atque dicatur, *ſicut autem baptizatus ab unitate recedens*, vel *qui ab unitate recedit*, ſeu *cum ab nnitate recedit, Sacramentum baptiſmi non amittit*; uti habetur lib. 2. contra Parmen. cap. 13. *recedens ab Eccleſia baptiſmum non amittit*: quod etiam affirmandum eſt de altera parte, quæ ibi ſequitur; *ſic etiam ordinatns, ſi ab unitate receßerit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit*; quæque æquipollet huic; *ſic etiam ordinatns ab unitate recedens*, vel *qni ab unitate recedit*, ſeu *cum ab unitate recedit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit*: idque perſpicue liquet ex ſecunda ejuſdem ſententiæ parte, quæ ita habet; *ſicut ergo acceptatur baptiſmus, quem non potnit amittere, qui ab unitate diſceſſit; ſic acceptandus eſt baptiſmus, quem dedit ille, qni Sacramentnm dandi, cum diſcederet, non amiſerat*: ubi Auguſtinus, qui ſupra dixerat; *ſi ab unitate receſſerit*; hic ait, *qui ab nnitate diſceſſit*; & *cum diſcederet*: quod idem habet lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. ſcribens: *baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt; quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent*: præſertim quod ſupra lib. 1. de Baptiſmo cap. 1. præmiſerat; *Sacramentum baptiſmi eſt, quod babet, qui baptizatur; & Sacramentum dandi baptiſmi eſt, quod babet, qui ordinatnr. Sicut antem baptizatus &c.* Deinde ſive in hypotheſi loquatur ibi Auguſtinus, ſive abſolute; non propterea ejus ſententia eſt, ſolos Diaconos, & Præsbyteros baptiſmum dare poſse; ſed ſolos ordinatos eſse baptiſmi *ordinarios* Miniſtros, nempe Epiſcopos, & Præsbyteros, vel etiam ut illis temporibus Diaconos; quos oſtendit non amittere jus dandi baptiſmi, cum ad Hæreticos, aut Schiſmaticos transfugiunt; quemadmodum baptizatus, ſi fiat Hæreticus, vel Schiſmaticus, Sacramentum baptiſmi non amittit. Quocirca nec aliud innuit etiam Jo: Scotus in 4. diſt. 5. q. 1., cum de S. Cypriano dicit: *ratio enim ſna non valet, ſcilicet quod quis non babet, non poteſt dare; quia baptizans non dat gratiam, ſed Sacramentum; & illud babet in virtute, quia babet ordinem*:

urpo-

utpote qui non loquitur in hypotheſi Donatianorum. Ex altera vero hypotheſi lib. 7. de Baptiſmo cap. 54., qua Auguſtinus oſtendit; *ſi mali bonos in unitate contaminant, nullam jam Eccleſiam inveniri:* quod etiam ſcribit lib. 2. cap. 6. *ſi ergo tali communione malorum pereunt juſti, jam Eccleſia temporibus Cypriani periit... Si autem erat Eccleſia, nihil obeſſe mali bonis in una communione potuerunt:* & lib. 3. cap. 2. *ſi temporibus Cypriani perdidit Eccleſiam malorum communio, non habent iſti ſuæ communionis originem; ſi autem non perdidit, non habent præciſionis aliquam defenſionem:* certum eſt, neminem jure argumentari, Eccleſiam Chriſti contaminari poſſe, iccirco quod de re ſit, quæ neque eſt, neque eſſe poteſt. Multæ enim, & diverſæ ſunt hypotheſes; aliæ, quantum quidem ad rem noſtram attinet, de re, quæ ſane ſi non eſt, tamen poteſt eſſe; aliæ vero de re, quæ nullo modo unquam eſſe poteſt: id autem, quod abſolute eſſe non poteſt; facta etiam hypotheſi de eo, non proinde ſit, ut ipſum eſſe poſſit abſolute; ſed ſi poſſet eſſe, hypotheſis oſtendit ſecuturum id, quod ſequitur ex iis, quæ abſolute eſſe poſſunt: ut ſi Mundus non eſt factus, neque Sol factus eſt: aut ſi non eſt Deus, nec etiam Mundus extat. Non ita vero in hypotheſi eorum, quæ contingunt, poſſuntque eſſe, & non eſſe; ut eſt illa hypotheſis ſuperior: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe:* nam etſi revera Epiſcopi illi boni judices fuerunt, tamen potuerunt eſſe mali: ecquis enim erit, qui illos in cauſſa meri facti, quamquam inter eos eſſet Romanus Epiſcopus, errare non potuiſſe velit aſſeverare? in hypotheſi igitur quod erraſſent, ait Auguſtinus, *reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium;* quod profecto nedum non eſt inconveniens, ſed & non ſemel factum. Præterea præſens hæc hypotheſis *ſi mali bonos &c.* cum alteri oppoſitæ ſit copulata, habeatque ita: *ſi enim mali bonos in unitate contaminant, nullam jam Eccleſiam, cui ſociaretur, vel ipſe Cyprianus invenit: ſi autem mali bonos in unitate non maculant, nullam cauſam ſeparationis ſacrilegus Donatiſta proponit:* æquipollet illi, quod idem Auguſtinus dixerat antea lib. 5. cap. 1. *neceſſe eſt, ut unum dicatur ex duobus, aut periiſſe jam tum Eccleſiam talium communione maculatam; aut non obeſſe cuiquam in unitate permanenti aliena etiam nota*

 pec-

peccata: & lib. 2. cap. 7: *contaminabat Cyprianum ſacrilegium Schiſmaticorum; an non contaminabat? ſi contaminabat; jam tunc periit Eccleſia; non erat, unde propagaremini: ſi autem non contaminabat; quomodo ſcelere alieno poſſunt in unitate contaminari innocentes? ſi ſchiſmatis ſacrilegio non poſſunt; quare ergo vos ſeparaſtis?*, vel quod ſcripſerat lib. 2. cap. 6. *ſi noſtra ſententia de baptiſmo vera eſt, omnes &c., ſi autem veſtra ſententia de baptiſmo vera eſt, Cyprianus &c.* At cum idem Epiſt. 52. al. 170. ad Severinum de Donatiſtis ſcribit: *ſi vera crimina objeciſſent Collegis ſuis, majores eorum, qui ſchiſma fecerunt, ipſi obtinuiſſent cauſſam ſuam apud Eccleſiam tranſmarinam:* quis eſt, qui ex hac hypotheſi jure argumentari non poſſit; ergo ex Auguſtino Donatiſtæ cauſſam obtinere potuerunt apud Eccleſiam tranſmarinam? eo quod hypotheſis ſit de re, quæ eſse potuit; illa vero, quæ impoſſibilium eſt, fingi quidem poteſt, ſed nunquam eſse ullo modo: ut illa quoque lib. 1. de Baptiſmo cap. 18., ubi de S. Cypriano tradit, *a cæteris diverſa ſentientibus* in quæſtione baptiſmi Hæreticorum *ſeparata communione* non ſe disjunxiſset; *& ſi ſe ille ſeparaſſet; quam multi ſequerentur; quantum ſibi nomen inter homines faceret; quanto latius Cyprianiſtæ, quam Donatiſtæ vocarentur?* vel altera lib. 2. ad Bonifacium contra duas Epiſt. Pelag. c. 3. *Sed ſi, quod abſit, ita tunc fuiſſet de Cæleſtio, vel Pelagio in Romana Eccleſia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipſis, & cum ipſis Papa Innocentius damnaverat, approbanda, & tenenda pronunciarentur; ex hoc potius eſſet prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda.*

V. *Ejuſdem Auguſtini locus, quo tradit* Plenaria Concilia priora ſæpe a poſterioribus *emendari*, *interpretatur*

QUamobrem ſi Gallicanus Defenſor hypotheticum Auguſtini, vel potius quod Auguſtino affingitur, ſyſtema ſomniaſset; eadem prorſus ſcripſiſset; quæ in hujus Auguſtiniani loci tractatione ab eo exarata legimus. Quoniam cum tria ipſe ponat; quorum duo recte ſunt conſtituta, & Auguſtinum eo loco agere de *Plenario Concilio*; & per illud nonniſi Nicænum indigitari; tertium vero improbatur,

batur, quæſtionem nempe de Hæreticorum baptiſmo ne ab ipſo quidem Cypriano, ejuſque Collegis adiaphoram creditam fuiſse, quod ſuperioribus diſputationibus exploſum eſt; minime in anguſtum redigi poteſt authoritate S. Auguſtini lib. 2. de Baptiſmo cap. 3., ubi docet *Concilia Regionum, & Provinciarum plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere: ipſaque Plenaria ſæpe priora a poſterioribus emendari*; perinde quaſi exiſtimaverit Auguſtinus, plenarium Concilium errare poſse; ob idque fruſtra a Papa ad Concilium fieri provocationem: nam Auguſtinus ibi loquitur de Conciliis Plenariis, & Univerſalibus non Illis, quæ ab univerſa Eccleſia recipiuntur; ſed quæ quum pro univerſo Orbe indicta fuiſsent, ipſis poſtmodum aliquid defuit, quo minus ab univerſa Eccleſia ſuſciperentur; ideoque nec Oecumenica dici, ac eſse potuerunt, ut Sardicenſe, Sirmienſe, Mediolanenſe, Ariminenſe, & conſimilia. Idque eſt, quod ipſe ſcribit lib. 3. contra Maximinum Arianum Epiſcopum cap. 14. ὁμοούσιον in Nicæno Concilio firmatum; in Ariminenſi Hæreticorum fraude tentatum, ut labefactaretur; ſed alibi ſcilicet in Synodo Conſtantinopolitana I. magis confirmatum fuiſse. Quomodo enim per *plenaria ſæpe priora a poſterioribus emendari* Auguſtinus intelligere potuit Concilia vere Oecumenica; ſi ſuo tempore nonniſi unum *Nicænum* ſecundum Latinos, Afros, & Occidentales, ut alias oſtenſum eſt ad num. XXVII. cap. I. etiam authoritate S. Innocentii Papæ pro Oecumenico habebatur? Quippe Arelatenſe I. dictum eſt a nemine unquam antiquorum pro Oecumenico reputatum; & ſi quoque fuiſset, aut nihil in eo per Nicænum fuiſse emendatum; aut ſi quicquam ejus emendatum a Nicæno legeremus; non propterea dici poſset ab Auguſtino *Plenaria ſæpe priora a poſterioribus emendari*, cum ſemel tantummodo factum fuiſſet. *Conſtantinopolitanum I.* etiam Auguſtini tempore nondum a Latinis, & Afris receptum fuerat; eo quod ei Latinorum, & Afrorum interfuiſset nemo; nonnullaque ſtatuiſſet, quæ iſtis non probabantur: deinde illud non emendavit, ſed confirmavit Nicænum Concilium; & ſi emendaſset etiam, illud idem dici poſset, quod eſt dictum de Nicæno, ſi correxiſset Arelatenſe I., tametſi id fieri poſse negavit S. Leo Magnus Epiſt. 55. ad Pulcheriam Auguſtam de ambitu

Digitized by Google

bitu Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani ſcribens authoritatem Patrum Nicænorum CCCXVIII. eam eſse, *itaut etiamſi multo plures aliud, quam illi, ſtatuere decernerent; in nulla reverentia ſit habendum, quicquid a prædictorum fuerit conſtitutione diverſum:* quod & habet Epiſt. 62. ad Maximum Epiſcopum Antiochenum; iiſque verbis infringit decreta duorum Conciliorum Oecumenicorum Conſtantinopolitani I., & Chalcedonenſis adverſus canonem VI. Nicænum edita de primo loco poſt Romanum Pontificem Conſtantinopolitano Antiſtiti tribuendo. Præterea ſi Auguſtinus de Conciliis vel Oecumenicis loqueretur, intelligendus eſset, *priora a poſterioribus emendari* quantum ad res non fidem, aut jus, ſed diſciplinam, & facta ſpectantes; de quibus ait S. Thomas Quolib. IX. art. 16. *in ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent; ut cum agitur de Poſſeſſionibus, de Criminibus, vel de hujuſmodi; poſſibile eſt judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes:* De ſententiis vero ad diſciplinam attinentibus legi poſsunt, quæ retuli ad num. II. Propoſ. IV. Theor. VI. de Romanis Pontificibus: idque etiam facile hauritur ex ipſius Auguſtini verbis, quæ eo loco ſubjungit: *quum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & convincitur, quod latebat:* experimentum autem factorum eſt, atque diſciplinæ; non fidei, quæ rerum non apparentium argumentum eſt: quapropter cum præmiſerit, *per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis forte a veritate deviatum eſt:* agit ibi de Epiſcopis per Concilia ad rectum tramitem revocandis, ſi quando deviarent; ac de *veritate*, quæ vel in fide relucet; vel in diſciplina, factiſque reperitur.

VI. *Gallicanus Defenſor ex parte rejicitur, & ex parte approbatur. S. Auguſtini pronunciatum de traditione Apoſtolica quomodo exponendum*

Ex cap. vero 4. libri 2. S. Auguſtini de Baptiſmo præpoſtere quidem, & cum errore Gallicanus Defenſor palmarem probationem ſe deprehendiſse jactat ad inficiandum irreformabile Romani Pontificis judicium, & ad aſtruendam ſummam Oecumenici Concilii in fidei, & diſciplinæ quæſtionibus poteſtatem: ſed non ait *Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimam auctoritatem* eſse *Concilium Plenarium;* verum ex Au-

Auguſtini verbis elici dicit, & Cyprianum, & ipſum Auguſtinum ceſſuros fuiſſe *Eccleſiæ Catbolicæ concordiſſimæ auctoritati Concilio Plenario*, ſive conjunctim ſumas, ſive disjunctim, quod haud multum intereſt; nam Concilium plenarium Oecumenicum refert Eccleſiæ Catholicæ authoritatem, & ſi non e converſo; ſiquidem Oecumenicum Concilium nil aliud eſt, quam Eccleſia Catholica congregata ad res deliberandas: quæ pluribus in locis ab Auguſtino diſtinguuntur; ut lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. *nam illis temporibus antequam Plenarii Concilii ſenteutia, quid in bac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet &c.*: & lib. 6. cap. 7. *Quantum potuimus pro univerſitate Catbolicæ conſenſionis, atque Concilii, in cujus unitate iſti tauquam pia membra manſerunt... Nos ergo de baptiſmi ſimplicitate ubique cognoſcendam conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ etiam Conciliis Univerſalibus roboratam tenentes &c.* Erat enim Cyprianus ceſſurus ei Eccleſiæ authoritati, qua Auguſtinus, aliique ſuo tempore baptiſmi Hæreticorum propugnatores firmati erant; hi autem firmati erant *uuiverſæ Eccleſiæ coucordiſſima autboritate* per Concilium plenarium totius Orbis ſolidata; huic igitur Eccleſiæ authoritati per Concilium plenarium ſolidatæ erat Cyprianus ceſſurus: erat & ceſſurus *conſuetudini uuiverſali*, ſeu Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimæ authoritati ſine Concilio, ſi ea extaſſet; verum hæc cum concordiſſima non extaret, repugnantibus univerſis Afris, & fere omnibus Orientalibus, ut pluries declaratum eſt; minus recte ſcribitur, apertiſſime Auguſtinum *conſuetudiuem* deſignare, cui Cyprianus tandem aliquando ceſſiſſet, illis verbis: *quanto citins ipſe cum Concilio Proviuciæ ſuæ univerſi Orbis auctoritati patefacta veritate ceſſiſſet*: quia id manifeſte confutant illa *patefacta veritate*, quæ ſecundum Auguſtinum *per plenarium Concilium* fieri debebat; & ea, quæ antea ſcripſerat cap. 1. ejuſdem libri 2., *cum Petrus illud faciens a Paulo poſteriore corrigitur, & pacis, atque unitatis viuculo cuſtoditus ad martyrium provebitur; quanto facilius, & fortius, quod per univerſæ Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel unius Epiſcopi autboritati, vel unius Provinciæ Coucilio præferendum eſt.* Et quamquam Auguſtini opinio fuit; *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Couciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; nonniſi autboritate Apoſtolica traditum rectiſſime credi*: tamen

quia

quia vir perſpicaciſſimus noverat id a pluribus inficiari poſſe; ut quemadmodum quædam ſunt, quæ ab Apoſtolis tradita eſſe noſcuntur, nec univerſa tenet Eccleſia, veluti ſunt Agapes, & abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato; ita quædam eſſe poſſe, quæ univerſa teneat Eccleſia, nec Conciliis inſtituta fuerint, & nihilominus ab Apoſtolis non eſſe tradita; ſicut videtur, quod ipſe ſcribit de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 24. *Optime Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quam ſalutem, & Sacramentum Corporis Chriſti nihil aliud quam vitam vocant. Unde niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & ex Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum, & participationem Dominicæ menſæ non ſolum ad Regnum Dei, ſed nec ad ſalutem, & vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire:* adjecit, tunc univerſæ Eccleſiæ authoritati *ſine dubio credi; ſi veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidatur*. Cui reſpondent ea, quæ idem lib. 1. de Baptiſmo cap. 7. profert ſuper totius Eccleſiæ conſenſione in Hæreticorum baptiſmo comprobando; *donec plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur; remotis dubitationibus firmaretur:* & lib. 5. cap. 22. *nullo modo præferenda ſunt adverſus totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſionem... donec aliquando in Domini voluntate per plenarium Concilium licet poſt multos annos, quid eſſet rectius, eluceret:* ut & lib. 6. cap. 1. *audeo tamen dicere, eum aliter ſenſiſſe de Schiſmaticis, vel Hæreticis, quam poſtea veritas prodidit, non ex mea, ſed ex univerſæ Eccleſiæ ſententia plenarii Concilii auctoritate roborata, atque firmata*. At Auguſtinus Hæreticorum baptiſmum hac potiſſimum ratione adverſus Donatiſtas vindicavit, quod *ab Apoſtolis traditus* ſit exiſtimatus; idque propterea quod univerſa teneret Eccleſia, non quod a Concilio plenario conſtitutum eſſet: ita profecto; ſed iccirco quod contra Donatiſtas Schiſmaticos, qui plenarium illud Concilium vel non agnoſcebant, vel exſufflabant, diſputabat: verum cum de S. Cypriano diſſerit, quem ex ejus Epiſtolis ſciebat ſenſiſſe eam Hæreticorum baptiſmi approbandi conſuetudinem non eſſe Apoſtolicam, ſed humanam traditionem, ad plenarium Concilium ſe confert. Poſtea ſive Cyprianus ceſſurus eſſet Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimæ authoritati, ſive plenario Concilio ſecundum Auguſtinum; nihil conficitur pro ſumma

Ro-

Romani Pontificis authoritate; cum ſemper Auguſtinus videatur ſentire, pluris facturum fuiſſe Cyprianum authoritatem, roburque totius Eccleſiæ, & plenarii Concilii, quam Romani Pontificis poteſtatem. Quærendum eſt igitur, qua de cauſa id ſcripſerit Auguſtinus, quod videbitur infra num. XVII., & XVIII.

VII. *Quæſtio de Hæreticorum baptiſmo neque tempore S. Cypriani, neque a Stephano Papa declarata eſt* =

EA autem quæſtio de Hæreticorum baptiſmate *eliquata*, *& declarata* fuit non tempore Cypriani, neque a Stephano Papa, ut hoc loco profertur; ſed multopoſt ab illis Epiſcopis, quibus jus eſt declarandarum rerum ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentium. Si enim *primo diutius per Orbis Terrarum Regiones multis hinc, atque hinc diſputationibus, & Collationibus Epiſcoporum pertractari* debuit ipſa quæſtio, antequam ad plenarium Concilium perduceretur, ſecundum mentem Auguſtini loco paulo ante memorato lib. 2. de Baptiſmo cap. 4., quo pacto id fieri potuit ſub Stephano, & Cypriano, ſub quibus mota aſſeritur? ſi Stephani Sedes parum duraſſe ſcribitur; & Cyprianus paulopoſt Martyrio coronatur? & quomodo a Stephano, ſi S. Auguſtinus eodem libro cap. 8. de S. Cypriano ſcribit: *ſed quia non exstiterant, niſi qui ei conſuetudinem opponerent; defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur: noluit vir graviſſimus rationes ſuas etſi non veras... ſed tamen non victas veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere... ſed in tam obſcura quæſtione turbatus, & ubique intuens univerſalem, robuſtamque conſuetudinem coarctaret ſe; & prece, & intentione mentis ad Deum, ut quod poſtea plenario Concilio viſum eſt, id verum eſſe perſpiceret, & doceret?* cum antea cap. 7. dixiſſet: *poſtea vero dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur; non ſolum inventa eſt veritas... poſt Cypriani quidem paſſionem &c.*: & lib. 1. cap. 18. *Cum enim... tantæ virtutis Epiſcopus aliud de Baptiſmo arbitraretur, quam erat inquiſita diligenter veritas firmatura; multique ejus Collegæ, quamvis liquido nondum manifeſtatum, id tamen tenerent &c.*: cap. vero 7. ſcripſerat: *quoniam quæſtionis hujus obſcuritas priori-*

bus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magna charitate præditos patres Epiſcopos ita inter ſe compulit ſalva charitate diſceptare, atque fluctuare... donec plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur: lib. quoque 3. cap. 3. inducit Cyprianum poſt decretum Stephani in III. Concilio Carthagin. dicentem: *opinor utique in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt:* lib. 4. cap. 5. addit: *& ideo vir ſanctus Cyprianus non ſolum doctus, ſed etiam docilis... non dubito, quod ſi iſtam quæſtionem in Eccleſia diu, multumque verſatam cum viris ſanctiſſimis, doctiſſimiſque tractaret, per quos poſtea factum eſt, ut antiqua illa conſuetudo etiam plenario Concilio firmaretur; ſine dubitatione demonſtraret non ſolum, quam doctus eſſet in his, quæ firmiſſima veritate perceperat; verum etiam quam docilis in his, quæ minus adverterat:* demum lib. 6. cap. 7. explicans Concilii III. Carthagin. poſt Stephani decretum celebrati verba inquit de S. Cypriano: *quibus ejus ſermonibus ſatis apparet illo tempore ab eis iſta eſſe tractata, quæ nondum declarata ſine ambagine hauriebantur, ſed adhuc clauſa magno molimine quærebantur:* & lib. 5. cap. 22. *donec aliquando in Domini voluntate per plenarium Concilium licet poſt multos annos, quid eſſet rectius, eluceret:* tam abeſt, ut illa verba *eliquata, & declarata* longe ante Concilium referenda ſint, & non ad ipſum Concilium. Non enim Quæſtiones Eccleſiaſticæ etiam de fide ſemper declarantur a Romano Pontifice, ſed interdum ab aliis declaratæ ab eo ipſo confirmantur: Sic Innocentius I. in Epiſtola, ſive Reſcripto ad Milevitanum Concilium contra Pelagianos actum ait: *ut tota hujus* (Sedis Apoſtolicæ) *auctoritate, juſta: quæ fuerit, pronunciatio firmaretur, gemino igitur bono charitas veſtra fungetur; nam & Canonum potiemini gratia ſervatorum, & beneficio veſtro totus Orbis tutabitur. Quis enim Catholicorum virorum cum adverſariis Chriſti velit ulterius miſcere ſermones?* & Cœleſtinus I., ut vulgo creditur, Epiſt. ad Gallos de eadem hæreſi Pelagiana cap. 3. al. 1. ſcribit: *Africanorum ſententias ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cum probarent veraci profeſſione, quemadmodum ipſorum habet ſermo: dicamus gratiam Dei per Jeſum &c.:* ut & cap. 10. al. 7. *illud etiam, quod intra Carthaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apo-*

ſtolicæ

Digitized by Google

ſtolicæ Sedis amplectimur. Proſper etiam in Chronico de Africana Synodo in eoſdem Pelagianos coacta memoriæ prodidit: *cujus decreta ad Zoſimum Papam perlata ſunt; quibus probatis per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt:* & in Reſponſ. ad Capitula Gallorum object. 8. *quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus Mundus amplexus eſt:* nec non in Carmine contra Ingratos cap. 2. canit de eadem re:

„ Tu cauſſam fidei flagrantius, Africa, noſtræ
„ Exequeris; tecumque ſuum jungente vigorem
„ Juris Apoſtolici ſolio ....
„ Decernit, quod Roma probet, quod Regna ſequantur.

Iis vero, quæ cap. 4. lib. 2. de Baptiſmo adjecit Auguſtinus, ceſſurum Cyprianum non ſolum *univerſi Orbis authoritati patefacta veritate; ſed* etiam *uni verum dicenti, & demonſtranti facillime potuiſſe conſentire; & fortaſſe factum* eſſe, ſed neſciri; oſtendit S. Doctor, quot modis Cypriani factum propugnari poſſet; non quod ita factum ipſe arbitraretur, cum pluribus locis contrarium aperte tradat; innuitque ita ſe Cypriani rem habere, ut ſi id affereretur, Donatiſtæ forſan, quo idem refellerent, non habuiſſent: non autem quod ſatis valide, ac opportune Auguſtinus concludat, Cyprianum aut nunquam rebaptiſmo aſſenſiſſe, aut tandem aliquando ipſum rebaptiſmum ejuraſſe; autumat enim tantum, potuiſſe eum conſentire etiam uni verum demonſtranti; ſed id minime factum eſſe, multa convincunt, quæ alias ſunt expoſita; non certe Stephano, quem dicit nonniſi conſuetudinem, & traditionem oppoſuiſſe, ac oſtentaſſe; & hanc Cyprianus humanam eſſe, inveteratumque errorem reponebat; eandemque quidem una Arelatenſis I. Synodus confirmaſſe videtur: nam de Nicæna non ſemel dictum eſt, incertum eſſe; & de Conſtantinopolitana I. falſum, de hac re quicquam ſtatuiſſe: ipſaque Arelatenſis non ſanxit in recipiendis Hæreticis ſtandum eſſe traditioni Apoſtolicæ; ſed ſolum id ſibi placere *de Afris* &c. Ex iis item Auguſtini verbis lib. 2. cap. 5. de Cypriano: *quomodo accipere potuerit veritatem contra id, quod ſentiebat, inventam; & ſi literæ tacent, merita clamant; ſi Epiſtola non invenitur, corona teſtatur:* plane non eruitur, Cyprianum tandem, cum adhuc viveret, conſenſiſſe veritati patefactæ de Hæreticorum baptiſmo com-

probando: quoniam quum addat: *non enim parvum documentum eſt pacatiſſimæ animæ in ea unitate martyrium meruiſſe, unde ſe diverſum ſentiens noluit ſeparare. Homines enim ſumus; unde aliquid aliter ſapere, quam res ſe habet, humana tentatio eſt... per martyrii confeſſionem pervenit ad Angelicam lucem, ut ſi non antea, ibi certe revelatum cognoſceret, quod cum aliter ſaperet, ſententiam diverſæ opinionis vinculo non præpoſuit unitatis:* clare manifeſtat, quomodo accipere potuit Cyprianus veritatem contra id, quod ſentiebat, nempe *per martyrii confeſſionem*. Locum denique Epiſt. 93. al. 48. ejuſdem Auguſtini explicavimus jam ad Propoſ. VI. Theor. II.

VIII. *De cauſſis cogendæ Synodi Oecumenicæ opinio Gallicani Defenſoris, & Cyprianici Vindicis contraria, utraque tamen falſa*

ERrat ſine dubio *Gallicanæ Declarationis* Defenſor, dum par. 2. lib. 14. cap. 2. cenſet, Oecumenicam Synodum nonniſi ex cauſa *rariſſima* cogi; & ad eam potiſſimo quæſtiones *de re obſcura, ancipitique, ac magnis altercationum nebulis involuta* referri; idque ex S. Auguſtini verbis hauriri: ſed nec ipſe Cypr. Vindex errore vacat, quum in illum inſurgens in oppoſitam quoque fertur opinionem, res obſcuras, & ancipites, magniſque altercationum nebulis involutas nequaquam ad Oecumenicum Concilium produci debere aſſeverans & ipſe ex illis Auguſtini verbis de hac baptiſmi quæſtione: *non ſolum inventa eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque deducta*. Quandoquidem utrumque falſum eſſe conſtat; cum Oecumenica Concilia convocata ſciantur non ſolum ex cauſa rariſſima, verum etiam ex vulgari, communique facto; ſicut VIII. Synodus ob intruſionem Photii in Sedem Conſtantinopolitanam congregata: & modo res obſcuræ, & ancipites; modo claræ, & certæ, perſpectæque ad ea ipſa perductæ fuiſſe: clara ſane videtur fuiſſe, & manifeſta Neſtorii hæreſis, quippe qui complurium atteſtatione, ut vidimus ad num. XVIII. cap. I., inſtaurator fuerit erroris Pauli Samoſatenſis; hic autem teſte Alexandro Epiſcopo Alexandriæ Epiſt. ad Cognominem ſuum apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. *Concilio omnium ubique Epiſcoporum, atque adeo judicio Eccleſiæ eje-*

ctus

ctus eſt: & tamen ob Neſtorium coacta eſt Epheſina Synodus: de dubia vero re, atque ancipiti fuit Synodus V. Oecumenica de tribus ſcilicet Capitulis; ob quæ tam varius extitit Vigilius Papa, tamque perplexus in decernendo. Cæterum de Hæreticorum baptiſmi quæſtione quamvis ante plenarium Concilium veritas inventa fuerit, ut a S. Auguſtino traditur; id tamen interpretari debet de aliquibus; ſi quidem nec omnibus palam perſpecta erat, ac explorata; nec omnibus probabatur etiam poſt plenarium, & Oecumenicum Concilium; quemadmodum in præmiſſis Diſputationibus oſtenſum eſt: quapropter adhuc obſcura dici poterat, & anceps, magniſque altercationum nebulis involuta quæſtio, cum ad Concilium plenarium deducta eſt; nec aliter videtur ſenſiſſe Jo: Scotus, dum in 4. diſt. 5. q. 1. ſcripſit: *propterquod circa illam veritatem baptiſmi declarandam multum laboravit Auguſtinus in libris ſuis &c.:* ſed nec aliter explicari poteſt ipſe Auguſtinus, niſi in ſententiarum repugnantiam cecidiſſe quis velit, quoniam ſuperiori numero vidimus docere eum pluribus in locis quæſtionem eam a Concilio plenario nedum firmatam, ſed & eliquatam, & declaratam fuiſſe, *etiam remotis dubitationibus*, ut perſpicue tradit lib. 1. de Baptiſmo cap. 7., Sic & veritas quæſtionum de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, Filioque; de Purgatorio; & de ſumma Romani Pontificis in omnes Chriſtianos authoritate multo ante inventa fuerat, quam ad Concilium Oecumenicum deduceretur; ſed quia Latinis tantum, non Græcis, ac Orientalibus comperta erat, & certa; illiſque dumtaxat, non iſtis probabatur: iccirco ad Lugdunenſe II. primo, deinde etiam ad Ferrarienſe, ſeu Florentinum Oecumenica Concilia perducta eſt; ibique diu, ac multum ventilata, interque partes pluribus diebus agitata, ac diſputata ſcitur. Nec Maurini Operum S. Auguſtini annotatores errarunt, cum ad marginem Auguſtiniani loci appoſuerunt, *obſcuras quæſtiones non eſſe ſtatim ne in univerſali quidem Concilio decidendas;* quippe qui non negant ibi decidendas eſſe, ſed negant *ſtatim* eſſe terminandas; quod quidem verum, ac certum, eas prius diſcutiendas eſſe, nebuliſque depulſis poſtea determinandas. In eo igitur Gallicanus Defenſor erravit, quod arbitratus eſt pro quæſtione Cyprianica de Hæreticorum baptiſmo cogendum fuiſſe Oecumenicum Concilium; propter-

eaquod

eaquod obſcura eſſet, anceps, ac magnis altercationum nebulis involuta; pro quæſtione vero hæreſis Pelagianæ non opus fuiſse Synodum Oecumenicam, *ut aperta pernicies damnaretur*, ut ait S. Auguſtinus: nam etſi longe diſpar fuerit ratio Pelagiani erroris, & Cyprianicæ de baptiſmo Hæreticorum opinionis: quod ille ad fidem pertineret; & multis Sacrarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum authoritatibus elideretur; hæc vero ad diſciplinam ſpectaret; & ſola conſuetudine vinceretur: ille a paucis Antiſtitibus ignoti nominis, ſi unum demas Julianum, vel alterum Theodorum; iſta vero ab Epiſcopis & multis, & magni nominis, ſediumque præcipuarum, atque Conciliis tutaretur: tamen nihilominus nec utrobique neceſsaria fuit Oecumenica Synodus; nec utraque cauſsa vetabat, quo minus hujuſcemodi Synodus cogeretur. Sed quemadmodum *Arianus* error, ac hæreſis erat *aperta pernicies*, & a binis Conciliis Alexandrinis, plurimiſque Eccleſiis Romana cum primis profligatus; & tamen pro eo indictum fuit, factumque Nicænum Concilium; uti & pro opinione, ſectaque *Quartodecimanorum* antea a pluribus Conciliis Orientis, & Occidentis, Romano itidem, & Arelatenſi I. proſcripta: nec non Oecumenicum VI. Concilium pro hæreſi *Monothelitarum* pluries jam in Romanis, aliiſque Synodis condemnata: ita & pro opinione, atque errore rebaptizantium baptizatos ab Hæreticis, Schiſmaticiſve; & pro hæreſi Pelagiana cogi potuerunt Oecumenica Concilia; & ad illa quæſtiones eæ, ſive manifeſtæ, ac exploratæ, ſive obſcuræ, & ancipites eſsent, perduci: non quod omnino, &, ut ajunt, *ſimpliciter* pro comperto jam errore, ac aperta pernicie neceſsaria forent ipſa Concilia; ſed ad errores magis, ac magis, ſeu, ut dicunt *ſecundum quid* refellendos; Hæreticoſque penitus, & omnibus viribus conjunctis prorſus obterendos, eliminandoſque.

IX.

Digitized by Google

IX. *Certa S. Auguſtini ſententia de certiſſimo Romani Pontificis judicio etiam poſt interpoſitam ad Plenarium Concilium appellationem non firmatur ex ejus loco ſerm. 2. de Verbis Apoſtoli =*

PErſpectam interea, indubitatamque Auguſtini ſententiam de certiſſimo, atque ineluctabili Romani Pontificis judicio etiam poſt interpoſitam ad plenarium Concilium provocationem non video diſerte, valideque confirmari poſse uno, eodemque firmiſſimo Auguſtini pronunciato ſerm. 2. de Verbis Apoſtoli, ubi de Pelagii cauſſa duobus in Conciliis Africanis Carthagine, & Milevi anno 416. condemnata diſſerens ait: *jam enim de hac cauſſa duo Concilia Romam miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam Reſcripta venerunt; cauſſa finita eſt*. Nam ſive finitam dixit, videlicet cognitam, explicatam, & determinatam; & hoc modo non ſolum poſt reſcripta Sedis Apoſtolicæ, verum etiam poſt duo Africana Concilia, quinimmo poſt unum tantum illorum cauſſa finita fuerat ſecundum ea, quæ Gelaſius I. Epiſt. ad Fauſtum de Acacio Epiſcopo CP. ſcribit: *Euphemium vero miror, ſi ignorantiam ſuam ipſe non perſpicit; qui dicit Acacium ab uno non potuiſſe damnari... quod non ſolum Præſuli Apoſtolico facere licuit, ſed cuicunque Pontifici; ut quoslibet, & quemlibet locum ſecundum regulam hæreſeos ipſius ante damnatæ a Catbolica Religione diſcernant*: & Patres Concilii Carthaginienſis adverſus Pelagianos Epiſt. ad Innocentium Papam: *Unde factum eſt, ut recenſendum putaremus, quid ante ferme quinquennium ſuper Cæleſtii nomine hic apud Eccleſiam Carthagineuſem fuerat agitatum. Quo recenſito, ſicut ex ſubditis advertere poteris ſanctitas tua, quamvis judicatio manifeſta conſtaret; quia illo tempore Epiſcopali judicio exciſum hoc tantum vulnus ab Eccleſia videretur: nihilominus tamen id communi deliberatione cenſuimus hujuſmodi perſuaſionis authores anathematizari oportere*: ſi vero finitam dixit, nempe quod poſt Apoſtolicæ Sedis reſcripta non foret amplius cauſſa cognoſcenda, nec ad Oecumenicum Concilium deducenda; & id quoque nequaquam verum eſſe videtur, eo quod poſt duo illa memorata Concilia, & Sedis Apoſtolicæ Reſcripta, alia duo Concilia pleniora in Africa anno 418., & alia Sedis Apoſtolicæ Reſcripta condita fuiſſe leguntur:

inquit enim S. Auguſtinus Epiſt. 215. al. 47. ad Valentinum: *quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ Urbis Epiſcopum de Concilio Provinciæ Carthaginenſis, & de Concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius a quinque Epiſcopis; & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit. Item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius Orbis Epiſcopos miſſum; & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem conſtituimus &c.*: & quia non me præterit, extare qui ſentiant, priora Auguſtini verba non eſſe intelligenda de duobus Conciliis anno 416. celebratis; ſed de duobus aliis anno 418. habitis; quæro, cur poſt reſcriptum Zoſimi Papæ *finita* dicenda eſt, non poſt reſcripta Innocentii pariter Papæ cauſſa illa? Nicænum etiam Concilium, ut dictum eſt, & pro Ariana hæreſi, & pro errore Teſſaradecatitarum pluries in Conciliis Romanorum etiam Pontificum, Sediumque Apoſtolicarum antea proſcriptis congregatum fuit; ſicut & præ cæteris Concilium VI. Oecumenicum adverſus errorem Monothelitarum pluribus in Conciliis Romanis, in primiſque in plenario Martini I. profligatum ſcimus cogendum fuiſſe. Poſtea annon idem Auguſtinus lib. 3. contra Julianum cap. 1. ſcripſit: *veſtra vero apud competens judicium communium Epiſcoporum modo cauſſa finita eſt; nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantum ad jus examinis pertinet... qui debellavit in Palæſtina Pelagium, ubi cauſam ſuæ damnationis timore damnavit: ibi enim omnino cecidit hæreſis veſtra*: & paulopoſt: *quamvis dederit Eccleſia Catholica judicium, quale debuit, ubi cauſſa veſtra finita eſt?* lib. vero 2. de Baptiſmo cap. 14. de quæſtione inter Stephanum, & Cyprianum ſuper Hæreticorum baptiſmo ita loquitur: *Quæſtio, quæ nondum finita Cyprianum non deterruit, ut recederet; vos* (Donatiſtæ) *finita, ut redeatis, invitat*: nondum finitam dixit poſt Papæ Stephani decretum; finitam vero poſt plenarium totius Orbis Concilium. Similiter autem cum Acacius Epiſcopus CP. ſemel, vel etiam bis in Romana Synodo a Felice II. al. III. Papa uti fautor Eutychianorum damnatus fuiſſet; & Acaciani contenderent, ideo Acacium non putari jure proſcriptum, quod non ſpeciali Synodo condemnatus eſſet, ut habet Epiſtola 13. Gelaſii I. ad Dardanos, ſive, ut aliqui putant, ipſius Felicis III., his Pontifex Romanus non reſpondit; illum in Romana Synodo,

do, & a Romano Pontifice damnatum eſſe, cauſſamque quoque finitam; ſed inquit reprobatum jam fuiſſe a Concilio Chalcedonenſi, in quo Eutyches, ejuſque aſſeclæ, atque fautores proſcripti fuerunt; nec opus eſſe nova Synodo pro ejuſdem damnatione, *ne ipſa retractatio ejus conſtitutis deroget firmitatem:* propter quid autem ita, dicetur num. XVII. Poſtremo illud Auguſtini pronunciatum, *cauſſa finita eſt*, nonnullis probare videbitur potius jus *Patriarchicum* Romanæ Eccleſiæ, quam *Primatum*, ſummamque Romani Antiſtitis in omnes Chriſtianos authoritatem; quoniam Pelagiana hæreſis erat virorum, Antiſtitumque Occidentalium, atque Europæorum, qui ſubſunt Patriarchatui Romano: niſi quis velit, Auguſtinum eo loco Pelagianam hæreſim dixiſſe *finitam* ob tria judicia, quæ jam ſubierat: ſi quidem in civilibus quoque judiciis poſt tertiam cauſæ cognitionem plerumque, ac ordinarie ſolet finiri judicium, cauſaque terminari: quare quum illa binis in Conciliis Africanis, & Romæ a Summo Pontifice fuerit ventilata, jure dici poterat finita. At quomodocunque ipſa Auguſtini ſententia interpretari lubeat, illud mihi profecto conſtitit, eum ſenſum, quem illi tribuit Cypr. Vindex, illi plane non convenire: tametſi falſum & illud ſit, quod hic effutit Gallicanus Defenſor; dictam nimirum eſſe ab Auguſtino *finitam* hæreſim Pelagianam, ideo quod eſſet de re minime obſcura, ancipitique, nec magnis altercationum nebulis involuta, & a paucis Epiſcopis defenſa; alias omnino ad plenarium Eccleſiæ judicium perferendam fuiſſe.

X. *Hæreſis Pelagiana facilis, & plana, & fautorum paucitate ſuffulta fuiſſe demonſtratur*

QUamquam igitur *Gallicanæ Declarationis* Defenſor minus vere pronunciaverit, ſenſeritque, pro Pelagiana hæreſi neutiquam Oecumenicum Concilium cogi debuiſſe; proptereaquod & facilis, planaque illa eſſet; & fautorum paucitate munita: tamen non prorſus falſum eſt, & facilem, planamque fuiſſe, & fautorum paucitate ſuffultam; cum hoc ipſum ex S. Auguſtino deduci ſoleat; ſed falſum quidem eſt omnino, illud ex hoc ſequi; eſtque paralogiſmus, atque *fallacia*, ut Dialectici vocant, *non cauſæ pro cauſa*. Facilem porro, & expeditum errorem Pelagia-

num nequaquam fuiſſe, demonſtrari eo non poteſt, quod Origenis Περὶ Ἀρχῶν perſpicue eum complectebatur, firmiterque fovebat: ſunt enim, qui negant Origenem docuiſſe id, quod poſtmodum Pelagius ſenſit, ac ſcripſit: aliquid quidem habere eum cum Semipelagianis commune; cætera longe diſtare a pravis Pelagianorum ſenſis; ut animadvertit C. V. Daniel Huetius in Comment. Origen., atque Veronenſes Operum Card. Noris editores tom. 4. Obſervat. lib. 1. cap. 1., qui & ad authoritatem S. Hieronymini probe reſponderunt: præterea nulla hæreſis ob hanc cauſam eſset dicenda facilis, plana, atque expedita; cum omnis in Origenis elucubrationibus error inveniri dicatur Arianus, Macedonianus, Neſtorianus, Eutychianus &c. ita, ut Theophilus Alexandrinus Epiſcopus S. Cyrilli Alex. deceſſor, ac patruus Epiſt. 1. Paſchali pronunciarit Origenem fuiſse *Hydram omnium hæreſeon*. Et ſane cum Origenis Opus περὶ ἀρχῶν, erroreſque ejus damnati fuerint in Oriente, & Occidente etiam a Romano Pontifice anno 401., idque in pluribus Conciliis; ſupervacanea fuiſsent alia Concilia, & Romanorum Pontificum Reſcripta contra Pelagium paucis poſt annis edita; ſi Pelagianus error in libris Origenis jam dudum condemnatis continebatur. Quin quod ob hoc ipſum hæreſis illa dicenda foret plana, facilisque; quemadmodum enim *eliquata*, *ac declarata* putatur quæſtio de Hæreticorum baptiſmate per unum Stephani Papæ decretum; ita facilis, & explanata dicetur hæreſis Pelagiana poſt decretum non ſolum Anaſtaſii Papæ, ſed etiam plurium Conciliorum, ac in primis Alexandrini contra prædictos Origenis Libros, & errores publicatum; ſi hæc in illis extitiſset. Verum Origenem aliter ſenſiſse, atque Pelagium, hinc elici quoque poteſt, quod S. Auguſtinus hæreſim hujus *novam* ſemper appellat; ſic lib. 2. Retract. cap. 38. dicit *hæreſim novam inimicam gratiæ Dei*, & lib. 2. de Origine Animæ cap. 12. *novellos hæreticos* vocat Pelagianos; ut & lib. 3. contra Julianum cap. 1. *novi denique Hæretici vos eſtis:* ac lib. 5. contra eundem cap. 12. *in his quæſtionibus Catholica veritate antiquitus tradita veſtra impia novitas ſuffocatur:* ejus vero Epiſt. 178. al. 94. ad Hilarium, nec non Synodica Patrum Milevitanorum ad Innocentium Papam habent: *nova quippe hæreſis, & nimium perniciosa tentat aſſurgere:* idemque Innocentius in reſcripto

pto ad ipſam Synodum Milevitanam Pelagium, & Cœleſtium *inventores vocum novarum, & novæ hæreſeos auctores* appellat. Quam ob cauſam concertationes illæ inter Hieronymum, & Rufinum; Hieronymique, ac Epiphanii cum Joanne Hieroſolymitano Antiſtite; uti & Theophili Alexandrini Epiſcopi, Epiphaniique nedum cum Monachis Ægyptiis, ſed etiam cum S. Joanne Chryſoſtomo propter Origenem, ejuſque errores ſuſceptæ ſimultates nihil difficultatis ingerunt hæreſi Pelagianæ: eademque ipſa de cauſa nihil negotii faceſſit SS. Baſilii, & Gregorii Nazianzeni, addique poterat, & Magni Dionyſii Alexandrini Epiſcopi de Origene exiſtimatio; nec non Euſebii Cæſarienſis, ut & Pamphili Martyris ſtudium pro ejuſdem Origenis operibus, ſeu erroribus. Unus itaque reſtat Theodorus Mopſveſtanus Epiſcopus; qui quamquam plura ad hæreſim Pelagianam conducentia habere fertur; ipſiſque dicitur nonnunquam patrocinatus Pelagianis: tamen cum Marius Mercator in præfatione ad refutationem Symboli ab ipſo Theodoro compoſiti tradat, *Julianum Pelagianum poſt de Cilicia abſceſſum ab eo in Epiſcoporum Provinciæ ſuæ Conventu anathemate eſſe damnatum;* diſcriminis nonnihil inter ejus, & Pelagii ſententiam interceſſiſſe judicatur. Quod ſi etiam ſemper Pelagianis ipſe ſtuduiſſet, & plurima pro ipſis evulgaſſet: & ſi concertationes, dimicationes, ac ſimultates proxime commemoratæ pro Pelagianorum erroribus ſuſceptæ fuiſſent; non propterea hæreſis illa foret cenſenda difficilis, & ardua; quando multoplures ſciuntur & diſceptaſſe diu, & plurima ſcripſiſſe pro planis, facilibuſque hæreſibus; nec nomen Theodori quamvis celebratum obſtitit, quin Pelagianus error protinus eliderctur.

XI. *Hæreſis Pelagiana non tam obſcura fuit, quantum ſcribit Auguſtinus fuiſſe quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo*

ILlud quoque minime probatur, Pelagianam hæreſim tantis altercationum nebulis involutam fuiſſe, quantis dixit S. Auguſtinus fuiſſe quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo Cypriani temporibus, ex hoc ipſo quod & Hieronymus, & Auguſtinus, & ſi qui alii, adlaborarint in confutandis Pelagianorum figmentis, ob eam quidem rationem, quæ proximo numero ſignificata eſt. Et cum ſubjungitur; ſi quæſtio

 de

de Hæreticorum baptiſmo biennium ut maxime occupatum tenuit Cyprianum; hæreſis Pelagianorum doctiſſimum Auguſtinum non minus quam annos ſexdecim perpetuis, maximiſque diſceptationibus diſtraxit: id propterea factum ajo, quod Cyprianus paulopoſt biennium altercationis cum Stephano mota in Chriſtianos per Valerianum perſecutione martyrio ſublatus eſt; & ante ejus necem vivere deſierat Stephanus Papa præcipuus in ea quæſtione Cypriani, & rebaptizantium Hæreticos adverſarius. Auguſtinus vero ſi annos ſexdecim inſudavit in Pelagiano errore profligando; multo plus tamen temporis inſumpſit in errore rebaptizantium Hæreticos eliminando; cum pluſquam vigintiquinque annos ea de re cum Donatiſtis conflixerit, edito ante annum 395., cum adhuc Præsbyter eſſet, libro contra Epiſtolam Donati, & poſt annum 420. pluribus contra Gaudentium libris elucubratis; ut viginti propemodum libros pro eo errore pervellendo ei opus fuerit componere. At ſcripſerit licet & multo plures pro Pelagiana hæreſi confutanda; ſcripſerint & Hieronymus, & Oroſius, Proſper, Marius Mercator, Johannes Talaja, & Gelaſius Papa, aliique etiam, ſi qui fuerunt, qui aut ſcripſerint, aut operam dederint pro errore illo reſecando; id omne non probat, Pelagianam hæreſim magnis altercationum nebulis involutam fuiſſe; & obſcuram, non apertam perniciem præſetuliſſe; ſed magnæ pervicaciæ, ac obſtinationis defenſores, duroſque aſſertores habuiſſe. Nonne quæſtio inter Stephanum, & Cyprianum de Hæreticorum baptiſmo *tantis altercationum nebulis involuta* dicitur a S. Auguſtino, antequam ejus *veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur;* & antequam *ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem, confirmationemque* perduceretur: *poſtea vero dum inter multos ex utraque parte tractatur, non ſolum inventa eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt*, lib. 2. de Baptiſmo cap. 4., & cap. 7. ac 8. repetitur, veritatem eam etiam *poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perductam*, idque poſt Cypriani mortem, & antequam ipſe naſceretur? & tamen quod ipſe poſt illud Concilium plenarium tot pro veritate ea exaraverit; Hieronymus quoque non ſiluerit; & alii plures adverſus rebaptiſmi illius aſſertores elaboraverint; id non quæſtionis obſcuritas effecit, non er-

ror

Digitized by Google

ror incompertus; ſed protervia, & pertinacia Donatiſtarum Schiſmaticorum. Quemadmodum Ariana hæreſis, poſteaquam declarata fuit, ac explanata, confutataque in Conciliis Alexandrinis primum, deinde penitus in Oecumenico Nicæno Concilio, nonne poſt etiam Nicænum ipſum innumeros oppugnatores habuit, qui & ſcriptis, & factis eam funditus exſcindere curarunt? nonne aperta pernicies erat, atque eſt? & tamen Hæreticorum duritia, ac obſtinatio animorum fecit, ut adhuc in Oriente, & in Septentrione apud quoſdam inveniatur: Hæretici namque ejuſcemodi ſunt, *ut cum ſuperatos, damnatoſque ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittunt;* inquit S. Hieronymus Epiſt. 87. ad Alipium, & Auguſtinum; itemque: *reſpondebimus, non ut convincamus hæreſim emortuam; ſed ut imperitiam, atque blaſphemiam ejus* (Aniani Pelagiani) *noſtris ſermonibus confutemus.* Ipſa quoque Pelagii blaſphemia poſtquam ab Auguſtino dicta fuit *aperta pernicies*, oppugnata eſt pluribus libris ab eodem Auguſtino, Joanne Talaja, Gelaſio Papa, aliiſque claris Scriptoribus; ut & hæreſis illa vetus Manichæorum quamquam apertiſſima tamen quot libris ab Auguſtino confutata fuit? Propter quid autem de manifeſta, apertaque hæreſi neceſſe ſit interdum plura ſcribere; & contra eam, ejuſque defenſores decertare; ipſum Auguſtinum legere eſt lib. 1. ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 1. Similiter quod Patres Carthaginienſis, & Milevitani Concilii datis ad Innocentium Papam literis Pelagianorum dogmatum proſcriptionem enixe poſtulaverint, non arguit quæſtionis Pelagianæ obſcuritatem, atque difficultatem; ſed dogmatis perverſitatem. Quod vero Pelagius in Dioſpolitana Synodo a Hieronymo Epiſt. 24. *miſerabilis* dicta fuerit abſolutus; & Cœleſtius primo Zoſimum Papam deceperit; non magnitudinem controverſiæ refert, ſed magnam utriuſque ſimulationem; quia id, quod negarunt ore, corde ſervarunt: Quocirca S. Auguſtinus illius Synodi geſta commemorans ait: *quod & nobis forſitan contigiſſet, ſi cum eis in illo judicio ſediſſemus;* nimirum hallucinari. Tandem illud Pelagii acumen, & acre Cœleſtii ingenium ab Auguſtino agnitum efficere non potuerunt, quin eorum error eſſet aperta pernicies; ſed illud illi ipſi tentabant, ne aperta pernicies appareret: quod quam fruſtra factum fuerit; argumento eſt, eundem brevi tempore & agni-

tum

tum fuiſſe, & una ubique proſcriptum tanto omnium Antiſtitum, & Eccleſiarum conſenſu; ut vix alia hæreſis extiterit, quæ tam cito, tamque facile ſuffocaretur.

XII. *De numero fautorum hæreſis Pelagianæ*

Nec ego is ſum, qui negem; nec quemquam extiturum puto, qui ſuum Pelagianæ hæreſi fautorum numerum inficiari velit: tamen quia S. Auguſtinus modo multos, ac plurimos, modo non multos, at paucos fuiſſe Pelagianos memoriæ prodidit: videndum eſt propter hoc, utrum eum numerum, quem quidam imaginantur, conſecutus ſit Pelagianus error. Certe S. Auguſtinus lib. 2. contra Julianum, poſtquam authoritates, dictaque undecim Doctorum Catholicorum adduxit adverſus illam hæreſim, adjecit: *ſi veſtra conſideretur paucitas, multi ſunt; ſi multitudo Catholicorum Epiſcoporum, perpauci ſunt:* cum antea dixiſſet ad Julianum: *Verum quia te delectat non numerare multitudinem, ſed appendere paucitatem &c.;* carpſiſſetque eum etiam prius, quod gloriaretur de paucitate ſuorum, & multitudinem ſperneret aliorum: & lib. 3. cap. 1. de Pelagianis inquit: *ſimiles autem eſtis potius Maximianiſtis, qui cupientes exiguitatem ſuam nomine ſaltem certaminis conſolari, & ideo videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant... nec ſperabant victoriæ gloriam, ſed favorem requirebant collationis, quia multitudinis non habebant:* ſed & lib. 5. cap. 1. *quid ergo opus eſt, ut aliquid adverſus ea dicam, quæ in principio poſuiſti libri hujus ſolita, & vana de invidia, quam vos ſuſtinere pro veritate jactatis; & de paucitate velut prudentium, quibus vos placere gaudetis?* Hæc autem ſcripſit anno 421., cum jam Pelagianorum error opera Africanorum, ac Zoſimi Papæ ab univerſo Orbe condemnatus eſſet anno 418. Epiſtolæ vero, in quibus *plures*, multoſque tradit extitiſſe Pelagianos, datæ ſunt paulo poſt initium eorum hæreſis; quo tempore eam apud Italos, ac Siculos, Dalmatas, Rhodios, Hiſpanos, Gallos, Orientiſque populos pervagatam quidem eſſe conſtat; ſed & paucis quoque perſuaſiſſe, iiſque obſcuri nominis hominibus, parvoque tempore decipere valuiſſe manifeſtum eſt. Etenim ſi authores hæreſis excipias *Pelagium*, & *Cæleſtium*, non alios novimus, qui pro ea aut literis quic-

quam

quam tradiderit, aut operam navaverit, præter unum *Julianum* Æclanenſem Epiſcopum, & *Anianum* Diaconum Celadenſem: nam *Theodorum* Mopſveſtienſem Epiſcopum vidimus aut in errore non perſtitiſſe, aut in fine cum Pelagianis diſſenſiſſe; quando Julianum eorum ferme Anteſignanum tandem anathemate perculerit: & de *Faſtidio* Britanno dubium eſt, an author ſit libri *de Vita Chriſtiana* Pelagianis figmentis inquinati: *Vincentius* vero Victor, qui pejora, quam Pelagius, effutiiſſe narratur, vix ab Auguſtino correptus arma projecit, deditionemque fecit. Cæteri quinque Epiſcopi *Florus*, Orontius, Fabius, Perſidius, & Marcellinus ex Neſtorii prima, atque Epheſini Concilii ad Cœleſtinum Papam Epiſtola noti non alia de cauſa fuerunt, quam quod Pelagii affeclæ, ſectariique erant; cæterum eorum ne ſedes quidem innotuerunt unquam: ſicut & de reliquis Epiſcopis, qui uſque ad numerum decem, & octo pervenerant, ut habetur ex eorum Epiſtola ad Teſſalonicenſem Antiſtitem anno circiter 418. ſcripta, ne nomina quidem ſciuntur, dempto uno *Turbantio*, qui poſtea fertur reſipuiſſe, & altero *Severiano* Britanno apud Chronicon Proſperi ad ann. 429. commemorato. *Plurimis* quidem perſuadere Pelagium, Cœleſtiumque ſcribit Innocentius Papa ad Patres Synodi Milevitanæ; ſed ſcire oportet, plurimos non tam de multis, quam de paucis interdum enunciari: S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum ſignificat, Cornelium Romæ Epiſcopum factum *a plurimis Collegis noſtris, qui tunc in urbe Roma aderant.... qui ad nos literas miſerunt*: quos tamen nonniſi *ſexdecim Epiſcopos* fuiſſe eadem Epiſtola prodit; & in præfatione Concilii Arelatenſis IV. vulgo V. annos 554. celebrati dicitur illud *a plurimis* confirmatum eſſe; cum *undeviginti Epiſcopi* tantum ſint, qui illud ſubſcripſiſſe legantur: idem etiam Auguſtinus lib. 2. de Dono perſeverantiæ cap. 21. *Deinde ipſam Epiſtolam, quam jam contra Pelagianos ad S. Paulinum Nolanum Epiſcopum feci, cui Epiſtolæ contradicere modo cœperunt; nonne ante annos plurimos edidi?* hæc autem Epiſtola data fuit anno 417., & liber de Dono perſeverantiæ ſcriptus aſſeritur anno 429., igitur ſpatium annorum duodecim *annos plurimos* dicit Auguſtinus: item Paulinus Diaconus in Libello, quem anno 417. Zoſimo Papæ obtulit ob damnatos Pelagium, & Cœleſtium ait; *habet adverſum ſe* (Cœleſtius) *etiam veteres Eccle-*

Eccleſiarum Doctores Catbolicos plurimos Orientales, & Occidentales; nimirum *undecim* illos, quos paulo ante vidimus ab Auguſtino contra Julianum produci. Deinde plurimos quoque ex ipſis Pelagianis haud multopoſt reſipuiſſe refert Marius Mercator in Commonitorio his verbis: *ex quibus plurimi reſipiſcentes, & a prædicto errore correcti regreſſi ſunt ſupplices ad Sedem Apoſtolicam, & ſuſcepti ſuas Eccleſias receperunt.* Neque hic me turbat ullo modo Epheſinum illud Cœleſtianorum Conciliabulum, cujus videtur fieri mentio in Epiſt. 47. Magni Gregorii lib. 7., cum illud nullum ſit, ac commentitium, ut fuſe demonſtrarunt Noris in Hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 9., & Pagius ad ann. 431. num. 25. & ſeqq. contra Baronium, & alios. Equidem haud ſatis intelligo, quo pacto maximum fautorum numerum, quis animo concipiat, eam habuiſſe hæreſim, quæ vix exorta eſt undequaque oppreſſa, & ſuffocata, ac per univerſum orbem condemnata? nam anno 411. vel 412. ſimul ac Carthagine Cœleſtius errores diſſeminare cœpiſſet, a Synodo perſtringitur, atque communione privatur; & rurſus anno 416. Carthagine, & Milevi in Numidia Pelagius, & Cœleſtius, eorumque dogmata in Synodis proſcribuntur; cum anno præcedenti Dioſpolitana Synodus Pelagium abſolviſſet, & dogmata damnaſſet. Eodem anno 416. Innocentius Papa & dogmata falſa declaravit, eorumque Authores Pelagium, & Cœleſtium anathemati ſubjecit; qui quoniam judicium inſtaurare tentarunt, anno 418. iterum duobus Africanis Conciliis retuſi ſunt, ac abſtenti; quibus decretis a Zoſimo Papa probatis, *per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt*, inquit Proſper in Chronico; ſeu Zoſimi Epiſtola *Tractoria per totum Orbem miſſa ſubſcriptionibus Sanctorum Patrum eſt roborata;* ut ſcribit Marius Mercator in Commonitorio; qui & addit, eos, qui tractoriæ Epiſtolæ ſubſcribere detrectarunt, *non ſolum Imperialibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis* depoſitos, atque exauctoratos fuiſſe; *& ex omni Italia* deturbatos. Quapropter a Rufo Theſſalonicenſi, nec non ab Attico Conſtantinopolitano Antiſtitibus minime auditi dicuntur: a Theodoto Antiocheno, Praylo Hieroſolymitano, & Theodoro Mopſveſteno Epiſcopis in ſuis unoquoque Synodis leguntur condemnati; ſicut & a Papa Cœleſtino, & ab Oecumenico Concilio Epheſino Act. V. penitus proſcripti.

XIII.

XIII. *Comparatio cauſſæ Cyprianicæ cum Pelagiana*

ITaque ſi Cyprianica cauſſa cum Pelagiana quoque confe- ratur, facile intelligere eſt, Pelagianam Cyprianicæ concedere & quæſtionis obſcuritate, & multo magis fautorum numero. Plane controverſia de Hæreticorum baptiſmo ſæpe ſæpius ab Auguſtino dicitur obſcura, & obſcuriſſima, ut lib. 1. de Baptiſmo cap. 7. *quoniam quæſtionis hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati &c.:* lib. 2. cap. 4. *tantis altercationum nebulis involuta:* cap. 7. 8. & 9. *in tam obſcura quæſtione:* lib. 3. cap. 2. *dicimus, in obſcura de Baptiſmo quæſtione hominem falli potuiſſe:* cap. 4. *non quia fieri non potuerit, ut in obſcuriſſima quæſtione verius pluribus unus, paucique ſentirent:* lib. 4. cap. 8. & 9. *in obſcuriſſima quæſtione laboranti:* lib. 5. cap. 25. *iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus &c.:* illa vero Pelagii ne ſemel quidem. Ais, obſcuram eam ab Auguſtino dictam ex hypotheſi dumtaxat Donatiſtarum, qui Catholicis objicere ſolebant *Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium:* at cur obſcuram numquam dixit Schiſmatis, ac Cæciliani cauſſam; ſed claram, & apertam Epiſt. 43. al. 162. ad Glorium, alioſque Donatiſtas: *non in aliqua obſcura quæſtione verſamur; non recondita ſecreta rimamur, quibus penetrandis vel nulla, vel rara humana corda ſufficiant; res in aperto eſt. Quid eminet clarius? quid cernitur citius? facillimamque* quæſtionem appellat Epiſt. 87. al. 164. ad Emeritum? cur nunquam obſcuram vocavit Pelagianorum controverſiam; cum & ipſi objicerent Catholicis Magni Baſilii, & Joannis Chriſoſtomi authoritates apud Auguſtinum lib. 1. contra Julianum? num literæ, ſententia, Concilium Cypriani cauſſam reddebant obſcuram? ſane non video: illam quidem facere poterant aut dubiam tanti viri doctrina, ac ſanctitate; aut controvertibilem, ſive mavis controverſioſam; ſed non obſcuram: deinde eam dicit Auguſtinus obſcuram fuiſſe Cypriano, ideoque ante ejus literas, ſententiam, ac Concilium erat hujuſcemodi. Quod autem ne obſcuram quidem dixerit, ſimul ac ſcripſit; ſi obſcura reipſa fuiſſet, *quomodo potuit ad Concilii plenarii robur, confirmationemque perduci?* falſum eſſe demonſtrant ea, quæ num. VII., & VIII. in medium attulimus. Tota porro quæſtionis hujus difficultas cum eo eva-

Digitized by Google

deret, ut quiſpiam Cypriano demonſtraret, *baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt; quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent:* hæc adeo magna fuit, ardua, atque obſtruſa; ut, an ipſe Auguſtinus quamvis acutiſſimus, & quamquam revera non multa modo, ſed etiam plurima ad eam dixerit, aliquando tandem illam oſtenderit; an facile ſenſerit, aliud eſſe dare, aliud vero habere; an ita demum vicerit Cyprianum; ad propoſ. VII. Theor. II. dixerim, me neſcire, ac reſpondere nolle. Certe S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos adverſario ſciſcitanti, *quare ab Hæreticis baptizati ſuſcipiuntur;* cauſam aut adduxit nullam; aut quæ nulla cenſeri poſſit; & Urbanus II. Epiſt. 12. ad Lucium S. Juventii Ticinen. Præpoſitum non aliam de hac re rationem afferre novit, quam quod Baptiſmus *ordine prior, & neceſſarior ſit:* quinquod Jo: Duns Scotus homo omnium conſenſu doctus, ac ſubtilis in primis lib. 4. Sent. diſt. 5. q. 1. aſſeverat non extare *niſi rationem unam propter quid, ſcilicet quia ita placuit Chriſto inſtituere;* id autem eſt, Chriſtum ita ſuæ Eccleſiæ revelaſſe: quibus tamen momentis nunquam eſt uſus Auguſtinus; & ſi *multa jam dixit*, ſive cum iis conferas, quæ adverſus ſchiſma Donatianum diſputavit; ſive cum iis, quæ contra Pelagianam hæreſim literis mandavit, ac utriuſque controverſiæ habita ratione; cum hæc ad fidem; illa ad diſciplinam pertineret: iſta ſeptem, aut pluribus errorum capitibus graſſaretur; illa unico rebaptiſmi capite contineretur. Illud vero, Cyprianicæ ſententiæ aſſertores non plures quam L. in Oriente, & LXX. in Africa a Donatiſtis eſſe numeratos, permittam quidem de uno Creſconio homine laico, Grammatico, & rerum Eccleſiaſticarum imperito; ut ipſemet fatetur apud Auguſtinum, qui illum rebaptizantium numerum ab eo accepiſſe ſcribit; nam de cæteris Donatiſtis plane non liquet; ſed de Catholicis non item; cum & Euſebius, & ante eum S. Dionyſius Alexandrinus tradiderit, totum fere Orientem a Cilicia uſque ad Pontum cum finitimis Gentibus, ac univerſa Africa Cypriani ſententiam tenuiſſe; quod alias etiam commemoratum eſt. Præterea quinque illi Epiſcopi Pelagiani, qui in angulo Orbis allatraſſe feruntur, non alii profecto ſunt, quam Julianus, Perſidius, Florus, Marcellinus, & Orontius, al. Orentius reliquiæ Pelagianorum, qui omnes

anno

anno 418. conflabant numerum XVIII. Epiſcoporum, ut fert eorum ad Theſſalonicen. Antiſtitem Epiſtola apud S. Auguſtinum lib. 1. ad Bonifacium contra duas Epiſt. Pelag. cap. 1., & quorum major pars reſipiſcens ad Sedem Apoſtolicam regreſſa eſt; uti habet Commonitorium Marii Mercatoris, quinque illis obſtinate in hæreſi perſtantibus, quemadmodum advertit Noris lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 14., qui quidem cum a Papa Cœleſtino damnati fuiſſent, ejus ſententiam confirmavit Synodus Epheſina Act. V. Eos autem non *Afros*, ſed Italos fuiſſe literis mandavit laudatus Noriſius; idque ex Marii Mercatoris Commonitorio colligi videtur; dum de Pelagianis a Zoſimo Papa, aliiſque Antiſtitibus proſcriptis ait: *non ſolum Imperialibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis depoſiti, atque exauctorati ex omni Italia deturbati ſunt; ex quibus plurimi reſipiſcentes &c.*: illos certe *Occidentales* fuiſſe ſcribit Neſtorius Epiſt. 1. ad Cœleſtinum Papam, *dicentes ſe Occidentalium partium Epiſcopos*, & ad eundem Epiſt. 2. *tanquam temporibus orthodoxis de Occidente projecti*: ex Italia vero deturbati fuerunt; igitur & Italicarum partium Epiſcopi erant: contra quos diſceptans S. Auguſtinus lib. 3. in Julianum cap. 17. inquit: *contra vos autem, quia nobis eſtis peſtilentia tranſmarina Chriſti Salvatore vincenda &c.*: tam abeſt, Auguſtinum ad Afros tantum Pelagianos ſermonem convertere; cujus ex libris nuſquam deprehendi, Afrorum Epiſcoporum aliquem errore Pelagiano coinquinatum fuiſſe. Nec ſane ſatis percipio, quomodo Auguſtinum tum, cum fruſtulum Maximlaniſtarum Pelagianos appellat, de Afris tantummodo locutum, res ipſa ſuadeat; quod Pelagianæ cauſſæ diſcuſſio ab Afris primum Gallorum inſtigatione ſuſcepta ſit: nam falſum eſt, Afros primum Gallorum incitamento illius cauſſæ examen ſuſcepiſſe; quoniam etſi anno 416. literis Herotis, & Lazari Gallorum edocti Afri de Conventu Hieroſolymitano, ac de *miſerabili* Synodo Dioſpolitana, cui Pelagius impoſuit, Concilia Carthaginienſe, & Milevitanum adverſus errores Pelagii coegerunt; tamen id non modo literis Gallorum, ſed etiam relatione Oroſii Hiſpani, qui Synodo Hieroſolymitanæ interfuerat, & literas eas in Africam detulerat, egerunt; & *ante ferme quinquennium* cauſſam eandem Carthagine diſcuſſerant in Concilio, Cœleſtiique errores confixerant accuſante Paulino Afro olim S. Ambroſii Medio-

diolanenſis Epiſcopi Diacono. Poſtea ſi quoque Afri primo per Gallorum ſtimulos Pelagianorum cauſſam cognoviſſent, non ex hoc ipſo ſequitur, Auguſtinum eo, qui dictus eſt, loco de Afris dumtaxat eſſe locutum: quemadmodum & Hieronymi loca ex Epiſt. 113. & 195. inter Auguſtin., 87. vero, & 88. inter Hieronym. comprobant quidem Hieronymum, Auguſtinum, & Alipium hæreſes, in primiſque Cœleſtianam, Pelagianamque jugulaſſe; ſed non plures in Africa fuiſſe Pelagianis partibus addictos, quam Hiſtoria tradat; cum ex eis ne unum quidem in Africa Pelagianum extaſſe demonſtrari queat.

XIV. *Recta Auguſtiniani loci interpretatio. Pelagiani Concilium* Oecumenicum *non appellarunt* =

S. Auguſtinus eo loco libri 4. ad Bonifacium cap. 12., quo negat opus fuiſſe *congregatione Synodi*, ut Pelagianus error damnaretur, Pelagianorum temeritatem, ac pertinaciam objurgat; non quidem quia damnati a duobus Romanis Pontificibus auſi ſunt ad Concilium plenarium provocare: ſed quia id egerunt *poſt factum illis competens, ſufficienſque judicium*, ut eodem loco paulo poſt habetur; aut quia eorum cauſſa *apud competens judicium communium Epiſcoporum finita* erat; ut idem Auguſtinus ſcribit lib. 3. contra Julianum cap. 1. Non enim Pelagiani a Romanorum Pontificum judicio, atque ſententia ad Concilium appellarunt; *ſed quoniam dicunt inimicos ſuos dicta noſtra in veritatis odium ſuſcepiſſe; & toto penitus Occidente non minus ſtultum, quam impium dogma eſſe ſuſceptum; & ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus ad hoc confirmandum ſubſcriptionem quæruntur extortam:* inquit Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 8., cap. vero 12. *quid eſt ergo, quod dicunt de ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus extorta ſubſcriptio eſt? numquid beatiſſimis, & in ſide Catbolica excellentiſſimis viris Cypriano, & Ambroſio adverſus iſtos extorta ſubſcriptio eſt, qua eorum impia dogmata tanta manifeſtatione ſubvertunt?* & antea cap. 1. dixerat: *de judicibus, apud quos propterea dicis non potuiſſe vos agere cauſſam veſtram; quia nemo de rebus dubiis bene*

bene conſultat, niſi qui ab odio, & ira, amicitia vacuum pectus attulerit; quales non fuiſſe dicis, qui de cauſſa veſtra judicaverunt; quia prius eam cœperunt odiſſe, quam noſſe: nimirum de Afris, apud quos tribus Conciliis habitis Pelagiani cauſſa ceciderant. Certe ex illis Auguſtini verbis non eruitur, Pelagianos provocaſſe ad plenarium, & *Oecumenicum* Concilium, ſed ad alios utcunque judices: & cum illa ſubjungit cap. 12. *verum iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur;* loquitur ironice. Poſtulabant namque Pelagiani Concilium majus, ſibique ipſis minus ſuſpectum, quo iterum ſua cauſſa cognoſceretur: Quemadmodum Donatiſtæ, quibus quodammodo Pelagianos comparat Auguſtinus lib. 3. contra Julianum cap. 1., poſt vetera judicia Romanum, & Arelatenſe in magna Collatione Carthaginienſi denuo auditi ſunt; aitque Auguſtinus, iccirco Donatiſtas ad Collationem magnam adductos; quod vulgus jam neſciret, quid ante centum ferme annos eorum majores ea in cauſſa egerint: at Pelagianis *novis Hæreticis* datum eſſe jam ſufficiens judicium, eorumque cauſſam finitam fuiſſe. Quod ſi etiam a Romanorum Pontificum judiciis ad plenarium Concilium appellaſſent illi; non puto ab Auguſtino ob id eoſdem objurgatos fuiſſe; non quin perperam, ac perverſe factum ſit, ab Romani Pontificis ſententia ad Concilium provocare in rebus ad fidem attinentibus; ſed quia id fruſtra redarguitur, quoties ea de re cum Hæreticis, ac Schiſmaticis dimicatur. Poſtea nondum in more poſitum fuiſſe legitur, ut Oecumenicum ad Concilium appellaretur; ſed ad majora judicia, ac ad Sedes eminentiores; hoc nimirum modo Eutyches in Concilio Conſtantinopolitano condemnatus *appellavit ſanctum Concilium SS. Epiſcopi Romani, Alexandrini, Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis*, ut ſcriptum eſt Act. 1. Concilii Chalcedonenſis. Nec inepte ſatis Gallicanus Defenſor interpretatur, hæreſim Pelagianam iccirco *apertam perniciem* ab Auguſtino vocitatam, quod lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag. ad Bonifacium cap. 1. dicat: *Pelagianorum profanas novitates Catholicæ aures, quæ ubi ſunt, horruerunt:* quod & habet lib. 2., nec non lib. 4. cap. 8., ubi ait: *cum potius eorum profanas novitates Eccleſia Chriſti, & Occidentalis, & Orientalis horruerit:* S. etiam Hieronymus ad

Cte-

Cteſiphontem adverſus Pelagium: *& quia hoc Eccleſiarum per Orientem aures ferre non poſſunt:* & Leo Magnus Epiſt. 86. ad Nicetam Aquilejen. Epiſcopum de Pelagianis: *damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris auctores; & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur*. Ea ſane, quæ omnium aures horrent, apertum flagitium ſapiunt; neque ob id culpandus eſt Defenſor, ſed quod ſupervacaneam crediderit Synodum; proptereaquod Auguſtinus dixit, congregatione Synodi non opus fuiſſe, *ut aperta pernicies damnaretur*, quod quidem confutavi num. VIII. Quoniam etſi opus non fuit Synodus, ut Pelagiani errores damnarentur; id tamen non ideo, quod aperta pernicies eſſet; ſed quia, ut ibi ſubjungit Auguſtinus, *rariſſimæ inveniantur hæreſes, propter quas damnandas neceſſitas talis Synodi extiterit;* cum nihilominus omnis hæreſis ſit aperta pernicies: quod ergo ob aliquas opus fuerit Synodi congregatione, alia in cauſâ fuerunt. Quod vero magis horrendæ, magiſque deteſtandæ Catholicis auribus fuerint hæreſes Arii, ac Macedonii, quam Pelagii; probat quidem, neque pro illis opus fuiſſe duo illa priora Oecumenica Concilia Nicænum, & Conſtantinopolitanum I., ſed non ſupervacanea fuiſſe: Nicæno namque Concilio opus non fuiſſe ad hæreſim Arianam eliminandam liquet ex eo, quod hæc jam antea ſatis proſtrata fuerat duobis in Conciliis Alexandrinis, & ab omnibus fere Eccleſiis etiam Romana, ut ex literis potiſſimum Alexandri Epiſcopi Alexandrini habetur: eapropter non ob eam tantum hæreſim convocatum eſt Concilium, ſed & ob Quartodecimanorum opinionem, & ob diſſidia, ſchiſmataque a Colutho, & Meletio in Alexandrina Eccleſia ſuſcitata. Similiter quis eſt, qui putet neceſſarium fuiſſe Concilium Conſtantinopolitanum I. pro extirpanda hæreſi Macedoniana; quæ jam damnata fuerat primum in Alexandrina Synodo S. Athanaſii anno 362., tum in binis Romanis Conciliis ſub Damaſo Papa anno 372., & 374. celebratis, aliiſque plurimis in Oriente Eccleſiis? quocirca nec præcipue propter eam coactum fuit Concilium illud Oecumenicum; ſed, uti ſcribit Socrates lib. 5. cap. 8., *quo tum fides Concilii Nicæni corroboraretur; tum Conſtantinopoli deſignaretur Epiſcopus: ac quoniam in ſpem venerat* [Theodoſius Imp.], *ſe poſſe Macedonianos ad concordiam cum illis*

Epi-

Epiſcopis, qui erant ejuſdem cum illo fidei, reducere, Epiſcopos ſectæ Macedonianæ accerſivit. Quamquam igitur ad duas Arii, & Macedonii hæreſes, apertaſque pernicies neceſſaria non fuerint duo illa Oecumenica Concilia Nicænum, & Conſtantinopolitanum; erit nihiloſecius, qui illa ipſa fuiſſe ſupervacua, exiſtimare poſſit? quemadmodum opus quidem non fuit ſecundum Auguſtinum congregatione Synodi ad hæreſim Pelagii obterendam, damnandamque; ſed non fuit inane, ac fruſtra factum, eam ad Oecumenicam Synodum Epheſinam poſt Auguſtini mortem perduci, ibique rurſus Act. V. condemnari.

XV. *Alia ejuſdem Auguſtiniani loci explicatio rejicitur*

Neque appoſitior explicatio loci S. Auguſtini proxime memorati ea cenſenda eſt, quam affert Cypriani Vindex; nimirum quod ut in cauſſa Cypriani conjicit, ac dicit Auguſtinus, quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo *eliquatam, & declaratam* fuiſſe, idque a Stephano Papa exiſtimandum: ita in cauſſa Pelagii cum dicit, illius errorem fuiſſe *apertam* perniciem; intelligendus eſt, eam apertam, ac declaratam fuiſſe a Romanis Pontificibus Innocentio, & Zoſimo: demonſtrandum eſt enim hoc loco, hæreſim Pelagianam minime a Romanis Antiſtitibus declaratam fuiſſe; ſed aliorum declarationem confirmaſſe; quamquam in hanc rem haud pauca congeſſi num. VII., ſicut & ibi oſtendi, quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo a Papa Stephano, qui teſtimonio Auguſtini nil aliud Cypriano niſi traditionem, atque conſuetudinem oppoſuit, minime explanatam, ac declaratam fuiſſe. Primum igitur declarata legitur Pelagiana hæreſis in Concilio Carthaginienſi anno 412. adverſus Cœleſtium celebrato: mox in Hieroſolymitano Conventu anno 415. contra Pelagium, ubi Oroſius Præsbyter cum aliis ait: *Hoc in Cœleſtio Africana Synodus deteſtata eſt; hoc Auguſtinus Epiſcopus ſcriptis ſuis... hoc & B. Hieronymus... Patres, quos univerſa per Orbem Eccleſia probat, quorum communioni nos adhærere gaudemus, damnabilia hæc eſſe dogmata decreverunt: illis probantibus nos obedire dignum eſt:* tum in Dioſpolitana Synodo eodem anno, qua *Pelagius damnari timens eos, qui ſentiunt iſta, damnavit cum eis, quos damnavit, profecto damnan-*

damnandus: inquit S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap. 5., uti & Conſtantinopoli ab Attico Epiſcopo expulſo Cœleſtio. Denique in duobus Concilliis Carthagine, & Milevi congregatis anno 416. clarius etiam, ac plenius declarata eſt, erroribus Pelagii, Cœleſtiique conſenſu omnium condemnatis. Neque *aperta* pernicies reputata eſt niſi poſt duo Sedis Apoſtolicæ reſcripta; ſed & antea, & cum damnaretur a Conciliis, & Patribus; nec fruſtra Africani Patres non ſemel Apoſtolicam Sedem adiiſſent, ſi ante Romanum judicium aperta fuiſſet; quandoquidem non declarationem Africani Patres a Romana Sede poſtularunt, ſed confirmationem; ut perſpicue referunt Epiſtolæ, ac reſcripta Innocentii Papæ ad duo memorata Concilia Carthaginienſe, & Milevitanum; ait enim Innocentius: *ut tota hujus* (Sedis Apoſtolicæ) *auctoritate, juſta quæ fuerit, pronunciatio firmaretur:* ipſique Concilii Africani Patres ad eundem ſcripſerant: *id communi deliberatione cenſuimus, hujuſmodi perſuaſionis Auctores, niſi hæc apertiſſime anathematizaverint, anathematizari oportere.. claritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorundam etiam perverſitate corrigenda:* & quinque Epiſcopi, inter quos Auguſtinus erat, Epiſt. 95. ad ipſum Innocentium: *hoc a te probari volumus, & tuis reſcriptis de communi participatione gratiæ conſolari* dixerant: quare S. Leo Magnus Epiſt. 86. ad Nicetam Aquilejen. Epiſcopum de Pelagianis admonet, ut *damnent apertis profeſſionibus... omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti ſe, eloquantur.* Quomodo enim peſtis illa jure damnata fuiſſet a pluribus Conciliis, multiſque Eccleſiæ Patribus, ſi non fuiſſet aperta pernicies, & manifeſtus error? & quomodo Africani Patres ante reſcripta Romanorum Pontificum vocaſſent illam *errorem, & impietatem,* ſi hæreſis aperta non extitiſſet? nam in allatis ad Innocentium PP. literis ajunt: *ſi ergo Pelagius Epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſte viſus fuerit abſolutus: error tamen ipſe, & impietas, quæ tam multos aſſertores habet per diverſa diſperſos, etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate anathematizanda eſt:* & S. Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *expectabatur venturis ex Africa literis, in qua Pro-*

vin-

vincia ejus calliditas aliquanto evidentius innotuerat. Quæ Romam literæ poſteaquam venerunt id continentes non ſufficere hominibus tardioribus, & ſollicitioribus, quod ſe generaliter Innocentii Epiſcopi literis conſentire fatebatur; ſed aperte eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat: non quærunt, an anathematizanda ſit; ſed anathematizandam eſſe eam impietatem ſcribunt, addendumque Sedis Apoſtolicæ authoritate robur damnationis ſententiæ ab ipſis latæ: ut etiam ait Proſper contra Collatorem cap. 41., *quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Zoſimus Papa ſententiæ ſuæ robur adnexuit.* Nec ex Innocentii Papæ ad Africana Concilia reſcriptis proditur, Africanos Patres auſos non eſſe peremptoriam de Pelagio, & Cœleſtio ſententiam ferre niſi Romani Pontificis authoritate confirmatos: cum illam jam ediderint fere quinquennium ante in Carthaginienſi I. Concilio anno 411. vel 412., in quo Cœleſtius communione privatus eſt, & iterum in alio anno 416. Carthagine coacto, in quo dixerunt: *cenſuimus Auctores anathematizari oportere.* Verum quoniam decretum Provincialis Concilii nonniſi Provinciales obſtringere poteſt: cernenteſque Afri Pelagium, & Cœleſtium multis imponere, & ab Orientalibus abſolutionem ſurripere; per literas egerunt apud Romanam Sedem, ut ejus authoritate ſuis robur adderetur decretis; quo deinceps ubique damnati illi, vitandique in univerſo Orbe Catholico cenſerentur: quod plane facere nemo poterat præter Oecumenicum Concilium, & Romanum Pontificem. Dicere demum, Pelagianam hæreſim perniciem quidem ſemper fuiſſe, ſed non ſemper apertam; & Auguſtinum tum apertam perniciem eam hæreſim dixiſſe, cum jam duo reſcripta ab urbe in Africam advenerant; nullo negotio convelli poteſt: quippe quod ante ea reſcripta non ſemel Auguſtinus *hæreſim* Pelagianam appellavit, ut in Epiſt. Synodi Milevitani ad Innocentium Papam: *nova quippe hæreſis, & nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti:* quod ipſum repetit Epiſt. 178. al. 94. ad Hilarium; Epiſt. vero 102. ad Evodium anno 415. miſſa ait: *ſcripſi etiam grandem librum* [ſubde *de Natura, & Gratia*] *adverſus Pelagii hæreſim, cogentibus nonnullis fratribus, quibus contra gratiam Chriſti opinionem pernicioſiſſimam ille perſuaſerat:* & lib. 3. de Peccatorum meritis, & remiſſione

cap. 3. *quemadmodum hoc totum Pelagius ... ſtiens hanc neſtio*
quam eſſe novitatem, quæ contra antiquam Eccleſiæ inſitam
opinionem ſonare nunc cœperit ... Hæc ergo, & alia, quæ hunc
ſequuntur errorem, nimium perverſa, & Chriſtianæ repugnan-
tia veritati &c.: cap. 7. *ſed ut appareat ab initio uſque ad*
præſens tempus, quo iſta novitas orta eſt, hoc de originali
peccato apud Eccleſiæ fidem tanta conſtantia cuſtoditum, ut &c.:
in Opere etiam ad Oroſium contra Priſcillianiſtas, atque
Origeniſtas habet: *hoc me non temere ſentire profiteor, eam,*
quæ vera eſt, non adverſari robuſtiſſimæ, ac fundatiſſimæ fidei,
qua Chriſti Eccleſia nec parvulos homines recentiſſime natos a
damnatione credit niſi per gratiam nominis Chriſti, quam in
ſuis Sacramentis commendavit, poſſe liberari. Quid eſt autem
hæreſis niſi certa pernicies? quare ſi Auguſtinus ante reſcri-
pta Romanorum Pontificum Pelagianum dogma aperte *hæ-*
reſim nominavit, apertam quoque perniciem indigitavit: &
cum etiam illud prodidit *nimium perverſum*, & *Chriſtianæ*
veritati repugnans, adverſarique *robuſtiſſimæ, ac fundatiſ-*
ſimæ fidei; nonne apertam perniciem dixit? quocirca lib. 3.
de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 4. adjecit: *quid*
autem apertius tot, tantiſque teſtimoniis Divinorum eloquiorum,
quibus dilucidiſſime apparet &c.?

XVI. *Quam ob cauſſam aliquas hæreſes per Synodum damnari neceſſe fuit, aliquas vero non: & ob quas hæreſes, cauſſaſque Synodi plenariæ, vel Oecumenicæ congregatæ fuerunt* =

CUm S. Auguſtinus loco paulo ante memorato lib. 4. ad
Bonifacium contra duas Pelag. Epiſtolas cap. 12. do-
cuerit; rariſſimas inveniri hæreſes, propter quas damnandas
Synodi neceſſitas extiterit; multoque plures eſſe, quæ ubi
fuerunt, illic improbari, damnarique meruerunt: inquiren-
dum propterea eſt, quam ob cauſam illas per Synodum da-
mnari neceſſe fuit; iſtas vero non. Neque enim, ut exiſti-
mat Gallicanus Defenſor, ideo illæ Synodo eguerunt; quod
de re obſcura, ancipitique, ac magnis altercationum nebu-
lis involutæ eſſent; iſtæ vero de re aperta, ac levi, mini-
meque implexa: cum jam oſtenſum ſit num. VIII., etiam
ob res apertas, ac manifeſtas interdum convocata fuiſſe Con-
cilia

cilia & quidem Oecumenica; ob controverſias vero obſcuras, minimeque leves nullas omnino Synodos ſciri congregatas. Et ſane *Manichæorum* hæreſis etſi videbatur aperta pernicies, errorque cunctis perquam manifeſtus; tamen ob multiplices, quibus involvebatur, quæſtiones, difficultateſque quandoque adeo obſcura, ac anceps aut facta, aut quibuſdam viſa eſt; ut poſt fere ſeſquiſeculum coactus fuerit Auguſtinus plurimos libros ad Hydram illam exſcindendam cudere: ſed ob eam ipſam nullum unquam Concilium legitur coactum, nulla Romani Pontificis conſtitutio vulgata: ſicut & hæreſis *Priſcillianiſtarum* a Gnoſticis ortum ducens *ſuperſtitio execrabilis arcanis occulta ſecretis*, ut ſcriptis tradidit Severus Sulpitius lib. 2., de cujus authore S. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem adverſus Pelagium inquit: *qui & ſeculi gladio, & totius Orbis auctoritate damnatus eſt*; ſed non Oecumenico Concilio. Illud itaque mihi jugi lectione obſervatum, propter illas hæreſes, & controverſias, quibus involuti inveniuntur Antiſtites vel Sedium Apoſtolicarum, ac Patriarchalium, vel Metropolitanarum, ac magni nominis in Eccleſia viri, ſive illæ apertæ, ac faciles, ſive obſcuræ, cognituque difficiles fuerint, coacta fuiſſe plenaria Regionum, vel etiam Oecumenica octo præſertim priora Concilia: ob illas vero hæreſes, ac diſſenſiones quantumcunque magnas, ac impeditas, pertinaceſque, quibus non Epiſcopi magni nominis, ſediumque præcipuarum impliciti eſſent, ſed privati homines, aut etiam Epiſcopi ſed inferiorum Sedium, non item. Idque cernere eſt primum in hæreſi Pauli Samoſateni Epiſcopi *Antiocheni*, nimirum Sedis Apoſtolicæ; ob quam plura, & plenaria totius Orientis Concilia facta ſunt: tum in controverſia Quartodecimanorum, quorum opinioni quod Epiſcopus Epheſinus Exarchus Aſiæ cum tota Aſiatica Diœceſi adhæreret, notum eſt, quot Concilia in Oriente, & Occidente, & quidem maxima ſint celebrata. Similiter quia Ariano errori favebant Menophantes Epheſinus Antiſtes, Euſebius Cæſarienſis Metropolitanus Palæſtinæ, Euſebius alter Nicomedienſis Metropolitanus Bithyniæ, Paulinus Tyrienſis Metropolitanus Phœniciæ, aliique plures Antiſtites Civitatum haud vulgarium; propterea coacta ſcitur Oecumenica *Synodus Nicæna*: *Conſtantinopolitana* vero I. convocata fuit propter illicitam Maximi Cy-

 nici

nici ordinationem in Epiſcopum Conſtantinopolitanum a Petro Alexandrino Antiſtite factam; & ut damnarentur hæreſes, quæ eo maxime ſeculo eruperant, Macedonii, & Eudoxii Epiſcoporum CP., Apollinaris Epiſcopi Laodiceæ Metropolis Phrygiæ; Eunomii Epiſcopi Cyzici Metropolis Helleſponti; Semiarianorum, quorum Anteſignanus fuerat Baſilius Epiſcopus Ancyræ Metropolis Galatiæ; Marcellianorum, quorum Dux extitit Marcellus etiam Ancyranus Epiſcopus; & Photini Epiſcopi Sirmienſis Metropolitani Pannoniæ. Synodus item *Epheſina* noſcitur facta propter errores Neſtorii Epiſcopi Conſtantinopolitani, cui ſtudebat Joannes Antiochenus Antiſtes cum multis Orientis Metropolitanis, & Epiſcopis, iiſque magni nominis: ſed & *Chalcedonenſem* Synodum ſcimus coadunatam ob hæreſim Eutychetis monachi quidem ſolum, ſed cujus fautor eſſet Dioſcorus Alexandrinus Patriarcha; quique jam abſolutus fuerat in latrocinali Epheſino Conventu ex præcipuarum Eccleſiarum Antiſtitibus conflato. Nec quemquam latere puto, *Synodum V.* Oecumenicam habitam fuiſſe ob longa, diſcriminumque plena *de tribus Capitulis* inter Occidentales, & Orientales diſſidia adeo Vigilio Papæ moleſta. *Sexta* quoque cogitur ob Sergium Conſtantinopolitanum, Cyrum Alexandrinum, & Macarium Antiochenum Patriarchas, alioſque plures celebrati nominis Antiſtites Monothelitarum errore maculatos, quo & ipſum Romanum Epiſcopum Honorium legimus involutum fuiſſe. Iconomachorum hæreſis ab Imperatoribus exorta, ut a Theoſteriſto Monacho ſcriptum eſt in Vita S. Nicetæ Hegumeni Medicienſis, fautores habuit plures Patriarchas CP. Anaſtaſium, Conſtantinum, & Nicetam, ampliſſimamque Synodum 338. Epiſcoporum anno 754. Conſtantinopoli convocatam, cui præfuit Theodoſius Epheſinus Epiſcopus, Aſiæque Exarchus; atque ea fuit, de qua Eginhardus in Annal. ad ann. 767. ſcriberet: *orta quæſtione de Sancta Trinitate, & de Sanctorum Imaginibus inter Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam, ideſt Romanos, & Græcos, Rex Pippinus &c.:* & ob quam opus fuit, ut *Synodus VII.* celebraretur. *Octava Synodus* tandem nonne congregata eſt ob injuſtam Ignatii Patriarchæ CP. depoſitionem, & intruſionem Photii, pro quo plurimi Metropolitani, & Epiſcopi, ipſeque Michael Imperator ſtabant? Legitur quidem

Act. I.

Act. 1. Concili Chalcedonen., uti Imperator Theodoſius in cauſſa Eutychetis, & Dioſcori *univerſalem præcepit fieri Synodum; & neceſſe eſt majores cauſas in illud reſervare Concilium*, inquit Meliphtongus Epiſcopus Juliopolitanus: ſed cum legamus quoque, hæreſes Marcionitarum, Valentinianorum, Manichæorum, Sabellianorum, aliorumque plurimorum fidei Chriſtianæ corruptorum non ad Concilia deductas fuiſſe; quamvis de rebus fidei eſſent, & cauſæ difficiles, magniſque altercationum nebulis ita involutæ, ut neque comprehendi, neque confutari, comprimique tam facile fuerit; neceſſe eſt, *majores cauſſas* non alias ibi intelligi, quam quibus impliciti, irretitique majorum Sedium Antiſtites inveniuntur: hinc Acaciani apud Gelaſium Papam Epiſt. 13. ad Dardanos dixerunt; *ideo Acacium non putari jure damnatum, quod non ſpeciali Synodo videatur eſſe dejectus: & inſuper dementiam ſuæ vanitatis accumulant*, (ſubdit Gelaſius) *pueriliter adjicientes præcipue Pontificem Regiæ Civitatis* nempe Conſtantinopolitanæ. Quapropter mirum non eſt, ſi Pelagianam ob hæreſim nunquam a quoquam legitur propoſitum, ut Synodus Oecumenica cogeretur; cum eam nonniſi Monachi invexerint, & homines privati, Epiſcopique pauci, ac nullius nominis, ſi unum demas Julianum Æclanenſem, ideſt Civitatulæ Præſulem, & alterum Theodorum Mopſveſtenum Antiſtitem, defenderint. Quod ſi mihi objiciant & Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, ejuſque ſucceſſorem Praylam Pelagii patronos; primum ſcire poſſunt, Hieroſolymitanam Sedem id temporis nondum Patriarchali, aut Metropolitana dignitate ornatam fuiſſe; deinde illos perſonæ, non errorum defenſores extitiſſe; tandem alterum cito periiſſe, alterum Zoſimi Papæ literis ſtatim reſipuiſſe.

XVII. *Cauſſa recluditur, ob quam S. Auguſtinus ſcripſit, Cyprianum decreto Papæ Stephani non acquieviſſe; plenario vero Concilio, ſi factum fuiſſet, acquieturum* =

AUguſtinum igitur, (ut ad rem propoſitam aliquando deſcendam) quem quidem in cauſſa rebaptizantium Hæreticos de S. Cypriani facto locutum abſolute, non *in hypotheſi* demonſtratum eſt; quamquam ſcripſit Cyprianum De-

Decreto Stephani Papæ non aquieviſſe, quieturum tamen eum *plenario Eccleſiæ Concilio*, ſi factum fuiſſet; non propterea dicimus, admiſiſſe Concilii plenarii, ſive Oecumenici authoritatem eſſe Romani Pontificis authoritate majorem: verum idcirco ita locutum aſſerimus; quod cum Donatiſtis Schiſmaticis, & Hæreticis verba faciebat, dimicabatque. Nam quomodo Auguſtinus ille adeo natura, atque uſu acutus, vir & in aliis cauſis exercitatus, & in hac ipſa multum verſatus cum Schiſmaticis, unaque Hæreticis, qui ſupremam Romani Pontificis authoritatem aut numquam agnoverunt, aut agnitam tum flocci faciebant, inficiabanturque, diſputans ad ejuſmodi authoritatem vel ipſe confugere potuit; vel tradere Cyprianum ad eam confugere potuiſſe? Contulit itaque ſe ſe vir ille ſummus ad Concilii Oecumenici, univerſæque Eccleſiæ poteſtatem; quam non tam facile negari conſueviſſe, aut negari poſſe ab ipſis vel Hæreticis, Schiſmaticiſve intelligebat: quam quoque a pertinaciſſimis, ac deſperatis hominibus ſi quando pernegari ſentiret; tunc ad rationes, & Divinas Scripturas ſe recipiebat: quemadmodum tum, cum adverſus Maximinum Arianum Epiſcopum diſceptans lib. 3. cap. 14. retulit, in Nicæno Concilio *homouſion* eſſe firmatum; in Ariminenſi vero Conventu Hæreticorum fraude, ut labefactaretur, tentatum; addiditque: *ſed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: authoritatibus Scripturarum non quorumque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet:* ſic & lib. 1. contra Creſcon. cap. 33. *Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas... Si autem dubitas, quod Eccleſiam, quæ per omnes gentes numeroſitate copioſiſſima dilatatur, hæc ſancta Scriptura commendat; neque enim, ſi non dubitares, adhuc eſſes in parte Donati; multis, & maniſeſtiſſimis teſtimoniis ex eadem auctoritate prolatis onerabo:* cum antea cap. 32. dixiſſet: *ſequimur ſane nos in hac re etiam Canonicarum auctoritatem certiſſimam Scripturarum.* Quamobrem etiam cum Donatiſtis pervicaciſſimis hominibus, ac per-

ac perditiſſimis Hæreticis modo Concilii plenarli, ac univerſæ Eccleſiæ authoritate; modo Sacrarum, ac Divinarum Scripturarum robore; & modo rationum pondere, atque momentis digladiatur, & pugnat Auguſtinus; quod aliter cum ipſis Hæreticis, iiſque non Romani Pontificis authoritatem ſolum, ſed etiam Catholicam Eccleſiam extare niſi apud ipſos pernegantibus rem agere non poſſet. Et ut cum Maximino Ariano diſputans Concilii Nicæni authoritatem non exſibilat, quamquam illam miſſam facit; ſed ab Arianis ſpretam duxit prætermittendam; quo oſtenderet, etiam ſine illa non deeſſe Catholicis arma adverſus illos: ita cum Donatiſtis certamen ingreſſus Romani Pontificis ſummam authoritatem non parvipendit Auguſtinus illam numquam exerens, & minime commemorans; ſed a Donatiſtis aut contemptui habitam, aut quæ quidem haberi poſſet, cenſuit miſſam facere ſemper; ut ita demonſtraret, etiam ſine ea non deeſſe Catholicæ Eccleſiæ plura, quibus ipſos profligaret, eorumque errores penitus exſcinderet. Propterquod non dubitavit lib. de unico Baptiſmo contra Petil. cap. 16. pronunciare: *prorſus qualeſcumque fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylveſter, Miltiades* (Romani Pontifices) ... *quibus objiciunt pro ſua diſſenſione quod volunt, nibil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ toto Orbe terrarum diffuſæ; nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur:* & in Epiſt. 43. al. 162. ad Donatiſtas de Cœciliano Carthaginienſi Epiſcopo, ejuſque Collegis, ac fautoribus inquit; *neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, ſed de Collegis agebatur, qui poſſent aliorum Collegarum judicio præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum cauſſam ſuam integram reſervare:* non dicit Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ſed Apoſtolicarum Eccleſiarum judicium expetendum, aliorumque Collegarum, quod eſt plenarii Concilii, ac univerſæ Eccleſiæ: ut & plurimis aliis locis lib. 1. de Baptiſmo cap. 18., lib. 2. cap. 7., & 8. &c., quos indicavi ad num. XXIV. cap. I., Auguſtinus Decreto Stephani prætermiſſo unius plenarii Concilii, ac univerſæ Eccleſiæ munimento fulcitur, & illud magnificat; quinquod interdum ipſum Provinciale Concilium ob eam, quam dixi, rationem, pluris pendiſſe videtur, quam Romanam ſententiam: quid enim eſt, quod lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. de S. Cypriano

in

in rebaptiſmi quæſtione decertante ſcribit: *ſed cum fatigatum præcedentis Concilii, quod per Agrippinum factum eſt, excepiſſet auctoritas; maluit prædeceſſorum ſuorum tanquam inventum defendere, quam inquirendo amplius laborare?* Simili autem modo cum Pelagiani flagitarent iterum audiri in alia minus ſuſpecta Synodo; ibique ſuam accuratius cauſſam retractari, atque a delectis nullarum partium judicibus ventilari; non repoſuit Auguſtinus, a Romani Pontificis judicio, atque ſententia nequaquam licere ad Concilium provocare, & aliud judicium appellare; ſed reſpondit, non opus eſſe *congregatione Synodi, ut aperta pernicies damnaretur: quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit &c.*; idque quidem propterea conſcripſit, quod cum Hæreticis diſputaret; cum quibus itidem diſceptans vulgatum illud effudit: *ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*, lib. contra Epiſt. Manichæi cap. 5.

XVIII. *Altera cauſſa, atque ratio proditur de eadem re*

PRæterea eſt alia minor quidem, non tamen prorſus aſpernanda ratio, uſus nimirum, ac mos illorum temporum; quibus Romanus Pontifex, tametſi cauſſas, ac controverſias Eccleſiaſticas ſolus finire, ac terminare poterat; id tamen non conſueverat peragere quibuſdam in cauſſis niſi coacta Synodo. Quod plane factum videtur eo Apoſtolorum exemplo ab Imp. Juſtiniano in V. Synodo Collat. VIII. commemorato, dum de Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio inquit: *licet enim Sancti Spiritus gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire; priuſquam communiter congregati Divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt*: Qua de re & Zoſimus Papa Epiſt. 10. ad Concilium Africanum de judicio in Cœleſtium a ſe prolato ſcribit: *tamen cum tantum nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia; nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultro literis refer-*

referremus, dantes hæc fraternitati, ut in commune conſulentes, non quia, quid deberet fieri, neſciremus; aut faceremus, quod contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret; ſed pariter vobiſcum voluimus habere tractatum de illo &c. Qui quidem mos etiam videri poſſet cauſſam præbuiſſe, ut conderetur canon 33. al. 35. Apoſtolorum, & 9. Concilii Antiocheni; quo ſancitur; *Epiſcopum* ſuæ Parœciæ poteſtatem habere, ut gerat omnis poſſeſſionis curam, Præsbyteros, ac Diaconos ordinet, cæteraque ſuæ ditionis; *amplius autem nihil agere tentet præter Antiſtitem Metropolitanum; nec Metropolitanus ſine cæterorum gerat conſilio Sacerdotum:* nec non canon 2. Concilii Conſtantinopolitani I. ita decernentis: *manifeſtum eſt, quod illa, quæ ſunt per unamquamque Provinciam, ipſius Provinciæ Synodus diſpenſet; ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio:* nempe can. 5., quo Nicænum ſtatuit, per unamquamque Provinciam bis in anno fieri debere *Concilia*, quæ controverſias Eccleſiarum dirimerent; quod & conſtituit Apoſtolorum canon. 36. al. 38., & 20. Antiocheni Concilii: ut eſt enim Epiſcopus in Parœcia, Metropolitanus in Provincia, & Exarchus in Regione, atque Diœceſi, Patriarchaque in Patriarchatu; ita Romanus Pontifex in univerſa Eccleſia, ac Orbe Chriſtiano. Propterquod & illud putatur dictum a Clero Romano in Epiſtola ad S. Cyprianum anno 250. Romana Sede vacante ſcripta Lapſorum in cauſſa: *quoniam nec firmum decretum poſſet eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum;* ac illud Siricii Papæ Epiſt. 4. ad Afros, atque Innocentii I. Epiſt. 2. ad Victricium Rothomag. Epiſcopum: *integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur*. Certe idem Innocentius Epiſt. 29. ad Clerum, populumque Conſtantinopolitanum in cauſſa S. Joannis Chryſoſtomi ſcripſit: *Synodali cognitione peropus eſt, quam dudum etiam cogendam eſſe cenſuimus: ſola enim illa talium procellarum motus ſopire poteſt... nos quidem multum deliberamus, & diſpicimus, quomodo univerſalis Synodus congregetur; ut de voluntate Dei turbulenti iſti motus compeſcantur:* & Theodorus Eccleſiæ Romanæ Diaconus apud Palladium in Dialogo de eadem Chryſoſtomi cauſſa dixit: *eſt autem hæc Romanæ Eccleſiæ ſententia, non communicare in finem uſque in Orientalibus Epiſcopis, maximeque Theophilo; donec Dominus univerſalis Concilii tribuat*

 locum;

locum; ac per eam curet putrida membra eorum, qui ita geſſerunt: ſic S. Columbanus Abbas Epiſt. ad Bonifacium Papam ait: *cauſa ſchiſmatis incidatur quæſo a cultello S. Petri ideſt vera in Synodo fidei confeſſione &c.:* ſic Juſtinianus junior Imp. ſuper Synodo Trullana, ſive Quiniſexta, ejuſque Canonibus per legatos Joannem VII. Papam *adhortatus eſt, ut Apoſtolicæ Eccleſiæ Concilium aggregaret; & quæ ei viſa eſſent, ſtabiliret, & quæ adverſa, renuendo excluderet*, teſtante Libri Pontificalis Authore in Vita Johannis VII., & Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſanctimonia vitæ, ac doctrina clarus de hæreſis Iconomachorum ad Imperatorem, & primores urbis prope vitæ finem conſtitutus inquit; *niſi Synodus univerſalis fiat; & error, qui eſt in medio veſtri, corrigatur; ſalutem non habebitis;* ut refert Theophanes: Theodorus etiam Abbas Studenſis Epiſt. 33. lib. 1. ad Leonem III. Papam ita ſcribit: *quanto æquius uſque adeo neceſſarium fuerit... a divino tuo Principatu legitimam Synodum convocari, ut orthodoxum Eccleſiæ dogma hæreticum excluderet:* Auxilius vero Francus cap. ult. libri 1. pro Formoſo Papa elaborati tradit ſe, alioſque, qui a Formoſo fuerant ordinati, *in ſacro ordine, quo conſecrati erant, permanentes præſtolari univerſalis Concilii æquiſſimum examen:* quamquam ea de re Romanorum Pontificum judicia etiam in Conciliis Romæ, & Ravennæ factis jam præceſſerant. Sed & S. Auguſtinus Epiſt. 22. al. 64. ad Aurelium Carthagin. Epiſcopum habet: *ſed tanta peſtilentia eſt hujus mali; ut ſanari prorſus, quantum mihi videtur, niſi Concilii authoritate non poſſit:* ac lib. 2. contra Parmen. cap. 13. *& hæc alia quæſtio eſt; utrum & ab iis, qui numquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine authoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit:* nec non lib. 7. de Baptiſmo cap. 53. *ſed nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ; quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: id autem ſit cura ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Quinimmo ipſe Romanus Pontifex Siricius Epiſt. 1. ad Himerium Tarraconen. Epiſcopum de Arianis ait: *quos nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſepti-*

for-

formis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus: S. vero Epiphanius in fine libri de Hæreſ., & in Anacephaleoſi num. 8. de quibuſdam; *ſtudent*, inquit, *quidpiam ſibi præter Canones arrogare... quin & abſque Synodi Oecumenicæ ſtatuto rebaptizare, qui veniunt ex Arianis; cum nondum hæc res ullo ſtatuto, vel decreto Synodi deciſa ſit*. Denique S. Hieronymus in Dial. adverſus Luciferianos & ipſe de Arianis, ac Semiarianis diſſerens ſcribit: *in Alexandrina poſtea Synodo conſtitutum eſt, ut exceptis Auctoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur... Aſſenſus eſt huic ſententiæ Occidens; & per tam neceſſarium Concilium e Satanæ faucibus ereptus eſt Mundus:* cur non adduxit Papæ Liberii conſtitutum, quo illius Concilii Alexandrini ſententiam confirmavit, ratamque habuit; ut prodit ejus ad Italiæ Catholicos Epiſcopos Epiſtola; niſi quia diſputabat cum Schiſmaticis; & illo ſeculo ſcribebat? Nec eſt, quod quis exiſtimet, Hieronymum ignoraſſe Liberii Papæ literas; cum ille id temporis Romæ moraretur, quando literæ ſunt editæ; & iſtæ fuerint encyclicæ, ac publicæ, propterea que omnibus notæ; & ex quibus etiam facile eſt, agnoviſſe eum Concilii Alexandrini decretum. Nos autem ex ejus verbis, & ex aliorum dictis, quæ proxime recitata ſunt, diſcimus conſuetudinem, & morem illorum temporum de Synodorum pene neceſſitate a Romanis Pontificibus permiſſa; & Catholicos Scriptores cum Hæreticis, & Schiſmaticis digladiantes ad ſupremam Romani Pontificis authoritatem numquam confugiſſe: ac proinde S. Auguſtinum eo modo in hac ipſa, ſimilique cauſſa eſſe locutum, habita nempe *perſonarum*, contra quas dimicabat; & *temporum*, quibus ſcribebat, ratione. Quam ſane tam obviam, & facilem, certamque ad Auguſtini dicta in hac quæſtione reſponſionem pro ſuprema Romani Pontificis authoritate tuenda a *Defenſore Declarationis Gallicanæ* homine ſatis erudito, ac in primis acuto minime vel exploratam, vel memoratam fuiſſe, nemo mirari debet: cum quædam interdum etiam facilia, ac aperta a viris quantumvis perſpicacibus non videantur ab æſtu diſputationis abreptis; quædam vero probe noſcantur, ſed ultro, ac dedita opera ſimulentur, reticeanturque ſuſceptæ cauſſæ gratia; idque quidem pluribus exemplis abunde confirmari poſſet.

Hæc habui, docte Paulle, quæ dicerem, differeremque do germana S. Cypriani, & Firmiliani, aliorumque antiquorum ſententia ſuper Hæreticorum baptiſmate; ac de reliquis ob eam quæſtionem a Cypriani, Firmilianique *Vindice* figurata controverſia, atque exercitationis cauſſa declamatis. Sed quoniam non modo nonnulli ſubvereri poſſunt; ne ego aut quod mihi libuit interdum; aut quod ſæpe viſum eſt, exponere voluerim; verum etiam ego ipſe mihi bene conſcius, quantum errare quiverim: (ecquis enim eſt, qui quicquam ſcribat, & ſemper ab errore vacet?) cuncta pro tua prudentia, ac dignitate, doctrinaque notabis; & quantum ſit illud omne, quod exaravi, dijudicabis. Quod ſi tibi aliqua, quæ a me ſcripta ſunt, minus probabuntur; aliqua velim deleas: ſin autem fortaſſe cuncta, cuncta quoque delebis, totumque ſcriptum conſcindes: quo quidem facto erit imprudentiæ meæ merita caſtigatio, & quod majus viribus opus auſus ſim ſuſcipere; & quod aſſidua, moleſtaque te ſollicitudine diſtentum gravare, interpellareque non dubitaverim. Horum autem utrumlibet mea cauſſa feceris, ſemper habebo gratiam; quod ab amico corripi malim, pluriſque faciam, quam ab aſſentatore laudari.

A D-

Digitized by Google

ADDIT.

DISSERT. I.

AD cap. I. n. XVI. pag. 30. lin. 9. *add.* = Nam ex iſto quæram; utrum quæſtio, quam Auguſtinus contra Donatiſtas agitavit; quamque dicit ad plenarium totius Orbis Concilium fuiſſe deductam, extiterit de Paulianiſtarum baptiſmo, an de baptiſmo quorumcunque Hæreticorum; certe horum fuiſſe, non illorum, clarius elucet meridiana luce: at de hac ipſa quæſtione idem Auguſtinus ſcribit lib. 2. de Baptiſmo cap. 4. *Quomodo potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem, confirmationemque deduci; niſi primo diutius per Orbis Terrarum Regiones multis hinc, atque hinc diſputationibus, & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* non eſt autem pertractata diu per Orbis terrarum Regiones multis Epiſcoporum diſputationibus, niſi Stephani PP., ac Mart. Cypriani, Firmilianique temporibus quæſtio de Hæreticorum baptiſmo: igitur quæſtio ea de quorumcunque Hæreticorum baptiſmo fuit, non de lavacro Paullianorum, aut Cataphrygum tantum.

Ad cap. I. n. XXIV. pag. 59. lin. 13. = ſcribitque poſt Donati damnationem in judicio Romano factam: *& tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis credidit:* non dicit ab Antiſtite Romano;

Pag. 64. lin. 31. = item Epiſt. 108. al. 255. cap. 1. ad Macrobium Donat. *& Chriſtianis gentibus quare dicitur, ut judicent de factis Aphrorum traditorum ante tot annos mortuorum, quos nec vivos tot Chriſtiani, qui tunc vivebant, in terris remotiſſimis conſtituti audire, vel noſſe potuerunt? qui manentem notum non audes judicare Primianum; cur mihi antiquum, & ignotum judicandum vis imponere Cæcilianum?*

Ad cap. I. n. XXV. pag. 66. lin. 16. = animadverti tamen, quum S. Auguſtinus indigitat *plenarium Concilium* ſine adjecto, Concilium intelligere pluſquam Regionale, quod eſt aut Patriarchale, aut Oecumenicum: ſic lib. 2. de Bapt. cap. 3. *Concilia Regionum, & Provinciarum Plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtia-*

ſtia-

Digitized by Google

ſtiano... cedere ſcribit : lib. 3. cap. 2. *ſi forte aliqui ex tranſmarinis Terris, longeque diſcretis nullo quidem ſive Plenario, ſive ſaltem Regionali Concilio, ſed Epiſtolari colloquio commoti ſunt:* & lib. 7. cap. 53. *quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata ſunt.*

Ad cap. I. n. XXVI. pag. 76. lin. 7. in fine *add.* = quo loco magis ferri poteſt Valeſii interpretatio cap. 23. *aliorum complurium;* cum græce ſcriptum extet πλείστων ὅσων ἄλλων (*aliorum fere plurimorum*).

Ad cap. II. not. XIII. pag. 137. lin. 37. = *quis neſciat*, inquit Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 47., *non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica, quibus Symbolum conſtat, illic defuerint?*

Ad cap. II. not. XXV. pag. 147. lin. 7. = in Epiſt. 108. al. 255. ad Macrobium Donat. cap. 1.

Not. XXVI. pag. 147. in fine *add.* = ita quoque, aut non multo ſecus audiit Hadrianus I. apud Galliarum Epiſcopos in magno Concilio Pariſienſi, vel in Epiſtola eo in Concilio anno 825. ſcripta in cauſſa ſac. Imaginum, ut ad Prop. IV. Theor. VI. num. II. videbitur.

Not. XXXV. pag. 157. lin. 17. = nec non lib. 2. de Baptiſmo cap. 7. nonne Donatiſtas iſtis aggreditur: *ad iſta reſpondete Lupi rapaces, qui pellibus ovinis indui cupientes B. Cypriani literas pro vobis eſſe arbitramini?* & alibi quoque ſæpe non minori acrimonia.

Ad cap. III. not. II. pag. 160. lin. 28. = *ab aliis* vero *Apoſtolis* S. Bruno Signinus Epiſc. in Vita S. Leonis IX. Papæ.

DISSERT. II.

Ad Theor. I. Propoſ. XV. pag. 199. lin. 11. = præſertim quod Optatus id ſcribit de horrendis Donatiſtarum facinoribus poſt redditam ipſis a Juliano Aug. libertatem inquiens lib. 2.: *veniſtis rabidi, veniſtis irati, membra laniantes Eccleſiæ, ſubtiles in ſeductionibus, in cædibus immanes &c.*

Ad Theor. II. Prop. II. pag. 212. lin. 8. = ſic Epiſt. 108. al. 255. ad Macrobium Donat. *cum illud Concilium, vel illius ſcripta; ſi vere ipſius ſunt, & non, ſicut aliqui putant,*

tant, ſub ejus nomine conſcripta, atque confičta; contiueant, quantum dilexerit unitatem &c.

Propoſ. III. pag. 215. lin. 8. = Tandem inquiro, num *hypothetica* fuerit Auguſtini ſententia de *plenario Concilio*, ad quod deductam eam de Hæreticorum baptiſmo quæſtionem inter Stephanum, & Cyprianum agitatam tradit; an *abſoluta:* abſolutam profecto nemo non dicet; nec ipſe Cyprian. Vindex id inficiari poterit, qui Differt. I. cap. I. tantopere laboravit, quo demonſtraret plenarium illud Concilium fuiſſe Arelatenſe I., at ſi abſolutam hanc non diffitetur; neceſſe eſt quoque, ut abſolutam fateatur eam, de qua idem Auguſtinus lib. 2. de Bapt. c. 4. ſcripſit: *quomodo potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem, confirmationemque deduci; niſi primo diutius per Orbis Terrarum Regiones multis hinc, atque hinc diſputationibus, & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* nempe Stephanum Papam inter, & Orientales, Afroſque ventilata; neque enim inter quos alios Antiſtites controverſa fuerit, inveſtigari, divinarique poteſt.

Ad Theor. VII. num. VIII. pag. 327. lin. 34. =, & ante eum Card. Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 7., nec non Svarez in Defenſ. fidei Catholicæ lib. 1. cap. 19. num. 13. de opinione S. Cypriani ſcribens: *illa tunc non pertinebat ad dogmata neceſſaria fidei; neque ab Eccleſia communiter recipiebatur; & Summi Pontifices, quamvis nondum definiendo, illi contradicebant.*

DISSERT. III.

Ad Par. I. num. VI. pag. 349. lin. 3. in fine *add.* =, aut de quibuſcunque Hæreticis, qui adultos ſibi conſentientes baptizaverint.

Num. XI. pag. 360. lin. 35. = hinc S. Auguſtinus Epiſt. 23. al. 203. ad Maximinum Donat. inquit: *hanc formam ubi invenio, neceſſe eſt, ut approbem.*

Ad Par. II. num. II. pag. 375. lin. 28. = ſicut S. Auguſtinus lib. 1. contra Parmen. cap. 6. de Donatiſtis & Romæ, & Arelate condemnatis, cum ad M. Conſtantinum appellaſſent, dicit: *ibi quoque ultimo judicio ſuperati ſunt*: Optati ſane

Digitized by Google

ti ſane verba lib. 1. indicant Miltiadis ſententiam ultimo loco fuiſſe prolatam, dum habent: *Cæcilianus omnium ſupramemoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus etiam Meltiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt his etiam verbis: cum conſtiterit Cæcilianum &c.*

Pag. 375. lin. 38. in fine *add.* = Certe M. Conſtantinus, cum Donatiani ab Romano judicio ſive appellaſſent, ſive judicium aliud, illudque majus petiiſſent, nihil conqueſtus eſt, nihil refragatus; eo quod ab Epiſcopis ad Epiſcopos, a minori ad majus judicium erat provocatio: cum autem ab Arelatenſi judicio, ſententiaque ipſum Imp. appellarunt; ita ſuccenſuit, ut in Epiſt. ad Epiſcopos Catholicos ſcriberet: *ob rabida furoris audacia! ſicut in cauſſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi juſtitia deprehendi poteſt magis; ad majora judicia auctoritate interpoſita ad appellationem ſe conferre ſunt ſolitæ.*

IN-

INDEX

RERUM, AC VERBORUM.

A

Beſſini rebaptizantes. Par. 1. num. 1., & 14.
Acholius Theſſalonicen. Epiſcopus an Concilio CP. I. interfuerit uti Legatus Damaſi Papæ. Cap. 1. num. 29.
Academia Sorbonica num inſtabiiis. Axio. 2. pro Donat. Syſtem.
Aethiopes. V. Abeſſini, & cap. 1. num. 26.
Afri Catholici Donatiſtarum temporibus doctrina, ac ſcriptis illuſtres. Theor. 1. prop. 5.
Multis Græcorum monumentis carebant. Par. 1. num. 1.
Cur *Rebaptiſmus* dictus eſt eorum propria lex. Par. 1. n. 10.
Quando, & quomodo ab Hæreticis, & Schiſmaticis rebaptizandis receſſerunt. Corol. theor. 1. prop. 10.
Africana Concilia etiam *Auguſto* menſe congregata. Theor. 5. prop. 4. num. 1.
Africanæ Eccleſiæ codex. Theor. 1. prop. 7., & theorem. 6. prop. 5. num. 2.
Africana Concilia varia. Cap. 1. num. 26., theor. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. num. 1., par. 2. num. 9.
Agrippinus Epiſcopus Carthagin. defenſus. Cap. 2. not. 13.
Quo tempore Concilium de Hæreticorum baptiſmo celebraverit. Corol. theor. 1. prop. 9.
Ejus Concilium an ſit commemoratum in III. S. Cypriani de eadem re Concilio. Theor. 5. prop. 1.
Albaſpineus Gabriel notatus. Cap. 1. num. 27.
Alexander Alexandrinus Epiſcopus. Cap. 1. num. 17. 18. & 19., par. 1. num. 2., par. 2. num. 8.
Alexander Natalis. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Notatur. Cap. 1. num. 2. 24. & 26., cap. 2. not. 10., par. 1. num. 3.
Defenditur. Cap. 1. num. 25.
Alexander Apoſtata magis, quam Hæreticus. Cap. 2. not. 7.
Alexander Severus Imp. quo anno necatus. Cap. 1. num. 11.

Alexandrinæ Eccleſiæ vetus mos rebaptizandorum eorum, qui ab Hæreticis venirent. Cap. 1. num. 6.
Alexandrina Concilia diverſa. Cap. 1. num. 23. & 29., theor. 4. prop. 6., par. 2. num. 14. & 18.
Ambroſius S. Cap. 1. num. 27. & 30., cap. 2. not. 14., theor. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 7. num. 2., par. 1. num. 1.
Amphilochius Iconienſis Epiſcopus. Cap. 1. num. 16.
Αμυϑητῶν quid ſignificet, & a quo aptius explicatum. Cap. 1. num. 26.
Anaſtaſius Bibliothecarius. Corol. theor. 1. prop. 10., theor. 6. prop. 3. num. 1., par. 1. num. 7. & 10., par. 2. num. 18.
Anaſtaſius I. Papa. Cap. 3. num. 2.
Anaſtaſius II. Papa. Theor. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 8., theor. 6. prop. 4. num. 2.
Anatholius Laodicenus Epiſcopus. Cap. 2. not. 9.
Anchialenſe Concilium. Cap. 2. not. 13.
Ancyranum Concilium. Cap. 1. num. 28.
Anicetus Papa. Theor. 7. num. 1.
Annatus Petrus caſtigatus. Cap. 1. num. 30.
Antoninus S. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Antipater Boſtrenſis Epiſcopus adverſus Euſebium Cæſarien. ſcripſit. Cap. 1. num. 17.
Anonymi Tractatus adverſus *Rebaptizantes* quo tempore compoſitus, & de quo potiſſimum agat. Theor. 4. prop. 2., theor. 7. num. 3.
Ejus Author an Monachus fuerit, vel Epiſcopus. ibidem.
Anonymus Author Operis imperfecti in Matthæum. Cap. 1. num. 5.
Anonymus Valeſianus. Cap. 1. num. 26.
Anſelmus S. Cap. 1. num. 27., cap. 2. not. 9.
Antiochenus Joannes al. Scholaſticus. Par. 1. num. 13. & 14.
Antiochenum Concilium in Encæniis. Cap. 1. num. 25. & 27., par. 1. num. 5., par. 2. num. 3. & 18.
Concilium aliud anno 380. celebratum. Cap. 1. num. 30.
Concilium ultimum contra Paulum Samoſatenum quot Epiſcopos numerarit. Cap. 1. num. 26.
Apellitæ hæretici. Cap. 1. num. 15., cap. 2. not. 13.
Apollinaris hæreticus ubinam primum damnatus. Theorem. 4. prop. 3.

Apol-

Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopus. Cap. 2. not. 13., par. 1. num. 1.

Apellationes ad Concilium Oecumenicum tempore Pelagianæ hæreſis nondum in uſu fuiſſe videntur. Par. 2. num. 14.

Apoſtoli quorundam fuerunt inſtitutores, quorundam verò promulgatores. Cap. 2. not. 9.

Eorum Acta. Cap. 1. num. 5., cap. 2. not. 14., cap. 3. num. 2., Axio. 1. pro S. Cypriani ſententia, theor. 5. prop. 4. num. 8.

Eorum Canones. V. Canones Apoſtolorum.

Appianus Alexandrinus. Axio. 2. pro S. Cypriani ſententia.

Aquarii hæretici. Cap. 2. not. 31., theor. 6. prop. 4. num. 1., theor. 5. prop. 3. num. 2.

Aquilejenſe Concilium Valeriani Epiſcopi. Cap. 1. num. 30.

Arelatenſe Concilium I. non fuit Oecumenicum, nec Orientales habuit. Cap. 1. num. 27.

Refertur. Cap. 1. num. 29., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 2., theor. 7. num. 2.

Ex duobus conflatum fuit *Judicio*, & *Synodo*; illud Afris compertum fuit, iſta vero ignota. Cap. 1. num. 23.

Pro Rebaptiſmo non fuit convocatum. Cap. 1. num. 29.

Ejuſdem Epiſcoporum numerus. Cap. 1. num. 26.

Subſcriptiones eorum non extant, ſed Catalogus; qui nonnihil emendatur. ibidem.

Ejuſdem canonis VIII. lectio ubi corrupta, & ubi caſtigata. Theor. 7. num. 2.

Idem canon VIII. de Afris Catholicis agit, non de Arianis, aut Donatiſtis. ibidem.

Arelatenſe Concilium II. Cap. 1. num. 31., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 2., par. 1. n. 10. & 11.

Quo tempore, & a quo convocatum. Cap. 1. num. 26.

Ejus authoritas pro Concilio Arelatenſi I. quanti facienda. ibidem.

Arelatenſe Concilium V. Par. 2. num. 12.

Archontici Hæretici novos Prophetas colebant. Cap. 2. not. 13., theor. 5. prop. 4. num. 5.

Ariani, qui & Semiariani diu inter Catholicos tolerati quandonam proſcripti. Par. 1. num. 14.

Eorum Epiſt. ad Alexandrum Epiſc. Alexandr. Cap. 1. n. 28.

An rebaptizarent, & quandonam id agere incœperint.

Theorem. 7. num. 2., par. 1. num. 14.
Arius non fuit expolitor hæreſis Pauli Samoſat., ſed Origenis. Cap. 1. num. 18.
Ejus hæreſis quam diverſa ab illa Pauli Samoſateni. ibid.
Ariminenſe Concilium. Cap. 1. num. 26., par. 2. num. 5. & 17.
Armeni Schiſmatici rebaptiſmo adhuc hærentes. Par. 1. nu. 14.
Ariſtides Athenienſis. Par. 1. num. 1.
Artemon hæreticus Paulli Samoſateni Dux. Cap. 1. num. 18.
Aſclepius Afer Epiſcopus poſt S. Auguſtinum ſcripſit contra Donatiſtas. Theor. 1. prop. 5.
Aſiaticum Concilium Polycratis Epheſini Epiſcopi. Corol. theor. 1. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Aſiatica Diœceſis Rebaptiſmo ſtuduit. Cap. 2. not. 27.
Aſtris tactum ineſſe non dubitavit S. Auguſtinus. Cap. 2. not. 18.
Athanaſius S. Alexandrinus. Cap. 1. num. 6. 17. 19. 23. 26. 29. 30. & 31., cap. 2. not. 9., theor. 2. prop. 6., Theor. 5. prop. 4. num. 1. & 5., theor. 6. prop. 5., par. 1. num. 1. 5. 12. & 13.
Quid de baptiſmo Hæreticorum ſenſerit. Cap. 1. num. 31.
Athenagoras Athenienſis. Par. 1. num. 1.
Ariſtinus Alexius. Cap. 1. num. 27. & 31.
Aſterius Philoſophus Arianus. Cap. 1. num. 17.
Audiani Hæretici. Par. 1. num. 13.
Audentius Epiſcopus ſcripſit contra Photinianos. Par. 1. n. 11.
Auguſtinus S. an vicerit S. Cyprianum in diſputatione de Hæreticorum baptiſmo. Theorem. 2. prop. 7., theorem. 6. prop. 4. num. 1. & 4., & prop. 5., par. 2. num. 13.
An ignoraverit Acta Concilii Nicæni, cum adlectus eſt Epiſcopus. Cap. 1. num. 26.
Quæ eum latuerunt. Cap. 1. num. 8.
Quid ille de ſeipſo ſcripſerit. ibidem, & cap. 2. not. 27. & 31., theor. 2. prop. 7.
Ejus locus hactenus depravatus reſtituitur. Cap. 1. num. 26.
Ejuſdem loca plura explicata. Cap. 1. num. 24., theor. 6. prop. 5., par. 2. num. 3. 4. 5. 6. & 8.
Loca ejus, quibus apparet eum ad Concilium Plenarium confugiſſe, non ad Decretum Stephani P. Cap. 1. num. 24., theor. 2. prop. 6., par. 2. num. 17.
Alia ejus loca, quæ innuunt Quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo, & quæ ſchiſma Donatianum. Cap. 1. num. 24.

No-

Nomine *Concilii Plenarii* in ea quæſtione quodnam Concilium intellexerit. Cap. 1. num. 22., & ſeqq.
Quæſtionem de baptiſmo Hæreticorum tradit fuiſſe ante Nicænum Concil. Cap. 1. num. 31., theor. 5. prop. 2.
Num *hypothetice* ſit locutus in facto S. Cypriani cum Stephano. theor. 2. prop. 2. & 3.
Num dubitaverit de facto, ac literis S. Cypriani. theor. 2. prop. 2. & 6., theor. 5. prop. 2.
Epiſtolam S. Cypriani ad Quintum recepit abſolute. Theor. 2. prop. 3.
Non refugit a quæſtione facti cum Donatiſtis pugnans. Theor. 2. prop. 1.
Secutus eſt lapſum Cypriani de contentione Pauli cum Petro Apoſtolo. Theor. 6. prop. 5. num. 2.
Cur probare Hæreticorum baptiſma dixit conſuetudinem *univerſalem*, & *totius Orbis* morem, cum talis non eſſet. Cap. 2. not. 27.
Quo pacto ſcripſit ſolos L. Orientales, & LXX. Afros propugnaſſe ſententiam S. Cypriani de baptiſmo Hæreticorum. Cap. 1. num. 3.
Ex parte Cypriano, & Firmiliano aſſentitur. Cap. 2. not. 23., theor. 6. prop. 5. num. 1.
Cur in ſententiam Cypriani ea de re non deſcendit. Theor. 5. prop. 5. num. 5.
Quare Cyprianum ſcripſit Decreto Stephani non acquieviſſe, acquieturum vero Plenario Concilio, ſi factum fuiſſet. Par. 2. num. 17. & 18.
Quomodo dixit, non opus fuiſſe *Congregatione Synodi*, ut Pelagianus error damnaretur. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Omnium primus moviſſe videtur quæſtionem de baptiſmo a *Paganis*, iiſque, qui minime baptizati ſunt, adminiſtrato. Cap. 1. num. 15.
Quid de Agapibus tollendis ſcripſerit. Cap. 2. not. 11.
Et Dæmones præſcire futura, & Aſtris tactus concedere non dubitavit. Cap. 2. not. 18.
Auguſtodinenſis Honorius. Theor. 5. prop. 3. num. 1.
Avitus Viennenſis Epiſcopus. Cap. 1. num. 30., cap. 2. not. 27.
Aurelianenſe Concilium III. Par. 1. num. 14.
Aurelianus Arelatenſis Epiſc. Theor. 5. prop. 3. num. 2.
Aurelius Carthaginienſis Epiſc. Theor. 1. prop. 5., par. 2. num. 13.

Au-

Author paraphraſis Arabicæ Canonum CP. Cap. 1. num. 29.
Auxentius Arianus. Cap. 1. num. 26., theor. 7. num. 2.
Auxilius Francus. Par. 2. num. 18.
Azorius Joannes. Theor. 7. num. 8.

B

BAlſamon Joannes Zonaræ exſcriptor notatus. Theor. 4. prop. 3.
Baluzius Stephanus. Cap. 1. num. 5. & 26., cap. 3. num. 3. 5. & 7., theor. 4. prop. 2.
Baptiſmata plura Hebræorum, Ethnicorum &c. Theorem. 5. prop. 4. num. 5.
Baptiſmi quæſtiones variæ variis temporibus motæ etiam tempore S. Cypriani. Cap. 1. num. 15.
Baptiſmi corruptores Hæretici quinam, & quinam ex Catholicis. Cap. 1. num. 16.
Baptiſmi adminiſtrandi tempus olim quidem præſtitutum, ſed varium. Cap. 2. not. 27.
Baptiſmum Hæreticorum nullum eſſe quinam ex Catholicis tradiderint. Cap. 1. num. 20., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Baptiſmi Sacramentum quomodo *ſoli Eccleſiæ* conceſſum aſſeritur. Theor. 7. num. 1.
Baptiſmum non ſola forma Evang.conſtituit,ſed & Miniſter &c. Cap. 1. num. 23., cap. 2. not. 14., theor. 6. prop. 3. num. 2., par. 1. num. 11.
Baptiſmus *Schiſmaticorum* a nonnullis antiquorum approbatus, ille vero *Hæreticorum* improbatus, & quare. Cap. 1. num. 32.
Baptiſmum *in nomine Jeſu Chriſti* datum quinam ratum habuerint, & quinam non. Theor. 4. prop. 2.
Baptiſmum iterantes. V. Rebaptizantes.
Barenſe Concilium Urbani II. Cap. 1. num. 30.
Baronius Cæſar. Cap. 1. num. 3. 19. 29. & 31., cap. 2. not. 10. 11. 22. & 31., cap. 3. num. 6., theor. 5. prop. 1. & 4. num. 6., par. 1. num. 3. 7. 9. & 12.
Laudatus. Cap. 1. num. 5. & 6., cap. 3. num. 2., theor. 4. prop. 3., theor. 6. prop. 3. num. 3.
Notatus. Cap. 1. num. 2. 20. 23. & 32., cap. 2. not. 8. 9. 13. & 34., cap. 3. num. 5., Axio. 2. pro Donat. Syſt., theor.

theor. 6. prop. 3. & 4. num. 3., theor. 7. num. 2., par, 1. num. 2. & 11.
Baſilides hæreticus quo tempore fuit. Cap. 2. not. 8.
Quantum ejus hæreſis invaluerit. Cap. 1. num. 15.
Ejus aſſeclæ novos Prophetas admittebant. Cap. 2. not. 13.
Baſilii Diaconi, ac ſociorum libellus caſtigatus. Cap. 2. num. 8.
Baſilius Magnus. Cap. 1. num. 7. 14. 16. 17. 20. 31. & 32., cap. 2. not. 13. & 22., cap. 3. num. 2., Axio. 2. pro S. Optato, corol. theor. 1. prop. 3., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. & 5. num. 4.
Firmiliani Epiſtolam habuiſſe videtur. Cap. 1. num. 14.
Senſit cum Cypriano, Firmilianoque Hæreticorum, & Schiſmaticorum baptiſma nullum eſſe. Cap. 1. num. 32.
Ejus de hac re Epiſtola recepta eſt a VII. Synodo. ibid.
Non eſt deceptus ab Hiſtoria Euſebii Cæſarienſis. ibidem.
Cur ſcripſit Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum latuiſſe, *Pepuzenorum* baptiſmum irritum eſſe. Cap. 1. num. 32.
Cur Occidentales aliquando erga ſe moroſos, ac pene averſos ſenſit. Cap. 3. num. 2.
Baſilius Imp. Cap. 1. num. 28.
Beati, ac Sancti titulus quibus olim attributus. Cap. 1. num. 2.
Beda Ven. Cap. 1. num. 27., theor. 4. prop. 2.
Beleth Joannes. Cap. 2. not. 9.
Bellarminus Robertus Card. Theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 7. num. 8.
Benigni Heracleæ Epiſcopi authoritas quanti ſit habenda. Cap. 1. num. 23.
Bernardus Abbas S. Cap. 1. num. 16., cap. 3. num. 2.
Beza Theod. Calviniſtarum Anteſignanus. Theor. 6. prop. 4. num. 4.
Binius Severinus. Cap. 1. num. 26., defenditur par. 1. num. 7.
Blanchinus Franciſcus. Cap. 2. not. 9.
Bogomili hæretici. Par. 1. num. 14.
Bonaventura S. Doctor. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Bonifacius II. Papa. Cap. 1. num. 3. & 30., theor. 6. prop. 4. num. 2., par. 1. num. 5.
Bonoſiaci hæretici. Cap. 1. num. 16. 26. & 31., par. 1. num. 11. & 14.
Bonoſus hæreticus Pauli Samoſateni ſectator. Cap. 1. num. 18.
Botboritæ hæretici. Cap. 1. num. 16.

Boſ-

Digitized by Google

Boſſuet Benignus. V. Declarationis Gallicanæ Defenſor;
Boucatus Antonius notatus. Cap. 1. num. 2.
Bovius Jo: Carolus. Par. 1. num. 13.
Bruno S. Epiſcopus Signinus. Cap. 3. num. 2.
Bracarenſe Concilium II. Par. 1. num. 3.
Brancatus Laurentius de Lauræa Card. Theor. 7. num. 8.
Bucherius Ægidius. Theor. 5. prop. 3. num. 1., theor. 6. prop. 3. num. 1.

C

CÆcilianus Carthaginienſis Epiſcopus an ſederit tam in Judicio, quam in Synodo Arelatenſi. Cap. 1. num. 24. & 27.
Num ſolus ex Afris ad Nicænum Concilium acceſſerit. Cap. 1. num. 23.
Laudatus a S. Athanaſio. Theor. 1. prop. 5.
Calviniſtarum baptiſmus in dubium vocatus, & quare. Theor. 6. prop. 4. num. 4.
Canones Apoſtolorum in Nicæno Concilio, & alibi dicuntur *Canones Eccleſiaſtici*. Par. 1. num. 2.
Sunt pars Conſtitutionum Apoſtolicarum. Par. 1. nu. 1. & 12.
Cur Apoſtolorum dicti, aut cur Clementi Papæ attributi. Par. 1. num. 2.
A quibus primum citati, ac nominati. Par. 1. num. 5.
A Græcis, non a Latinis conditi, collectique fuerunt. Par. 1. num. 2.
Ante Nicænum Concilium extaſſe demonſtratur. ibidem.
Quomodo, & quando ab Eccleſia Romana ſuſcepti. Par. 1. num. 7.
Quinam ſint, qui in *Decreto Gelaſiano* notantur. Par. 1. num. 8. & 9.
Num errorem Donatianum contineant. Par. 1. num. 6.
Adducuntur. Cap. 3. num. 5., theor. 5. prop. 3. num. 1. & prop. 4. num. 5., part. 1. num. 1. 2. 5. 7. & 10., par. 2. num. 18.
Eorum can. 45. & 46. non ſunt conficti a Marcioniſtis. Par. 1. num. 11.
Neque a Donatiſtis, aliiſque Hæreticis. Par. 1. num. 12.
Cœleſtinus I. Papa. Theor. 7. num. 8., par. 2. num. 7. & 12.
Capitolina Virgo, & Martyr. Cap. 1. num. 2.

Car-

Carthaginienſe Concilium III. S. Cypriani de Hæreticorum baptiſmo laudatur a S. Hieronymo. Theor. 5. prop. 2.
Sanctum dicitur a S. Auguſtino. Theor. 5. prop. 1. & 2.
Quo anno convocatum fuerit. Theor. 5. prop. 3. num. 3.
Diluuntur ea, quæ adverſus ipſum adducuntur. Theor. 5. prop. 4.
Carthaginienſis magna Collatio quot Capitibus mutila ſit. Cap. 1. num. 26.
Cur Donatiſtis conceſſa. Par. 2. num. 14.
Carthaginienſe Concilium Grati Epiſcopi. Cap. 1. num. 22. 23. 25., corol. theor. 1. prop. 9. & 10., theor. 5. prop. 4. num. 1., theor. 7. num. 2.
Carthagin. Concilium III. Aurelii Epiſcopi. Theor. 5. prop. 4. num. 1., theor. 7. num. 2.
Concilium VI. ejuſdem. Theorem. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. & 5. num. 2. & 6., par. 2. num. 18.
Carthaginenſia Concilia adverſus Pelagianos. Par. 2. num. 9. 11. & 15.
Carthaginienſe Concilium Bonifacii Epiſcopi. Theor. 1. prop. 7.
Caſſiodorus. Cap. 1. num. 11. & 30., cap. 2. num. 28., theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 7.
Cataphrygum hæreſis varia initia. Cap. 2. not. 13.
Hæretici ne, an Schiſmatici fuerint, olim dubitatum. Cap. 1. num. 15., cap. 2. not. 13.
Contra eos quæ Concilia ſint acta. Cap. 2. not. 13.
Quid de Spiritu Sancto, ac Paracleto ſenſerint. ibidem.
Incertum, an tempore S. Cypriani baptiſmi formam depravarent. Cap. 1. num. 15.
Eorum baptiſma primum in Laodiceno Concilio, non in Nicæno repudiatum eſt. ibidem, & cap. 3. num. 5.
An Rebaptiſmum excogitaverint. Theor. 6. prop. 4. num. 3.
Catharinus Ambroſius. Axio. 1. pro Donat. Syſtem.
Cerinthus quo tempore, & ubi hæreſim diſſeminare cœperit. Cap. 2. not. 7.
An ipſe Hieroſolymis diſceptaverit adverſus Apoſtolum Petrum. Cap. 3. num. 2.
Cerinthianorum rebaptizationes quæ. Par. 1. num. 1.
Cephas, cui in faciem reſtitit Paullus Apoſtolus, an alius a Petro Apoſtolo. Cap. 3. num. 2.
Character locutionis an ſemper ex charactere perſonæ du-

cendus. Axio. 2. pro S. Cypriani ſententia.
Chardini Equitis Itinerarium. Theor. 5. prop. 3. num. 2.
Chronicon Damaſi. V. Damaſi Chronicon.
Chryſoſtomus S. Joannes. Cap. 1. num. 5. 20. 31. & 32., cap. 3. num. 2., par. 1. num. 1. 8. & 13.
Docuit baptiſmum Arianorum, & Eunomianorum eſſe nullum. Cap. 1. num. 31.
Chronicon Alexandrinum. Cap. 2. not. 13.
Cirtenſe Concilium. Cap. 1. num. 9. & 21., theor. 1. prop. 5. 6. 10. & 15., theor. 5. prop. 3. num. 3.
Claromontanum Concilium. Cap. 1. num. 30.
Clemens Alexandrinus. Cap. 2. not. 7. & 8., cap. 3. num. 2. 5. & 6., theor. 5. prop. 4. num. 5., part. 1. num. 1.
Clemens VII. Papa. Axio. 2. pro Donat. Syſtem.
Chalcedonenſe Concilium. Cap. 1. num. 5. 23. 28. & 30., par. 1. num. 5. & 7., par. 2. num. 14. & 16.
Chryſtophorſonus Joannes. Cap. 2. not. 7. 11., & 13., notatus cap. 1. num. 26., & theor. 4. prop. 3. & 4.
Codex Africanæ Eccleſiæ. Cap. 1. num. 26. V. Africanæ Eccleſiæ Codex.
Codex Theod. & Juſtin. Cap. 1. num. 8. & 32., corol. theor. 1. prop. 10., theor. 7. num. 2.
Columbanus Abbas. Cap. 1. num. 30., theor. 7. num. 5., par. 2. num. 18.
Ejus, & Cypriani Epiſtolæ comparatio. ibidem theor. 7. num. 5.
Num deceptus a Schiſmaticis fuerit, & a quibus. theor. 7. num. 5.
Concilia Generalia, ſed non Oecumenica. Cap. 1. num. 30.
Concilium Oecumenicum quodnam ſit. Cap. 1. num. 25. 28. & 30.
Unum tantum erat Latinis tempore S. Auguſtini nempe Nicænum. Cap. 1. num. 27.
Concilia Oecumenica variis de cauſſis coacta demonſtrantur, Par. 2. num. 8.
Ob quam potiſſimum cauſſam octo priora Oecumenica, aliaque Plenaria Concilia congregata ſunt. Par. 2. n. 16.
Plenaria quæ ex S. Auguſtino. Cap. 1. num. 25.
Conciliorum quotannis celebratio etiam tempore S. Cypriani. Cap. 3. num. 5., theor. 5. prop. 3. num. 1.
CP. Concilium I. propter quid coactum. Par. 2. num. 14. & 16.

An

An ei interfuerint Occidentales, & an inſciente Damaſo Papa convocatum. Cap. 1. num. 29.
Quando a Romana, & Occidentali Eccleſia receptum. Cap. 1. num. 22. & 30., par. 1. num. 7.
Nihil ſanxit de Hæreticorum baptiſmo. Cap. 1. num. 31., theor. 1. prop. 7., par. 2. num. 18.
Canon VII. de Hæreticis quibuſdam rebaptizandis, quibuſdam vero non, ei perperam attributus. Cap. 1. num. 16. & 31., Theor. 1. prop. 7.
Ejus canones VI. & VII. adducuntur. Cap. 1. num. 16. 30. & 32., par. 1. num. 5.
Ejus Symboli verba *Confiteor unum baptiſma* propter quid prolata. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
CP. Concilium II., ſeu Synodus Quinta. Cap. 1. num. 2. & 23., theor. 6. prop. 4., num. 3., par. 1. num. 6., par. 2. num. 8. 16. & 18.
CP. Concilium III., ſeu Synodus Sexta. Cap. 1. num. 29., corol. theor. 1. prop. 9., par. 2. num. 16.
CP. Concilium IV., ſeu Synodus Octava. Cap. 1. num. 28. & 30., cap. 3. num. 2., par. 2. num. 8. & 16.
CP. Concilium anno 394. Cap. 1. num. 26., par. 1. n. 5. & 10.
CP. Concilium anno 754. Par. 2. num. 16.
Conſtantinus Magnus. Cap. 1. num. 19. 21. 24. 25. 26. & 28., cap. 2. not. 9., theor. 5. prop. 4. num. 8.
Donatiſtis nec dedit, nec dare potuit anno 314. *Oecumenicum* Concilium. Cap. 1. num. 24.
Ejus in Donatiſtas indulgentia arrogantes, & elatos eoſdem effecit. Theor. 1. prop. 13.
Conſtitutiones Apoſtolicæ. Cap. 2. not. 8. & 12., par. 1. num. 6.
Cur Clementi Papæ adjudicatæ. Par. 1. num. 2.
Dictæ etiam a nonnullis *Canones Apoſtolorum*. Par. 1. num. 8. & 12.
A quibus compoſitæ, & a quibus vitiatæ. Par. 1. num. 13.
Quanti olim ab ipſis etiam Græcis factæ. Par. 1. num. 10.
Cornelius a Lapide notatus. Theor. 7. num. 1.
Cornelius Papa. Cap. 1. num. 5., theor. 4. prop. 4., theor. 5. prop. 3. num. 1., theor. 6. prop. 4. num. 3., par. 2. num. 12.
Creſconius Donatiſta unus inter ſuos ſcripſit, & Catholicos *Schiſma* ſolum eſſe. Cap. 1. num. 19.
Cyprianus S. a Clero Romano commonitus. Theor. 6. prop. 4. num. 2.

Digitized by Google

Ejus ad Lucium PP. Epiſtola quot expeditiones præſeferat. Theor. 5. prop. 3. num. 1.
Ejus ad Cornelium Papam Epiſtolæ locus explicatur. Theor. 6. prop. 4. num. 3.
Ejus ad Magnum Epiſtola prodit antiquam rebaptizandorum Hæreticorum in Africa conſuetudinem. Theor. 6. prop. 5. num. 4.
Duas illa partes continet alteram de Novatiani, alteram de Clinicorum baptiſmo. Theor. 6. prop. 4. num. 1.
Primus videtur ſenſiſſe *Schiſmaticorum* baptiſma irritum eſſe. Theor. 4. prop. 3.
Quomodo dicitur *primus* cenſuiſſe Hæreticos eſſe rebaptizandos. ibidem.
Ex ejus Opuſculis ab omnibus receptis habetur, eum docuiſſe baptiſmum extra Eccleſiam datum irritum eſſe, ac nullum, idque etiam ſub Cornelio Papa. Theor. 7. num. 1.
An a Tertulliano ſuam de Rebaptiſmo ſententiam mutuaverit. Cap. 3. num. 6.
Ejus de ea re ſententia an fuerit de fidei, an vero de diſciplinæ negotio; & an veritati Catholicæ contraria. Theor. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 4. num. 1.
Ejuſdem ea de re rationes ab Auguſtino dicuntur *veriſimiles*. Theor. 2. prop. 7.
Ab Auguſtino non eſt convictus vitii antilogiæ, ac mendacii. ibidem, & theor. 6. prop. 4. num. 1.
An a Stephano Papa abſtentus fuerit. Cap. 2. not. 10. & 11.
Et ſi abſtentus, quomodo extra communionem Eccleſiæ non obierit. Cap. 2. not. 13.
Cum Stephano comminante, ac percellente concordiam, pacemque ſervavit. Cap. 2. not. 11., theor. 5. prop. 5. num. 2.
Exquirit fidem in Miniſtro Sacramentorum, & cum eo plures alii SS. Patres. Theor. 6. prop. 5. num. 1.
Quid diſcriminis inter eum, & Auguſtinum ſuper ea re interſit. Cap. 2. not. 23.
Cur in lib. Teſtimon. ſententiam de baptiſmo Hæreticorum non poſuit. Theor. 7. num. 1.
An unica immerſione Pueros baptizaverit, & poſtea reſipuerit. Cap. 1. n. 7.

Ejus præcipua virtus quæ. Axio. 1. pro S. Cypriani ſententia.
Ejuſdem multæ Epiſtolæ deſunt. Cap. 1. num. 4.
Ejus Epiſtolæ ad Numidas, Magnum, Quintum, & Stephanum vindicantur. Theor. 6. prop. 5.
Dicta ejus in Concilio III. Carthagin. explicantur, & defenduntur. Theor. 1. prop. 7., theor. 5. prop. 1. & 4. num. 5. & 8.
Ejus ad Jubajanum Epiſtolæ locus interpretatur. Theor. 5. prop. 5. num. 1.
Quo tempore eam Epiſtolam conſcripſerit. Cap. 1. n. 13.
Varia ejus ad Pompejum Epiſtolæ lectio, locuſque explicatus. Cap. 2. not. 11., theor. 6. prop. 4. num. 3. & 4.
Ejuſdem Epiſtolæ cum alia S. Columbani Abb. collatio. Theor. 7. num. 5.
Epiſtola ejus ad Martianum Arelat. Epiſcopum an ſatis afferta, & an concurrat cum Epocha Pontificatus Stephani, tribuſque ejuſdem Conciliis de baptiſmo Hæreticorum. Theor. 5. prop. 3. num. 3.
Cur ad Firmilianum ſcripſerit. Theor. 5. prop. 3. num. 2.
An ad illum tantum in Oriente, an etiam ad alios literas dederit. Theor. 5. prop. 5.
An Firmiliani Reſcriptum in latinum verterit. Cap. 1. n. 5.
Ejus lapſus de cauſa reprehenſionis a Paulo Apoſtolo Petro factæ ab Auguſtino ſecutus. Theor. 6. prop. 5. num. 2.
Quo tempore ediderit Libellum *de bono Patientiæ*. Theor. 5. prop. 5. num. 5.
Et quo tempore illum *de Unitate*. Theor. 4. prop. 4., theor. 7. num. 1.
Ejus Epiſtolam ad Stephanum PP. de Hæreticorum baptiſmo S. Auguſtinus non vidit. Theor. 5. prop. 1.
Stephanum PP. negligentiæ inſimulavit. Theor. 6. prop. 4. num. 4.
Quo pacto, quave ratione Stephano PP. ſit refragatus. Theor. 7. num. 8.
Ejus ſtylus qualis. Cap. 1. num. 5.
Cyrillus S. Alexandrinus. Cap. 1. num. 2. & 18.
Cyrillus S. Hieroſolymitanus. Cap. 1. num. 20.

Dal-

D

DAllæus Joannes notatus. Par. 1. num. 2.
Damaſcenus Joannes S. Par. 1. num. 8.
Damaſi Chronicon. Theor. 6. prop. 3. num. 1.
Verbis potius quam re diſcrepat ab Euſebii Chronico. Theor. 5. prop. 3. num. 1.
Damaſus Papa. Cap. 1. num. 29., theor. 4. prop. 3.
Daniel, & Noe a Deo quomodo conjuncti. Cap. 2. not. 3.
Decretum de Libris recipiendis, & rejiciendis cujuſnam ſit. Par. 1. num. 3.
Decretum Stephani Papæ de Hæreticorum baptiſmo. V. Stephanus PP.
Declarationis Gallicanæ Defenſor caſtigatus. Par. 2. num. 2. 3. 5. 6. 8. 9. 14. & 16. ac 18.
Deuſdedit Cardinalis. Cap. 1. num. 27. & 30.
Dionyſius Alexandrinus Epiſc. Cap. 1. num. 6. 16. & 17., cap. 2. not. 9. 11. 13. 27. ac 31., cap. 3. num. 6., corol. theor. 1. prop. 1., theor. 2. prop. 6., theor. 4. prop. 3., theor. 5. prop. 3. & 4. num. 5., theor. 6. prop. 4. num. 3., par. 1. num. 1.
Cur Pepuzenorum baptiſmum irritum eſſe non agnoviſſe fertur. Cap. 1. num. 32.
An in Afrorum ſententiam de Hæreticis, & Schiſmaticis rebaptizandis iverit. Cap. 1. num. 6., par. 1. num. 10.
Quare Sixtum P. conſuluit de quodam ab Hæreticis prave baptizato. Cap. 1. num. 6.
An Firmiliani Epiſtolam agnoverit, aut memoraverit. ibid.
Ejus eſt, non Euſebii Cæſarien. Hiſtoria diſceptationis inter Stephanum PP. & Orientales de Hæreticorum baptiſmo. Cap. 1. num. 15., theor. 4. prop. 3.
Dionyſius Exiguus. Cap. 1. num. 26. 27. & 31.
Quando Canonum Collectionem ediderit. Par. 1. n. 3. & 8.
Quis primus eam adhibuit. Par. 1. num. 7.
Cur Canones baptiſmum Hæreticorum probantes aliis adnexuit. Par. 1. num. 6.
Diſciplina Orientis, & Occidentis in Eccleſiis diverſa. Par. 1. num. 11.
Diſciplinæ Chriſtianæ quam tenax Cyprianus. Axio. 1. pro S. Cypriani ſent.

Diſcrimen inter SS. Cyprianum, & Auguſtinum de probitate Miniſtri neceſſaria ad Sacramentorum adminiſtrationem. Theor. 6. prop. 5. num. 1.
Diſcrimen inter rebaptiſmum Cypriani, & Donatiſtarum. Theor. 2. prop. 7., theor. 6. prop. 5. num. 1.
Diſcrimen inter Canonem VII. Conſtantinopolitanum, & XCV. Trullanum. Par. 1. num. 11.
Diſcrimen inter Orientales, & Occidentales ſuper Hæreticorum baptiſmo. ibidem.
Dioſpolitanum Concilium. Par. 2. num. 11. 13. & 15.
Dœmones an futura præſcire queant. Cap. 2. not. 18.
Donatiſtæ an numero Catholicos præſtiterint. Theor. 1. prop. 9.
Num Ariana fuerint labe infecti. Cap. 1. num. 19.
Eorum Schiſmatis initium, atque cauſſa. Theor. 1. prop. 1.
Utrum a Romano judicio appellarint. Cap. 1. num. 26.
Schiſmatici primum, non hæretici. Corol. theor. 1. prop. 1.
Cum Arianis commercium nullum voluerunt. Cap. 1. n. 19.
Neque cum Græcis quibuſcunque. Par. 1. num. 4.
Eorum Scriptores quinam. Theor. 1. prop. 5.
Se ſe Catholicos, hos vero Paganos appellabant. Theor. 1. prop. 3., par. 1. num. 4.
Eorum aſtutia nulla. Theor. 1. prop. 15.
Faſtus, & arrogantia, ac pertinacia unde illis. Theor. 1. prop. 13.
Quando ſe a Catholicis præciderunt. Par. 2. num. 2.
Semel tantum S. Cyprianum traduxiſſe leguntur. Theor. 1. prop. 1.
Cur eorum plures S. Cypriani mentionem in quæſtione Rebaptiſmi non fecerunt. Theor. 3. prop. 1.
Eorum Clerici, ac Præpoſiti ad Eccleſiam Catholicam venientes modo in ſuis honoribus ſuſcepti, modo non. Cap. 1. num. 15.
Cur eorum cauſſa in Nicæno Concilio non eſt agitata. Cap. 1. num. 21.
Num in magna Collatione Carthagin. egerint de Rebatiſmo. Cap. 1. num. 9.
Cur Firmiliani Epiſtolam pro ſe numquam adduxerunt. Cap. 3. num. 1.
Num Sinveſſanum Concilium, binoſque Apoſtolorum Canones ſint commenti. Par. 1. num. 12.

Num excogitarint Concilium III. Carthagin., aliaſque Cypriani Epiſtolas de Hæreticorum baptiſmo. Theor. 1. prop. 7., theor. 5. prop. 5. num. 5.
Veterum monumentorum corruptores fuiſſe non legitur. Theor. 1. prop. 16.
An eorum ſyſtema impenetrabile fuerit, & incomprehenſum. Theor. 1. prop. 6. & 7.
An de ipſis loquatur canon VIII. Arelat. Theor. 7. num. 2.
Donatus Carthaginienſis Donat. Cap. 1. num. 19., theor. 1. prop. 5., theor. 3. prop. 1.
Donatus Caſenſis Donat. Theor. 1. prop. 9., corol. theor. 1. prop. 1., theor. 4. prop. 5., theor. 7. num. 2.
Dorothei Synopſis qualis. Cap. 3. num. 2.
Dupinius Ludovicus Elias notatus. Cap. 1. num. 6.
Duranti Gulielmus. Cap. 2. not. 9.

E

EBion Hæreſiarcha Dux Pauli Samoſateni quo tempore, & ubi dogma pernicioſum docere cœpit. Cap. 1. num. 18., & cap. 2. not. 7.
Ebionitarum rebaptizationes diverſæ a Rebaptiſmo Cypriani, & aliorum. Theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 1.
Eccleſiaſt. Cap. 2. num. 20., axio. 1. ad S. Cypriani ſententiam.
Egbertus Eboracen. Epiſcopus. Cap. 1. num. 16. & 23.
Egeſippus. Cap. 2. not. 7., axio. pro Syſt. S. Auguſtini.
Eginhardus. Par. 2. num. 16.
Elceſæi hæretici. Cap. 2. not. 13. & 31.
Eliberitanum Concilium. Theor. 6. prop. 4. num. 1.
Ennodius Ticinenſis Diac. Par. 1. num. 15.
Epheſinum Concilium. Cap. 1. num. 18. & 28., par. 2. num. 12. & 13.
Epiphanius Diaconus CP. caſtigatus. Cap. 1. num. 17.
Epiphanius Epiſcopus S. Cap. 1. num. 7. 17. 18. 20. 23. 26. 27. 28. & 31., cap. 2. not. 10. & 13., cap. 3. num. 2., theor. 1. prop. 5., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 7. prop. 5. num. 4., par. 1. num. 13. & 14., par. 2. num. 18.
Epiſcopi titulo tenus cur, & quando creari cœperint. Cap. 1. num. 28.
Epiſtolæ S. Cypriani, & aliorum. V. ſuos Authores.

Epochæ quorundam Rom. Pont. Theor. 5. prop. 3. num. 3.
Eraſmum Roterdamen. multa SS. PP. opera latuerunt. Cap. 1. num. 1. & 7., cap. 3. num. 7.
Error tam in fide, quam in diſciplina patratur. Theor. 6. prop. 4. num. 1.
Error Cypriani in altercatione cum Stephano in diſciplina fuit, non in fide. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Eulogius Alexandrinus Epiſcopus. Cap. 2. not. 14.
Euſebius Cæſarienſis. Cap. 1. num. 17. 18. 19. 21. 23. 26. 27. 28. & 31., cap. 2. not. 8. 13. & 17., theorem. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 1. & 2.
An dogma Arianum etiam poſt Nicænum Concilium retinuerit. Cap. 1. num. 17.
Ejus Hiſtoria quo tempore ſcripta, atque vulgata. ibid., & num. 18.
Non fuit confictor Hiſtoriæ de Hæreticorum baptiſmo rejiciendo. Cap. 1. num. 15., theor. 4. prop. 3.
Inique traducitur ab Epiphanio Diacono CP. in VII. Synodo. Cap. 1. num. 17.
Ejus Hiſtoriæ locus partim explicatus, partim reſtitutus. Theor. 4. prop. 3.
Ejus narratio de Cyprianico Rebaptiſmo an pugnet cum Afrorum traditione. ibidem.
Numve cum Ruffino idipſum exſcribente. Theor. 4. prop. 4.
Quomodo Donatiſtas tractaverit. Cap. 1. num. 19.
Quid de Paulo Samoſateno, ejuſque hæreſi ſcripſerit. Cap. 1. num. 18.
Ejus Chronologia de Rom. Pontificum Epochis omnium tutior, & accuratior. Theor. 5. prop. 3. num. 1.
Ejus Chronicon a Chronico Damaſi quo diſcrepet. ibid.
Euſebius Nicomedienſis. Cap. 1. num. 17., par. 2. num. 16.
Euſebiani qui & Semiariani. Cap. 1. num. 17., theor. 1. prop. 10.
Diu inter Catholicos converſati quando demum proſcripti. Par. 1. num. 14.
Euthymius Monachus. Cap. 1. num. 15. & 16.
Eutropius Hiſtoriographus. Cap. 1. num. 11.
Eutychetis hæretici appellatio ad quos facta. Par. 2. num. 14.
Excommunicatio ſi quando injuſta. Theor. 6. prop. 4. n. 3.
Excommunicationis quoddam genus antiquum. Cap. 2. not. 10.

F

Facundus Hermianenſis. Cap. 1. num. 2., cap. 2. not. 28., theor. 6. prop. 3. num. 1.
Feliciſſimi Afri ſchiſma quale. Cap. 1. num. 2., theor. 4. prop. 1.
Felix Papa I. Cap. 1. num. 18.
Felix Papa II. Cap. 1. num. 6. & 30., theor. 7. num. 5.
Fellus Joannes notatus. Cap. 1. num. 3., theor. 6. prop. 3. n. 2.
Fides in Miniſtro Baptiſmi ab Afris, & Orientalibus rebaptizantibus requiſita. Theor. 6. prop. 5. num. 1.
Ferrandus Diaconus. Cap. 1. num. 27. & 31.
Fidei quæſtionem non agitarunt Stephanus, & Cyprianus inter ſe de Baptiſmo Hæreticorum diſputantes, ſed diſciplinæ. Theor. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Fidem Hæreſis commaculat, diſciplinam ſchiſma. Cap. 1. n. 32.
Firmilianus Cæſarien. Epiſcopus. Cap. 1. num. 6.
Quomodo extat in Menologio Græcorum, & an *Sanctus* ſit. Cap. 1. num. 2.
Num Quartodecimanus fuerit. Cap. 1. num. 2., cap. 2. not. 9.
Incertum, quo anno interfuerit Iconienſi Concilio, Epiſcopus adhuc, an non. Cap. 2. not. 13.
Ejus ad Epiſcopatum promotionis tempus prorſus incertum. Ibidem.
Quæ hæreſes ejus temporibus potiſſimum in Orientali Eccleſia graſſarentur. Cap. 1. num. 15.
In Afrorum ſententiam deſcendiſſe videtur, & quomodo. Par. 1. num. 10.
Ejus ad Cyprianum *Epiſtola* an Magno Baſilio comperta. Cap. 1. num. 14.
An Auguſtinus quicquam de ea olfecerit. Cap. 1. num. 8., cap. 3. num. 1.
Ejuſdem locus explicatus. Cap. 2. not. 9. & 13.
Poſt Concilium III. Carthagin. S. Cypriani de Hæreticorum baptiſmo edita. Cap. 1. num. 10. & 11.
Quo anno ſcripta fuerit, quove Carthaginem delata. Cap. 1. num. 11., theor. 5. prop. 3. num. 2. & 3.
Ejuſdem divulgandæ neceſſitas quæ. Cap. 3. num. 5.
Scriptane fuerit Græce, an Latine; & an Cyprianus eam verterit. Cap. 1. num. 5.

An

An ullum anachroniſmum complectatur. Cap. 2. not. 8.
Florentinum Concilium. Theor. 6. prop. 4. num. 4., par. 2. num. 8.
Francofordienſe Concilium. Cap. 1. num. 30., theor. 4. prop. 2.
Fraſſen Claudius notatus. Cap. 1. num. 2., cap. 3. num. 5., theor. 7. num. 2.
Fulgentius Epiſcopus Ruſpen. S. Theor. 1. prop. 5., par. 1. n. 4.

G

Gallicanæ Declarationis Defenſor. V. Declarationis Gallicanæ Defenſor.
Galli Scriptores quidam Euſebio Cæſarienſi infenſi. Cap. 2. n. 10.
Quid reponent Noriſio. Cap. 1. num. 24.
Sancti quamquam Synodo V. diu refragati. Theor. 6. prop. 4. num. 3.
Gallicum Concilium adverſus Cataphrygas. Cap. 2. not. 13.
Gangrenſe Concilium. Par. 1. num. 2. 3. & 7.
Gaudentius S. Epiſcopus Brixien. Par. 1. num. 2.
Gelaſius Cizicenus. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Notatus. Cap. 1. num. 28.
Gelaſius I. Papa. Cap. 1. num. 17. 27. & 30., theor. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 7., theorem. 6. prop. 5., par. 2. num. 9. 16. & 18.
Genethlicus Epiſcopus Carthagin. Theor. 1. prop. 6.
Gennadius Maſſilienſis. Cap. 1. num. 16., cap. 2. not. 7., theor. 1. prop. 5., theor. 3. prop. 1. & 2., theor. 4. prop. 2., theor. 6. prop. 5., theor. 7. num. 1., par. 1. num. 11.
Georgius Syncellus. Theor. 5. prop. 3. num. 1.
Gloſſa Decret. Cap. 1. num. 7.
Græci Schiſmatici adhuc rebaptizantes quandonam Occidentales Catholicos rebaptizare cœperint. Par. 1. num. 14.
Unde id moris, aut erroris hauſerint. ibidem.
Græci Scriptores quinam mendaces, quinam vero non. Axio. pro Syſt. S. Auguſtini.
Gratiani Decretum. Cap. 1. num. 26. 27. & 30., theorem. 4. prop. 2., theor. 7. num. 1. 2. & 8., par. 1. num. 11.
Ejus varia lectio, & quæ potior. Cap. 1. num. 26., theor. 7. num. 2., par. 1. num. 3.
Gregorii IX. Decret. Cap. 1. num. 3. & 16., cap. 2. not. 9. & 20.

Gregorius Magnus S. Cap. 1. num. 26. & 30., cap. 3. num. 2., theor. 5. prop. 3. num. 4., & prop. 4. num. 5. & 8., theor. 6. prop. 4. num. 3., theor. 7. num. 5. & 8., par. 1. num. 7. & 11.
Ejus de Concilii CP. I. vigore ſententia qualis. Cap. 1. num. 30.
Ejuſdem de Synodo V. dictum interpretatur. Theor. 7. n. 5.
Quam diverſus fuerit a Stephano I. Papa in contentione. Cap. 2. not. 10. & 33.
Acta Concilii Chalcedonenſis diverſi ordinis, ac modo ſint, habuiſſe videtur. Theor. 7. num. 5.
Gregorius Nazianzenus S. Cap. 1. num. 29., cap. 3. num. 2.
Gregorius Neocæſarienſis Thaumaturgus S. Cap. 1. num. 17., cap. 2. not. 18., corol. theor. 1. prop. 1.
Gregorius Nyſſænus S. Cap. 2. not. 18.
Gregorius Turonenſis S. Cap. 2. not. 13. & 27., theorem. 6. prop. 4. num. 3.
Guido Carmelita. Par. 1. num. 14.

H

Hadrianis I. Papæ Epitome Canonum ad Carolum Magnum. Par. 1. num. 7. & 10.
De eo quid Pariſienſe Concilium. Theor. 6. prop. 4. num. 2., cap. 2. not. 26.
Hæreſis quæ, & in quo a Schiſmate differat. Cap. 1. num. 32., theor. 6. prop. 5.
Hæreſes quæ, & quomodo temporibus Apoſtolorum extiterint. Cap. 2. not. 7.
Quæ temporibus Cypriani, & Firmiliani Orientalem Eccleſiam divexarent. Cap. 1. num. 15.
Hæretici rebaptizantes quinam. Cap. 1. num. 16., cap. 2. not. 27.
Qui vero baptiſma depravarent. Cap. 1. num. 16. & 23., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Quinam eorum ſint ad Eccleſiam venientes rebaptizandi, & quinam non. Par. 1. num. 11.
An omnium primi *Rebaptiſmum* inſtituerint. Theor. 6. prop. 4. num. 3.
Qui eſſent, qui ex Galatia veniſſe dicuntur. Par. 1. num. 11.

Hæ-

Hæreticorum Infantes cum baptiſmo decedentes an Paradiſi gloriam conſequantur. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Haimo Alberſtadenſis Epiſcopus. Cap. 1. num. 7.
Hankius Martinus. Cap. 1. num. 17.
Harduinus Joannes. Cap. 1. num. 26., theor. 5. prop. 3. n. 3. & 4.
Notatus. Cap. 2. not. 13., cap. 3. num. 2.
Heraclas Alexandrinus Epiſc. Cap. 1. num. 6., cap. 2. not. 13.
Hermiani hæretici. Cap. 1. num. 23., theor. 7. num. 3., par. 1. n. 11.
Hegeſippus. Cap. 2. not. 27., axio. pro Syſt. S. Auguſtini.
Hermogenes Apoſtata, non hæreticus. cap. 2. not. 7.
Heſychius Salonitanus Epiſc. Theor. 2. prop. 7.
Hieronymus S. Cap. 1. num. 3. 5. 6. 8. 15. 17. 19. 20. & 23., cap. 2. not. 4. 8. 9. 11. 14. 15. 23. 25. & 31., cap. 3. nu. 2. 5. & 6., axio. 2. pro S. Optati Milev. Syſt., theor. 1. prop. 5. & 7., corol. theor. 1. prop. 3. & 11., theor. 2. prop. 4. 6. & 7., theor. 3. prop. 1. & 2., theor. 5. prop. 2. 3. & 4. num. 5. & 8. prop. 5. num. 1., theor. 6. prop. 3. & 4. num. 2. prop. 5., theor. 7. num. 1. & 8., par. 1. num. 1. 6. & 14., par. 2. num. 11. 14. 16. & 18.
An juvenis ſcripſerit Dialogum adverſus Luciferianos. Cap. 2. not. 11.
Quomodo dictum ejus interpretandum. Corol. theor. 1. prop. 9.
Cur opinionem Millenariorum non damnavit. Theor. 5. prop. 4. num. 8.
Omnium primus commemoravit Epiſtolas, & Concilium Cypriani de baptiſmo Hæreticorum. Theor. 3. prop. 1., theor. 5. prop. 2.
Videtur ſenſiſſe non poſſe dari *informe* Baptiſma. Cap. 2. not. 23.
Hieropolitanum Concilium. Cap. 2. not. 13.
Hieroſolymitanum Concilium Apoſtolorum. Par. 2. num. 18.
Aliud Conc. in Encæniis anno 335. Cap. 1. num. 26.
Aliud in cauſſa Pelagii anno 415. Par. 2. num. 15.
Hilarius Arelaten. Epiſcopus. Cap. 1. num. 26., cap. 2. not. 29. & 34., cap. 3. num. 2., theor. 5. prop. 1.
Hilarius Pictavienſis Epiſcopus. Cap. 1. num. 26. & 28., cap. 3. num. 2., theor. 4. prop. 2.
Hilarius Diaconus Lucifer. Cap. 2. not. 25., theor. 1. prop. 16., theor. 6. prop. 3. num. 2.

Hila.

Hilarius Author Comment. in Epiſtolas Pauli. Par. 1. num. 1.
Hincmarus Remenſis Epiſc. Cap. 2. not. 13., par. 1. n. 3. & 7.
Hippolytus Epiſcopus. Cap. 2. not. 9., cap. 3. num. 2.
Holſtenius Lucas. Cap. 1. num. 23., & 29.
Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus. Theor. 5. prop. 1.
Honorius I. Papa. Theor. 6. prop. 3. num. 1., par. 2. num. 16.
Hormiſda Papa. Cap. 1. num. 27. & 30., par. 1. num. 2. 3. & 9.
Hiſpani Epiſcopi Sancti quamquam diu Synodo V. adverſati. Theor. 6. prop. 4. num. 3.
Huetius Daniel Petrus. Par. 2. num. 10.
Humbertus Card. Epiſcopus. Cap. 1. num. 16., par. 1. n. 7. & 14.
Hunnericus Rex Wandal. Cap. 1. num. 26.
Hymenæus Apoſtata magis quam hæreticus. Cap. 2. not. 7.
Hypotheſes variæ S. Auguſtini. Theor. 2. prop. 2., par. 2. n. 4.
Hypotheſum duo potiſſima genera. Par. 2. num. 4.
Hypotheticum Syſtema Auguſtinianum in Rebaptiſmi Cypriànici quæſtione excogitatum nullum eſſe oſtenditur. Theor. 2. prop. 2. & 3., par. 2. num. 2.

I

Jacobatius Dominicus Card. Cap. 1. num. 28. & 30.
Jacobitæ hæretici. Cap. 1. num. 23., theor. 7. num. 3.
Iconienſe Concilium an propter Cataphryges congregatum fuerit. Cap. 2. not. 13.
Ejus Epocha quæ, & an anachroniſmum contineat. ibid.
Maximum fuit teſtimonio S. Dionyſii Alexandrini. Cap. 2. not. 27.
Idacius Epiſcopus. Cap. 1. num. 26., cap. 3. num. 2.
Ignatii Martyris S. Epiſtolæ quæ. Cap. 2. not. 8.
Innocentius I. Papa. Cap. 1. num. 20. & 27., cap. 2. not. 9., cap. 3. num. 5., theor. 6. prop. 5., par. 1. num. 5., par. 2. num. 7. 12. 15. & 18.
Innocentius III. Papa. Cap. 2. not. 20.
Joannis Apoſtoli locus ex Evangel. interpretatur. Theor. 6. prop. 5.
Joannes Antiochenus al. Scholaſticus. Cap. 1. num. 26. 27. & 31., par. 1. num. 3. 5. & 11.
Joannes Cappadox Patr. CP. primus *Oecumenici* titulum ſibi arrogaſſe creditur. Cap. 1. num. 30.

Joan-

Joannes Diaconus Romanus. Cap. 1. num. 7.
Joannes Hieroſolymitanus Epiſc. Cap. 3. num. 2., par. 2. n. 16.
Joannes Jejunator Patr. CP. Cap. 1. num. 2. & 30.
Joannes II. Papa. Cap. 1. num. 30., par. 1. num. 7. & 9.
Joannes VII. Papa defenſus. Par. 1. num. 10.
Joannes VIII. Papa. Axio. 2. pro Donat. Syſt., par. 1. n. 7. & 10.
Joannes XII. Papa, qualis, & cui comparatus. Cap. 2. not. 2.
Joannes XIX. Papa. Par. 1. num. 2.
Irenæus Martyr S. Cap. 1. num. 5., cap. 2. not. 7. 10. & 13., cap. 3. num. 2. & 5., theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 10.
Quo tempore ſcripſerit Opus adverſus hæreſes. Cap. 2. not. 13.
Iſidorus Hiſpalenſis Epiſc. S. Cap. 1. num. 2., cap. 2. not. 8. & 28., theor. 6. prop. 4. num. 3., theor. 7. num. 1., par. 1. num. 3.
Iſidorus Mercator. Cap. 1. num. 26. 27. & 31.
Ejus Collectionis lectio contraria, & quæ ſit retinenda. Par. 1. num. 3.
Erroris convincitur, ac falſitatis. Cap. 3. num. 5.
Italicorum Epiſcoporum relatio ad Regem Theodoricum. Par. 1. num. 15.
Italicum Concilium S. Ambroſii. Cap. 1. num. 30., theorem. 1. prop. 3., par. 1. num. 4.
Juenin Gaſpar. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Notatus. Cap. 1. num. 8., theor. 7. num. 2.
Julianus Apoſtata Donatiſtis propitius. Theor. 1. prop. 6.
Julius I. Papa. Cap. 1. num. 30., theor. 2. prop. 6., theor. 6. prop. 5., par. 1, num. 5.
Juſtinianus Valentinus Epiſc. Hiſpanus. Cap. 2. not. 27.
Juſtinianus Imp. Cap. 1. num. 2., theor. 2. prop. 6., par. 2. n. 18.
Juſtinus Martyr. Par. 1. num. 1.

L

Labbeus Philippus. Cap. 1. num. 26., theor. 4. prop. 2.
Notatus. Cap. 1. num. 26., cap. 2. not. 13.
Lactantius Firmianus. Theor. 1. prop. 5., theor. 2. prop. 7., par. 1. num. 1.
Lampridius Hiſtor. Cap. 1. num. 11., cap. 2. not. 16.
Lambeſitanum Concilium. Theor. 4. prop. 3.

Lao-

Laodiceni Concilii Epocha. Cap. 1. num. 31.
Canones aliqui. Cap. 1. num. 20., cap. 2. not. *9.*, par. 1. num. 3. & 7.
A Lapide Cornelius notatus. Theor. 7. num. 1.
Lateranenſe Concil. Martini I. Theor. *6.* prop. 4. num. 3.
Lateranenſe Concil. IV. Innocentii III. Cap. 1. num. 30.
Lateranenſe Concil. V. Cap. 1. num. 30.
Latinius notatus. Cap. 1. num. 1., cap. 3. num. 5. & 7.
Launojus Joannes. Cap. 1. num. *6.* 7. & 24.
Caſtigatur. Cap. 1. num. 2*6.* theor. 5. prop. 3. num. 3., theor. *6.* prop. 3. num. 1.
De Legibus dictum Gratiani. Theor. 7. num. 8.
Leo Magnus S. Cap. 1. num. 2. 2*6.* & 28., cap. 2. not. *9.* 27. 2*9.* & 34., cap. 3. num. 2., theor. 2. prop. *6.*, theor. 5. prop. 3. & 4. num. 5., & prop. 5. num. 4., theorem. *6.* prop. 3. & 4. num. 1., par. 1. num. *6.*, par. 2. num. 14. & 15.
Leo IV. Papa. Cap. 1. num. 27. & 30., par. 1. num. 7. & *9.*
Leo IX. Papa S. Cap. 1. num. 2., theor. *6.* prop. 5., theor. 7. n. 8.
Libelli Cleri, & Monachorum CP. contra Neſtorium. Cap. 1. num. 18. & 2*6.*
Libellus Synodicus. Cap. 1. num. 18., cap. 2. not. 13., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Caſtigatur. Cap. 2. not. *9.*
Liber Diurnus Romanorum Pontificum. Cap. 1. num. 30., theor. 2. prop. *6.*
Liberatus Diaconus. Cap. 1. num. 18. & 30., theor. 2. prop. *6.*
Liberius Papa an proſcripſerit Marcellum Ancyranum. Cap. 3. num. 2.
Ejus decretum de Arianis, iiſque, qui cum illis communicarant. Par. 2. num. 18.
Lipomanus Aloyſius laudatus. Cap. 1. num. 1.
Lucas Evangeliſta S. Theor. *6.* prop. 4. num. 3. V. Apoſtolorum Actus.
Lucentius Epiſc. Aſcolanus. Cap. 1. num. 30.
Luciferiani rebaptizantes. Cap. 2. num. 27.
Lupus Chriſtianus. Cap. 1. num. 2., theor. 1. prop. 3., theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. *9.*
Notatus. Cap. 1. num. 2. & 8., cap. 2. not. *9.*, cap. 3. num. 3., theor. 5. prop. 3. num. 2. & prop. 4. num. 5., theor. 7. num. 2., par. 1. num. 15.

Lu-

Lugdunenſe Concilium incertum. Cap. 2. not. 9.
Lugdunenſe II. Concilium Oecumenicum. Par. 2. num. 8.

M

MAldonatus Joannes. Theor. 6. prop. 4. num. 4.
Manichæi hæretici. Cap. 1. num. 16. 17. & 23., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 2., par. 1. num. 11.
Macedoniani hæretici. Cap. 2. not. 13., par. 2. num. 14. & 16.
Manutius Paulus. Cap. 1. num. 1. & 7.
Marca Petrus notatus. Cap. 1. num. 26., cap. 2. not. 10., par. 1. num. 9.
Marcellinus Papa, aliique Romani Antiſtites a quo primum traditionis ſac. codicum, ac thurificationis ſacrilegæ inſimulati. Theor. 1. prop. 7.
Marcellus Ancyranus quam tarde ab Occidentalibus damnatus. Cap. 3. num. 2.
Marcelliani hæretici ubinam aperte ab omnibus eliminati ſunt. Par. 1. num. 11., par. 2. num. 16.
Marcionis hæreſis. Cap. 1. num. 15. & 16., par. 1. num. 11.
Ejus rebaptiſmus diverſi generis fuit, atque ille, de quo Canones Apoſtolorum, & Epiſtolæ Cypriani agunt. Theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 1. & 14.
Marcuſii, ſeu Marcitæ hæretici. Cap. 1. num. 23., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Marius Mercator. Par. 2. num. 10. 12. & 13.
Marius Victorinus. Cap. 1. num. 19., theor. 1. prop. 5.
Martiani Arelatenſis Epiſc. cauſſa num certa, & an officiat Epochæ Stephani Papæ, diſſidioque de Hæreticorum baptiſmo. Theor. 5. prop. 3. num. 3.
Martialis, & Martianus, Marthus, & Marthanus novi Pſeudoprophetæ. Cap. 2. not. 13.
Martinus Bracarenſis Epiſc. Cap. 1. num. 27., par. 1. n. 3. & 12.
Martinus V. Papa. Cap. 1. num. 28.
Maſſaliani hæretici, qui & Euchaitæ. Theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 13.
Matthæi Evangeliſtæ locus explicatus. Cap. 1. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 2.
Maurini Monachi laudati. Cap. 3. num. 1., Defenſi. Par. 2. n. 8.
Notati. Cap. 1. num. 26.

Maximini Imp. perſecutio qualis. Cap. 2. not. 17.
Magdeburgenſes hæretici. Par. 1. num. 15.
Melchiades Papa an ſederit in Judicio Romano contra Donatiſtas velut Summus Pontifex. Cap. 1. num. 24.
Ejus ſententia quomodo *ultima* dicatur a S. Auguſtino. Par. 2. num. 2.
Ab ejus ſententia ſi Donatiſtæ appellarunt, an fuerit appellatio a Papa ad Concilium. Par. 2. num. 3.
Ejus decreti contra Donatiſtas non meminit Liber Pontificalis. Theor. 6. prop. 3. num. 1.
Melito Sardenſis Epiſc. Par. 1. num. 1.
Meliphtongus Juliopolitanus Epiſc. Par. 2. num. 16.
Menophantes Epheſinus Epiſc. Arianus. Par. 2. num. 16.
Metrophanes Smyrnenſis Epiſc. Cap. 3. num. 2.
Minutius Felix. Par. 1. num. 1.
Menologium Græcorum quale, & quo tempore ſcriptum. Cap. 1. num. 2., theor. 5. prop. 3. num. 2.
Milevitanum Concilium anno 402. Theor. 5. prop. 4. num. 1.
Alterum anno 416. contra Pelagianos. Par. 2. n. 11. & 15.
Montaniſtæ hæretici. V. Cataphryges.
Monteſium Schiſmaticorum origo. Cap. 1. num. 2.
Morelli Gulielmi conſilium comprobatum. Cap. 1. num. 1.
Morinus Joannes. Cap. 2. not. 10.
Mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat ex S. Aug. Cap. 1. num. 32.

N

Narciſſus Hieroſolymitanus Epiſc. Cap. 2. not. 9.
Natalis Petrus caſtigatus. Cap. 1. num. 2.
Neſtorius Epiſc. CP. Hæreſiarcha. Par. 2. num. 13. & 16.
Neſtoriani hæretici ad Eccleſiam venientes quomodo recipiendi. Par. 1. num. 11.
Neocæſarienſe Concilium. Par. 1. num. 7.
Nicænum Concilium. Cap. 1. num. 20. 26. & 27., cap. 2. not. 9., corol. theor. 1. prop. 10., par. 1. num. 2.
Ejus Acta an ſint deperdita. Cap. 1. num. 23.
Sine Conſule, menſe, ac die ipſa Acta fuerunt. ibidem.
Ejus ſubſcriptiones an extent, & quales habendæ. Cap. 1. num. 28.

Quot

Quot Epiſcopi illud conflarint, & quot ſubſcripſerint. Cap. 1. num. 23.
Num de Cataphrygibus hæreticis egerit. Cap. 3. num. 5.
Cur de Paulianiſtarum baptiſmo ſtatuit, & non de illo aliorum Hæreticorum. Cap. 1. num. 15.
Idque ſecundum Græcorum, non Latinorum ſententiam. Cap. 1. num. 20. & 22.
Quanti ſemper factum ſit ab omnibus. Cap. 1. num. 27., par. 2. num. 3.
Iſtud hoc intellexit S. Auguſtinus nomine Concilii Plenarii in quæſtione de Hæreticorum baptiſmo. Cap. 1. num. 22. & ſeqq.
Nicænum II. Concilium, ſeu Septima Synodus. Cap. 1. num. 2. 17. & 32., corol. theot. 1. prop. 9., theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 7. & 12.
Nicephorus Callixti. Cap. 1. num. 6., cap. 2. not. 13. & 27., theor. 4. prop. 3. & 4., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Nicolaitæ hæretici ubi, & quonam tempore Eccleſiam divexarent. Cap. 2. not. 7.
Nicolajus Joannes laudatus. Cap. 1. num. 26.
Nicolaus I. Papa. Cap. 1. num. 30., theor. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 8., theor. 7. num. 8.
Nilus Græcus Metropolita Rhodius. Cap. 1. num. 29.
Nilus Doxopatrius. Cap. 1. num. 29.
Noriſius Henricus Card. Cap. 1. num. 19. & 26., theorem. 4. prop. 2., par. 1. num. 9., par. 2. num. 12. & 13.
Laudatur, & defenditur. Cap. 1. num. 20. 24. 26. & 27., theor. 1. prop. 7. & 14.
Notatur. Cap. 3. num. 2., theor. 1. prop. 13., theor. 7. num. 2., par. 1. num. 15.
Noe, & Daniel in quo divinitus conjuncti. Cap. 2. not. 3.
Notitia Imperii. Cap. 2. not. 9. 27.
Novatianus a S. Cypriano dictus Hæreticus, ab aliis Schiſmaticus. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
Ejus elucubrationes quæ. Cap. 2. not. 31., theor. 1. prop. 7.
An cum Firmilianicæ Epiſtolæ ad Cyprianum Authore comparandus. Cap. 1. num. 2.
Novatianenſes Schiſmatici ne, an Hæretici. Cap. 1. num. 16., cap. 2. not. 31., theor. 6. prop. 5., par. 1. num. 11.
Rebaptizabant Catholicos, ſed quos pro Catholicis non ha-

habebant, velut Donatiani. Par. 1. num. 1., cap. 2. n. 27.
Cur de eorum Clericis ad Eccleſiam venientibus in Concil. Nicæno actum eſt, non vero de Clericis aliorum Schiſmaticorum. Cap. 1. num. 15.
Numerus Epiſcoporum Concilii Arelaten. I. Cap. 1. num. 26.
Epiſcoporum Concilii Nicæni I. Cap. 1. num. 23.
Epiſcoporum Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſatenum. Cap. 1. num. 26.
Epiſcoporum Ariminenſis, & quorundam aliorum Conciliorum. ibidem, & num. 30.

O

OCcidentalis Eccleſiæ, & Orientalis mos, & conſuetudo, diſciplinaque diverſa. Par. 1. num. 9.
Earundem ſententia diverſa de Concilio Nicæno ſuper Hæreticorum baptiſmo. Cap. 1. num. 20. & 22.
Occidentalium concertatio cum Magno Baſilio quæ, & unde. Cap. 3. num. 2.
Ocham Gulielmus. Axio. 2. pro Donat. Syſt.
Octava Synodus. V. CP. IV. Concilium.
Oecumenicum Concilium ubi primum appellatum. Cap. 1. n. 23.
Unde ſic vocatum, quodnamve ſit illud. V. Concilium Oecumenicum.
Ὁμοίωσις, & Ὁμοίωσιν antidotum contra venenum Ariani dogmatis. Cap. 1. num. 19., par. 2. num. 5.
Ophitæ hæretici rebaptizandi. Cap. 1. num. 15., par. 1. n. 11.
Optatus Milevitanus Epiſc. S. Cap. 1. num. 20. & 24., cap. 2. n. 13., axio. 2. pro Optati Syſt., theor. 1. prop. 1. 3. 5. 13. & 15., corol. theor. 1. prop. 10., theor. 3. prop. 1., theor. 6. prop. 5., theor. 7. num. 2., par. 1. num. 4.
An omnium primus contra Donatiſtas ſcripſerit. Theor. 3. prop. 1.
Ejus Hiſtoria num in magna apud Donatiſtas exiſtimatione. Theor. 3. prop. 2.
Quid de Baptiſmo Hæreticorum, & quid de illo Schiſmaticorum. Cap. 1. num. 23., axio. 2. pro S. Optati Syſt., par. 1. num. 10.
Cur ſiluit de facto, ac literis S. Cypriani in quæſtione de Hæreticorum baptiſmo. Axio. pro S. Optati Syſt., theor. 3. prop. 1.

Or-

Ordinatos ſolos baptiſma miniſtrare quo ſenſu tradiderint & S. Auguſtinus, & Jo: Scotus. Par. 2. num. 4.
Ordinationes Donatiſtarum modo probatæ a Catholicis, modo non; & quare. Cap. 1. num. 15.
Orientales rebaptizandorum hæreticorum morem primitus habuiſſe ſuadetur. Cap. 1. num. 16. & 20., cap. 2. not. 27.
Eorum SS. Patres quinam id tradiderunt. Cap. 1. num. 20.
Ad Judicium, Conciliumque Arelatenſe contra Donatiſtas nemo eorum acceſſit, & quare. Cap. 1. num. 26. & 27.
Ignotum ipſis fuit dictum Arelatenſe Concilium, ac Donatianum Schiſma. Cap. 1. num. 24.
Origenes Alexandr. Cap. 1. num. 15. & 32., cap. 2. not. 15. & 17., cap. 3. num. 5. & 6., corol. theor. 1. prop. 1.
Fons, & origo Arianæ in primis, ac plurimarum hæreſum. Cap. 1. num. 18., par. 2. num. 10.
An Pelagianum errorem docuerit. ibid. par. 2. num. 10.
Oroſius Hiſpanus. Cap. 2. not. 17., par. 2. num. 11. 13. & 15.
Oſius Cordubenſis Epiſc. Cap. 1. num. 28., axio. 1. pro S. Cypriani ſententia. Theor. 2. prop. 2. & 5.

P

Pacianus Barcinonen. Epiſc. Cap. 1. num. 7., cap. 2. not. 7. & 31., theor. 6. prop. 4. num. 1.
Pagius Antonius. Cap. 1. num. 6., cap. 2. not. 9. 10. & 17., cap. 3. num. 6., theor. 4. prop. 3., theorem. 5. prop. 3. num. 3., Theor. 6. prop. 3. par. 1. num. 3. & 9., par. 2. num. 12., laudatur cap. 1. num. 11. 20. 26. & 27., defenditur cap. 1. num. 27. & 29.
Notatus. Cap. 1. num. 2. 11. 17. 26. & 29., cap. 2. not. 10. & 13., cap. 3. num. 2., par. 1. num. 9.
Palæſtina Syriæ Provincia Quartodecimanorum errorem ſecuta videtur. Cap. 2. not. 9.
Palæſtinum Concilium de die Paſchatis celebrandi. Cap. 2. num. 9., theor. 6. prop. 4. num. 1.
Palladius Helenopolitanus Epiſc. Theor. 3. num. 3., par. 2. n. 18.
Pamelius Jacobus. Cap. 1. num. 1.
Pariſienſe Concilium ſub Ludovico Pio Imp. Cap. 2. not. 26., theor. 6. prop. 4. num. 2.
Parmenianus Donatiſta num primus fuerit ad ſcribendum pro parte Donati. Theor. 3. prop. 1. Pa-

Paſchatis variæ controverſiæ etiam inter Catholicos. Cap. 2. not. 9.
Patripaſſiani hæretici qui & Monarchici. Cap. 1. num. 15., cap. 2. not. 13.
Paullus Apoſtolus. Cap. 1. num. 5. & 32., theor. 4. prop. 1., theor. 6. prop. 5.
Ejus authoritas exponitur. Theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 1. num. 6.
Paulli Samoſateni hæreſis qualis, & quam diverſa ab illa Arii. Cap. 1. num. 18., Par. 2. num. 16.
An ipſe, vel ejus aſſeclæ baptiſmum depravarint, & quomodo. Cap. 1. num. 15.
De ejus baptiſmate an ante Nicænum Concilium diſputatum fuerit. Cap. 1. num. 31.
Paulianiſtæ hæretici. Cap. 1. num. 15. & 16., par. 1. num. 11.
Cur de eis actum in Nicæno Concilio, & non de aliis hæreticis. Cap. 1. num. 15.
Pauliciani Hæretici quomodo baptizarent. Cap. 1. num. 15.
Paulinus Afer Diaconus. Par. 2. num. 12. & 13.
Paulinus Nolanus Epiſc. S. Cap. 3. num. 2., par. 1. num. 2.
Paulinus Tyrius Epiſc. Arianus. Par. 2. num. 16.
Pearſonius Joannes. Cap. 1. num. 6., cap. 2. not. 33. & 34.
Notatus. Cap. 2. not. 11. & 34., theor. 4. prop. 3., theor. 5. prop. 3. num. 3., theor. 6. prop. 4. num. 3., theor. 7. num. 6.
Pelagiana hæreſis dicta *nova* an ab Origene ducta fuerit. Par. 2. num. 10. & 15.
An ardua, & difficilis, vel aperta pernicies extiterit. Par. 2. num. 11. & 15.
Sectatorum ejus, fautorumque numerus qualis. Par. 2. n. 12.
Qualis comparata ad quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo. Par. 2. num. 13.
Pelagius I. Papa. Theor. 7. num. 5.
Pelagius II. Papa. Cap. 1. num. 30., theor. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 7. num. 5.
Pepuzeni hæretici. Cap. 1. num. 32., cap. 2. not. 13.
Primi inter Cataphryges baptiſmi formam temeraſſe videntur. ibidem cap. 2. not. 13.
Perſecutio Maximini Imp. qualis, & quanta. Cap. 2. not. 17.
Perſecutionis tempore coacta Concilia. Theor. 5. prop. 3. n. 3.

Pe-

Petavius Dionyſius. Cap. 2. not. 9., notatus ibi not. 13.
Petri Apoſtoli cum Paulo, & aliis concertationes. Theor. 6. prop. 5., cap. 3. num. 2.
Petilianus Donatiſta primus, qui Marcellinum Papam, ejuſque Præsbyteros Romanos ſacrilegos fuiſſe tradiderit. Theor. 1. prop. 7.
Petrus Alexandrinus Epiſc. Cap. 1. n. 6. & 18., theor. 4. prop. 3.
Petrus Lombardus Pariſien. Epiſc. Cap. 1. num. 12.
Phigellus Apoſtata non hæreticus. Cap. 2. not. 7.
Philaſtrius Brixienſis Epiſc. S. Cap. 1. num. 23., cap. 2. not. 15., cap. 3. num. 6., theor. 7. num. 3.
Philippopolitanum Concil. Cap. 1. num. 19. & 8., theor. 1. prop. 16.
Philumenes Pſeudoprophetiſſa. Cap. 2. not. 13.
Photinus hæreticus. Cap. 1. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 2., par. 1. num. 9., par. 2. num. 16.
Photiniani hæretici. Cap. 1. num. 16., par. 1. num. 11.
Eorum baptiſma ubi primum receptum, & ubi repudiatum. Cap. 1. num. 26. & 31.
Photius Patr. CP. Cap. 1. num. 2. & 29., par. 1. num. 1. 2. & 12., par. 2. num. 16.
Plinius ſenior Hiſt. Cap. 1. num. 26., theor. 5. prop. 3. num. 3., axio. pro Syſtem. S. Aug.
Plurimi de quot dicantur. Par. 2. num. 12.
Polycarpus Smyrnenſis Epiſc. M. S. Cap. 2. not. 10., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Polycrates Epheſinus Epiſc. Quartodecimanorum Anteſignanus. Corol. theor. 1. prop. 11., theor. 5. prop. 4. num. 5.
An extra Eccleſiæ communionem obierit, quod a Victore Papa vinculo anathematis innodatus fuerat. Cap. 2. not. 10., theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 2. num. 16.
Pontificalis Liber. Cap. 1. num. 15. & 27., cap. 2. not. 9., theor. 5. prop. 3., theor. 6. prop. 3. num. 1. & prop. 4. num. 2., par. 1. num. 2. & 10. V. & Anaſtaſius Bibliothecarius, & Damaſi Chronicon.
Pontifices Romani. V. Romani Pontifices.
Pontius Diaconus S. Cypriani cur Rebaptiſmi ejus, concertationiſque mentionem non egit. Theor. 4. prop. 1.
Quis primus ejus de S. Cypriano narrationem genuinam vulgarit, & quis ſpuriam. Cap. 1. num. 1.

Poſſidius Calamenſis Epiſc. Cap. 1. num. 26., cap. 2. not. 27., theor. 1. prop. 5., theor. 6. prop. 5.
Prædeſtinati Author caſtigatus. Cap. 2. not. 13.
Prateolus Gabriel. Cap. 1. num. 23., theor. 7. num. 3.
Pratum Spirituale Sophronii Patr. Cap. 2. not. 27.
Praylus Hieroſolymitanus Epiſcopus. Par. 2. num. 12. & 16.
Praxeas hæreſiarcha fuit, non Sanctus, & Martyr. Cap. 2. not. 13.
Primæ Sedes in Africa quæ, & an etiam Metropoles civiles. Theor. 1. prop. 7.
Primates olim quinam dicerentur. Cap. 1. num. 24.
In Africa an plures eſſent. Theor. 6. prop. 5.
Procliani hæretici. Cap. 1. num. 16.
Priſcillianiſtæ hæretici. Par. 2. num. 16.
Prophetas novos, ſive Pſeudoprophetas quinam reciperent. Cap. 2. not. 13.
Proſper Aquitanus S. Par. 2. num. 7. 12. & 15.
Proterius Alexandrinus Epiſc. S. Cap. 1. num. 2.
Proverbiorum Salom. lectio varia. Cap. 2. not. 25. cap. 3. num. 6., theor. 5. prop. 5. num. 3.
Prudentia Latinii in occultanda Firmiliani Epiſtola qualis. Cap. 1. num. 1.

Q

QUadratus Athenienſis. Par. 1. num. 1.
Quæſtio de Paſchate varia tum inter Catholicos, & Schiſmaticos, tum inter ipſos Catholicos. Cap. 2. not. 9.
Quæſtio de baptiſmo Hæreticorum an fuerit traditionis Apoſtolicæ, vel humanæ. Theor. 5. prop. 4. num. 5.
An de fide tum fuerit, vel de diſciplina Eccleſiaſtica. ibidem, & theor. 2. prop. 6.
An a Stephano Papa declarata, vel a quibus. Par. 2. num. 7.
Ob quos hæreticos olim in Oriente mota. Cap. 1. num. 15., cap. 2. not. 13.
Quæſtiones variæ de Baptiſmo variis temporibus excitatæ. Cap. 1. num. 15., theor. 4. prop. 2.
Quæſtiones diverſæ ſub Stephano Papa agitatæ. Cap. 2. not. 31.

Quæ-

Quæſtiones de fide num ſemper declarentur a Romano Pontifice. Par. 2. num. 7.
Quæſtiones de re obſcura, ancipitique num ad Oecumenicum Concilium perducantur. Par. 2. num. 8.
Quæſtiones inter Orientales, & Occidentales tempore Baſilii Magni quæ. Cap. 3. num. 2.
Quartodecimani Schiſmatici, vel Hæretici. Par. 1. num. 11. & 13., par. 2. num. 16.
Nonniſi poſt Nicænum Concilium eorum opinio hæreſis dici cœpit. Cap. 2. not. 9.
Quinam adhuc tempore Concilii Nicæni opinionem eam propugnabant. ibidem.
Queſnellus Paſchaſius. Cap. 1. num. 5.
Quiniſextum Concilium. V. Trullanum Concilium.
Quinta Synodus. V. CP. II. Concilium.
Quintilla hæretica quæ. Cap. 3. num. 6.

R

Ratum Concilium facit Romani Pontificis confirmatio, non *Oecumenicum*. Cap. 1. num. 30.
Ratum baptiſma facit non Evangelica forma ſola, ſed & materia, & Miniſter Evangelici. Theor. 6. prop. 3. num. 2.
Rebaptiſmus Afrorum, & Orientalium antiquorum ad diſciplinam, non ad fidem pertinebat. Corol. theorem. 1. prop. 1., theor. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 4. num. 1.
Ejus antiquitatem in Africa ſuadet Cypriani Epiſtola ad Quintum. Theor. 6. prop. 5. num. 4.
Rebaptiſmo eidem tempore S. Cypriani quota pars Orbis Chriſtiani ſtuderet. Cap. 1. num. 16. & 20., cap. 2. not. 27.
In Africa viguiſſe ante Tertullianum veriſimile videtur. Corol. theor. 1. prop. 9., theor. 5. prop. 1.
In Pontica Diœceſi, ac Oriente extaſſe longe ante Magni Baſilii tempora probatur. Cap. 1. num. 32.
Opinio illi contraria unde oriri potuit ſecundum S. Cyprianum. Theor. 6. prop. 4. num. 4.
Rebaptizantes etiam temporibus S. Auguſtini quot, & quinam. Cap. 2. not. 27.

Digitized by Google

Rebaptizationes Marcionis, & quorundam Hæreticorum quam diverſæ a prædicto Rebaptiſmo. Par. 1. num. 1. & 14.
Rejenſe I. Concilium. Theor. 6. prop. 5.
Remenſe Concilium. Cap. 1. num. 30.
Reſtitutus Carthaginienſis Epiſcopus. Cap. 1. num. 19.
Rigaltius Nicolaus defenſus. Cap. 3. num. 5., theor. 4. prop. 2.
Romanus Clerus. Cap. 1. num. 5., cap. 2. not. 2., theor. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. num. 8., theor. 6. prop. 4. nu. 2.
Romani Pontificis ſummam poteſtatem quanti penderint Donatiſtæ. Corol. theor. 1. prop. 14., theor. 7. num. 8.
Romanorum Pontificum Cornelii, Lucii, Stephani, & Sixti Sedis epocha. Theor. 5. prop. 3. num. 3.
Romanum Concilium Victoris I. Cap. 1. num. 18.
Cornelii Papæ. Cap. 1. num. 26.
Melchiadis Papæ. Cap. 1. num. 24. & 26.
Julii I. Cap. 1. num. 30.
Damaſi Papæ. Cap. 1. num. 23., theor. 4. prop. 3.
Sixti III. fictitium quando confictum. Par. 1. num. 15.
Felicis II. al. III. Cap. 1. num. 30.
Symmachi Papæ. Par. 1. num. 2. & 12.
III. Bonifacii II. Cap. 1. num. 29.
Martini I. Cap. 1. num. 2. & 30., theor. 6. prop. 4. nu. 3.
Stephani III. al. IV. Par. 1. num. 7. & 11.
Leonis VIII. Cap. 2. not. 2.
Agathonis, & Nicolai II. Cap. 1. num. 30.
Rufinus Aquilejenſis. Cap. 2. not. 7. & 13., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 5., par. 1. num. 2. & 6.
Quomodo diſcrepet ab Euſebio Cæſarien. in Hiſtoria Rebaptiſmi. Theor. 4. prop. 4.
Et diſcrepantiæ num certa cauſſa ſtatui poſſit. ibidem theor. 4. prop. 4.
In quo diſcrepet ab Auguſtino. Theor. 6. prop. 3. num. 2.
Rufus Theſſalonicenſis Epiſcopus. Par. 2. num. 12.
Rutheni Schiſmatici. Par. 1. num. 14.

S

SAbbatiani hæretici. Cap. 1. num. 31., par. 1. num. 11.
Salluſtius Hieroſolymorum Epiſcopus. Cap. 2. not. 10.
Salomon Rex. Axio. 1. pro S. Cypriani ſententia.

Sampſæi

Sampſæi hæretici quinam, quidve colerent. Cap. 2. not. 13.
Samoſatenſis hæreſis. V. Pauli Samoſatenſis hæreſis.
Sanderus Nicolaus. Cap. 1. num. 23., theor. 7. num. 3.
Sancti, & Beati titulus quibus olim attributus. Cap. 1. num. 2.
Sanctorum Virorum in ſcribendo exceſſus quomodo excuſandus. Cap. 3. num. 2.
Eorundem lapſus in factis. Axio. 1. pro S. Cypriani ſent.
Sardicenſe Concilium. Cap. 1. num. 19. 23. 26. 29. & 30.
Dictum *Occidentale* an Oecumenicum fuerit. Cap. 1. num. 23. & 29.
An ignoratum fuerit a Donatiſtis, aliiſque Afris. Theor. 1. prop. 16.
Diſcrimen inter ipſum, & Philippopolitanum Concil. Afris ignotum. Cap. 1. num. 8.
Schiſma quandoque hæreſis, & quo hæc ipſa diſtinguantur. Cap. 1. num. 32.
Schiſmata unde oriantur S. Cypriani teſtimonio. Theorem. 6. prop. 4. num. 3.
Schiſmatici an Eccleſiæ membra ſint cenſendi. Cap. 1. num. 32.
Eorum baptiſma S. Cyprianus primus improbaſſe videtur. Theor. 4. prop. 3.
Cur antiquorum quidam Hæreticorum baptiſma repudiabant, Schiſmaticorum vero approbabant. Cap. 1. num. 32.
Schelſtratius Emmanuel laudatus. Cap. 1. num. 26., notatus, cap. 2. not. 10., par. 1. num. 9.
Scotus Joannes Duns. Theor. 5. prop. 4. num. 5., par. 2. num. 4. 8. & 13.
Seleucienſe Concilium. Cap. 1. num. 26.
Semel variæ ſignificationis. Theor. 5. prop. 1.
Semiariani, qui & Euſebiani. Cap. 1. num. 17., theorem. 1. prop. 10.
Septima Synodus. V. Nicænum II. Concilium.
Scriptores de fide, ac Religione Chriſtiana contra Gentiles. Par. 1. num. 1.
Scriptores Afri illuſtres. Theor. 1. prop. 5.
Scriptores Græci Hiſtor. an omnes mendaces. Axio. pro Syſt. S. Auguſtini.
Scriptoris ſtylus unde ducendus. Axio. pro S. Cypriani ſent.
Serapion Antiochenus Epiſcopus. Cap. 2. not. 13.

Serenianus Ælius quiſnam fuerit. Cap. 2. not. 16., cap. 3. num. 5.
Severiani hæretici. Par. 1. num. 11. & 13.
Severus Sulpitius Hiſt. Cap. 1. num. 26. & 30., cap. 2. not. 17., par. 2. num. 16.
Setianus hæreticus quid ſenſerit. Par. 1. num. 11.
Sexta Synodus. V. CP. III. Concilium.
Si multimodis accipitur. Theor. 2. prop. 2., par. 2. num. 4.
Simeon Magiſter. Cap. 1. num. 27. & 31.
Simoniani hæretici, eorumque baptiſma quale. Cap. 2. not. 7.
Eorum Author Simon Apoſtata magis dicendus, quam hæreticus. ibidem.
Simplicius Papa. Cap. 1. num. 30.
Sinveſſanum Concilium quo tempore confictum. Theorem. 1. prop. 7., par. 1. num. 15.
An a Donatiſtis excogitatum, vel commentum. ibidem par. 1. num. 15.
Siphori hæretici quinam. Cap. 1. num. 16.
Siricius Papa. Cap. 1. num. 3. 20. 26. & 30., cap. 2. not. 27., theor. 6. prop. 3. num. 1. & 2., & prop. 4. num. 1., theor. 7. num. 8., par. 2. num. 18.
Sirmondus Jacobus. Cap. 1. num. 26., notatus ibidem cap. 25. & 26.
Sixto I. Papæ aſcripta, quæ Sexti Philoſophi erant. Par. 1. num. 2.
Sixtus II. Cap. 1. num. 6., cap. 2. not. 10. 11. & 27.
Socrates Hiſtor. Cap. 1. num. 17. 29. & 31., cap. 2. not. 9. & 27., theor. 2. prop. 6., par. 2. num. 14.
Sophronius Patr. Hieroſolymitanus. Cap. 1. num. 2., cap. 2. not. 27.
Soter Epiſcopus Romanus an contra Cataphryges ſcripſerit. Cap. 2. not. 13.
Sozomenus Hiſt. Cap. 1. num. 6. 28. 29. & 31., cap. 2. not. 9. & 10., theor. 4. prop. 3., theorem. 5. prop. 4. num. 5. & 8.
Notatus. Cap. 2. not. 10., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Spondanus Henricus. Axio. 2. pro Syſt. Donat.
Stephanus Antiochenus Epiſcopus S. Theor. 5. prop. 3. num. 2.
Stephanus I. Papa an Martyr, Sanctuſve fuerit. Theorem. 5. prop. 3. num. 2.

Ejus

Ejus Acta quæ, & quanti habeantur. Theor. *6.* prop. 3. num. 1.
Ejus Pontificatus Epocha an concurrat cum tribus S. Cypriani de Hæreticorum baptiſmo Conciliis. Theor. 5. prop. 3.
Quo vario diſcordiæ genere pacem cum plurimis fregiſſe dicitur. Cap. 2. not. 31.
An declaraverit quæſtionem de Hæreticorum baptiſmo. Par. 2. num. 7.
Ad baptiſmum ratum requirebat formam Evangelicam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., vel in nomine Jeſu Chriſti. Theor. *6.* prop. 3. num. 2.
Ejus *decretum* de baptiſmo Hæreticorum an demonſtretur ignotum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ; & an in Romano Breviario extet. ibidem num. 1.
An dogmaticum, ac de fide fuerit; & cui nemo poſſet obſiſtere. Theor. 2. prop. *6.*, theor. 7. num. 8.
Ejuſdem Decreti prima pars quomodo de quibuſcunque hæreticis agit. Theor. *6.* prop. 3. num. 2.
Ejuſdem pars ſecunda quomodo accipienda. ibidem num. 3.
An Afros, & Orientales anathemate perculerit. Cap. 2. not. 10., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Quam ea in cauſſa traditionem exercerit, & quas rationes. Cap. 1. num. 2., theor. 7. num. 8., cap. 2. not. 7., par. 2. num. 7.
Stephanus III. al. IV. Par. 1. num. 7. & 11.
Svarez Franciſcus. Theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 7. nu. 8.
Sulpitius Bituricenſis Epiſcopus S. Theor. *6.* prop. 4. num. 3.
Surita Hieronymus. Cap. 2. nor. *9.*
Sylveſtri PP. actus. Par. 1. num. *9.*
Symmachus Papa. Theor. *6.* prop. 4. num. 2. & 5., par. 1. num. 2. 7. & 8.
Synodus. V. Concilium.
Synodici Libelli Author. V. Libellus Synodicus.
Synodicæ Epiſtolæ nonnullæ titulo tenus exſcriptæ. Cap. 1. num. 26., Romanorum Pontificum. Cap. 1. num. 30.
Synodica Epiſtola Arelatenſis minus depravata Catalogo. ibid.
Synnadenſe Concilium Rebaptizantium. Cap. 2. not. 13. & 27.
Eodem tempore circiter, atque Iconienſe celebratum. ibid.

T

TActus Aſtris conceſſit S. Auguſtinus. Cap. 2. not. 18.
Tatianus Syrus. Par. 1. num. 1.
Tertullianus. Cap. 1. num. 5. 14. & 15., cap. 2. not. 7. 13. & 14., cap. 3. num. 2. 5. & 6., corol. theor. 1. prop. 9., theor. 5. prop. 1. & 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 3. & prop. 4. num. 3., ac prop. 5., par. 1. num. 1. & 5.
An librum de baptiſmo ſcripſerit ante Agrippini Epiſc. Carthagin. de hac re Concilium. Corol. theor. 1. prop. 9., theor. 5. prop. 1.
Catholicus, & Montaniſta docuit baptiſma Hæreticorum eſſe nullum. Cap. 3. num. 6.
An omnium primus tradiderit iterandum eſſe Hæreticorum baptiſma. Corol. theor. 1. prop. 9.
An, dum Catholicus eſſet, Montaniſtas oppugnaverit, vel eos meminerit. Cap. 3. num. 5., axio. 2. pro Donat. Syſt.
Tharaſius Patr. Conſtantinopolitanus quomodo interpretandus. Corol. theor. 1. prop. 9., par. 1. num. 12.
Theodoretus Cyrenſis Epiſc. Cap. 1. num. 3., cap. 2. not. 7. 8. 10. & 13., cap. 3. num. 2., par. 1. num. 1. & 11., par. 2. num. 8.
Theodorus Mopſveſtenus Epiſc. a quibus laudatus. Cap. 1. num. 2., theor. 6. prop. 4. num. 3.
An ſemper Pelagianis adhæſerit. Par. 2. num. 10. & 12.
Theodorus Studita. Cap. 2. not. 7., par. 1. num. 7. & 11., par. 2. num. 18.
Theodotus Antiochenus Epiſc. Par. 2. num. 12.
Theodotus hæreticus Pauli Samoſateni Dux. Cap. 1. num. 18.
Theodotionis editio quando facta. Cap. 2. not. 13.
Theophanes Sigrianus. Par. 2. num. 18.
Theophilus Alexandrinus Epiſc. Cap. 1. num. 2., cap. 2. not. 10., par. 2. num. 10.
Theoſterictus Monachus. Par. 2. num. 16.
Theſſalonicenſis Eccleſia an ad Occidentem, vel Orientem pertineret. Cap. 1. num. 29.
Tillemontius Sebaſtianus laudatur, ac defenditur. Cap. 2. not. 9. & 20., theor. 5. prop. 1.

No.

Notatur. Cap. 1. num. *6*., cap. 2. not. 13., cap. 3. num. 1., par. 1. num. 5. & 12.

Timotheus Præsbyter CP. Cap. 1. num. 16., cap. 2. not. 7., theor. 4. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 3., theor. *6*. prop. 3. num. 2., par. 1. num. 11.

Titulares Patriarchæ, & Epiſcopi cur, & quando creari cœperunt. Cap. 1. num. 28.

Thomas Aquinas S. Cap. 1. num. 32., cap. 2. not. 27., par. 2. num. 5.

Toletana Concilia I. IV. & XIV. Cap. 1. num. 15. & 27.

Thomaſſinus Ludovicus. Theor. 5. prop. 4. num. 5., notatus par. 1. num. 11.

Tractatus Anonymi *contra Rebaptizantes* duas partes continet. Theor. 7. num. 3.

Cujus ſit, & quo tempore compoſitus, quamque ob cauſam. Theor. 4. prop. 2.

Traditio a Stephano Papa Cypriano rebaptizanti objecta quænam eſſet. Cap. 1. num. 2., cap. 2. not. 7.

Quomodo creditur Apoſtolicæ traditionis id, quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt. Par. 2. num. *6*.

Tranſmarinarum Eccleſiarum nomine quas velit S. Auguſtinus. Cap. 1. num. 24.

Tridentinum Concilium. Cap. 1. num. 20., cap. 2. not. 14., theor. 5. prop. 1. & 4. num. 5., theor. *6*. prop. 4., par. 1. num. 7.

Trithemius Joannes. Theor. 4. prop. 2.

Trullanum al. Quiniſextum Concilium. Cap. 1. num. *6*. *16*. & 31., theor. 1. prop. 7., corol. theorem. 1. prop. *9*., theorem. 5. prop. 1., par. 1. num. 5. & 11., par. 2. num. 18.

Ejuſdem locus explicatus. Cap. 1. num. 27., par. 1. num. 10. & 13.

Quos Hæreticos ſine baptiſmo ſuſcipiendos docet, & quoſnam cum baptiſmo. Par. 1. num. 11.

Turrianus Franciſcus. Par. 1. num. 1. & 8.

Tychonius Donatiſta. Theor. 1. prop. 5. & 13.

Tyrium Conciliabulum. Cap. 1. num. 17.

Va-

Digitized by Google

V

VAlentinus, & Valentiniani hæretici. Cap. 1. num. 15. & 16., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 7. num. 1., par. 1. num. 11.
Valeſius Henricus. Cap. 2. not. 13., notatus cap. 1. num. 26., cap. 2. not. 11. & 13., theor. 4. prop. 3.
Valeramus Nuemburgen. Epiſc. Cap. 2. not. 9.
Vaſquez Gabriel. Theor. 1. prop. 9., theor. 2. prop. 6. & 7.
Veronenſes Operum Card. Noriſii editores laudati. Par. 1. num. 15., par. 2. num. 10.
Victor I. Papa qualis in cauſſa Cataphrygum. Axio. 2. pro Syſt. Donat.
Scripſit adverſus eoſdem Cataphryges. Cap. 2. not. 13.
An Aſiaticos Quartodecimanos anathemati ſubjecerit. Cap. 2. not. 10., theor. 7. num. 1.
Quid de Baptiſmo ſtatuiſſe fertur. Cap. 1. num. 15., cap. 3. num. 6.
Victor Carthenarum Epiſcopus. Theor. 1. prop. 5.
Victor Mattaritanus Epiſcopus. ibidem.
Victor Tununenſis Epiſc. Cap. 1. num. 30., cap. 2. not. 28., theor. 1. prop. 5., theor. 5. prop. 5. num. 4.
Victor Vitenſis Epiſcopus. Cap. 1. num. 26., cap. 2. not. 27., theor. 1. prop. 5.
Victor Uticenſis Præsbyter, non Epiſcopus. Cap. 1. num. 26.
Vigilius Papa. Cap. 1. num. 16. 18. & 30., axio. 2. pro Syſt. Donat., theorem. 4. prop. 2., theorem. 5. prop. 3. num. 2., theor. 6. prop. 4. num. 3., theor. 7. num. 2., par. 1. num. 3. & 7.
Vigilius Tapſenſis Epiſcopus. Theor. 1. prop. 5.
Vincentius Lirinenſis. Cap. 1. num. 5., axio. 2. pro Donat. Syſt., corol. theor. 1. prop. 2., theor. 5. prop. 4. num. 5., theor. 6. prop. 3. num. 1., theor. 7. num. 8.
Notatus. Cap. 2. not. 13.
Vincentius Rogatianus Carthenen. Epiſc. Theor. 1. prop. 5.
Vindicis Cypr. antilogia. Cap. 1. num. 5., cap. 2. not. 34., theor. 2. prop. 6., theor. 5. prop. 4. num. 5.
Viri ſummi, & ſancti, ac doctiſſimi in factis quandoque decepti. Cap. 2. not. 27.
Quique contra præcipuam, propriamque virtutem ali-
quan-

Digitized by Google

quando egiſſe videntur. Axio 1. pro S. Cypriani ſententia.
Voconius Caſtellenſis Epiſcopus. Theor. 1. prop. 5.
Vitellius Afer poſt Donatum primus pro Donatiſtis ſcripſiſſe videtur. Theor. 1. prop. 5., theor. 3. prop. 1.
Urbanus II. Papa. Theor. 4. prop. 4., par. 1. num. 7., par. 2. num. 13.
Urſinus Gennadii an ſit Author *Tractatus* contra Rebaptizantes. Theor. 4. prop. 2.
Uſum, & conſuetudinem *totius Orbis* Hæreticorum non iterare baptiſmum, cur dixit S. Auguſtinus. Cap. 2. not. 27.

Y

Ὑπόστασις vocabulum cauſa diſſidii inter Catholicos Orientis, & Occidentis. Cap. 3. num. 2.

Z

ZAcharias Papa. Par. 1. num. 7.
Zelus veteris diſciplinæ retinendæ, ac Chriſtianæ Religionis tuendæ præcipua fortaſſe Cypriani virtus. Axio. 1. pro S. Cypriani ſent.
Zephyrinus Papa. Cap. 2. not. 10., theor. 6. prop. 3. num. 1.
Zonaras Joannes caſtigatus. Theor. 4. prop. 3.
Zoſimus Papa. Cap. 3. num. 2., theor. 2. prop. 3., theor. 6. prop. 3. num. 1., par. 2. num. 18.

Vidit

Vidit D. Salvator Corticelli Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIV, Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 25. Aprilis 1741.

A. R. P. Paulus Seraphinus Facconi Lector Philoſophiæ in hoc ſtudio generali S. Dominici Bononiæ videat pro hoc S. Officio, & referat &c.

Fr. Thomas Maria de Angelis Inquiſitor Generalis S. Officii Bononiæ.

Juſſu Reverendiſſimi P. Magiſtri Fr. Thomæ Mariæ de Angelis Inquiſitoris Generalis S. Officii Bononiæ legi Librum, cui titulus: Germana S. Cypriani, & Afrorum, nec non Firmiliani, & Orientalium opinio de Hæreticorum Baptiſmate ad rectam criticarum Vindicis Cypr. Diſputationum intelligentiam expoſita &c., *in quo cum nihil Catholicæ Religioni, boniſve moribus adverſum offenderim, immo uberrimam in eo præſtantiſſimi Auctoris eruditionem cum ſolida doctrina conjunctum ubique ſuſpexerim, ad totius Reipublicæ Literariæ commodum Typis digniſſimum cenſeo.*

Ex Cœnobio S. Dominici Bon. Pridie Idus Maii. MDCCXLI.
F. Paulus Seraphinus Facconi in eodem Cœnobio Philoſ. Lect.

Die 12. Maii. 1741.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria de Angelis S. Officii Bononiæ Generalis Inquiſitor.

Digitized by Google

Errata			Corrige
Pag.	*lin.*		
15.	36	exprimant	exprimat
19.	4	Aggrippinus	Agrippinus
25.	37	in medium	in medio
31.	14	Virgilii	Vigilii
	15	Braciaren.	Bracaren.
34.	4	recipiſſe	recepiſſe
49.	5	Quotquod	Quotquot
60.	12	in quo	in qua
65.	15	49. 87. & 163.	44. al. 163., 53. al. 165., 87. al. 164.
	31	igno- tur	ignora- tur
76.	3	interpretis	Chriſtophorſoni
83.	11	terminatum	terminatam
84.	9	luſiſſent	luſiſſe
86.	39	Sardicenſe, atq. Carthaginienſe	Sardicenſem, atque Carthaginienſem
99.	30	Pneumathomacos	Pneumatomachos
123.	10	Provinciæ	Provincia
127.	13	abſtinuendos	abſtinendos
129.	8	tollendum	dolendum
154.	1	Epiſt. 1.	Epiſt. 1. ad Sympronlanum
162.	20	obtulenti	offerenti
175.	19	Chanan	Chanaan
178.	27	ſit	eſt
199.	1	Axio.	Theor. I.
207.	20	pene ſe	penes ſe
214.	10	Epiſt. 105. al. 20.	Epiſt. 82. al. 19.
229.	1	Theor. II.	Theor. III.
238.	7	expromiſſe	expromſiſſe
259.	2	congregatum.	congregatum ſcimus.
275.	16	judicemur	judicemus
287.	24	omninoque ſemper	omninoque non ſemper
317.	35	1350.	350.
331.	19	preſcripſerim	perſcripſerim
352.	40	num. X.	num. XII.
380.	20	disjunxiſſet	disjunxiſſe
384.	26	perdidit	prodidit
399.	17	Teſſalonicenſem	Theſſalonicenſem
411.	9	nullam	nullum
416.	21	aſparnanda	aſpernanda

Digitized by Google

Digitized by Google

005664023

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN